UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas, Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70978

Visual Library



L 8 I 10
8.
Th. 4455.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ENCHIRIDION

PIARVM MEDITATIONVM IN OMNES DOMINICAS, SANCTORVM Festa, Christ passionem, & cætera, insequenti pagina comprehensa.

Societatis Jesv Lippiæ Paderbona.

IN GRATIAM PARTHENIORum Sodalium, vitæq; Religiosæ cultorum.

16 Opera & studio 27.

IOANNIS BVSÆI SOCIETAtis Iesv Theologi concinnatum.

1. Cor. 14.

Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.

Cum Gratia & Priuilegio S. Cæs. Maiest. & Superiorum consensu.

MOGVNTIÆ

Ex Officina Typographica Balthasaris Lippij.

ANNO M. DCVI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX MEDITATIONVM HOC OPVSCVLO COMPREhensarum.

1. MEditationes in omnes totius anni Dominicas pagin. 1.
2. In solemnia Sanctorũ festa. p. 140.
3. In totam passionem Christi. p. 232.
4. Residua de vita Christi, non incidentes in Dominicas vel festa Sanctorum. p. 323.
5. De Communi Sanctorum, vt Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum, pag. 466.
6. De variis Dei beneficiis. p. 413.
7. De Peccatis, eorumq; effectis. p. 446.
8. De variis humanæ vitæ miseriis. p. 456.
9. De hominis nouissimis. p. 474.
10. De Sacra Eucharistia, pro crebro communicantibus. p. 491.
11. De dignitate & officio Sacerdotum. p. 509.
12. De religiosorum votis. p. 532.
13. De quindecim mysteriis Rosarii B. Virg. p. 553.

Accesserunt Leges Congregationis Beatæ Mariæ Virginis Annunciatæ, eiusdemq; Indulgentiæ.

RE-

REVEREN-
DISSIMO IN CHRI-
STO PATRI, ET DOMINO D. Stephano VVebero Mysienſ. Episcopo, Reuerẽdiſſ. & Illuſtriſſ. D. D, IO ANNIS SVICARDI, Archiepiſc. Moguntini, Princ. Elect. in Pontificalib. Vicario, SS. Theolog. Doctori. &c.

IOANNES BVSAEVS.

MIraris fortaſſis, Reuerendiſſ. Domine, cur poſt tot piarum commentationum libellos, à Societatis noſtræ patribus, aliisque, editos, nouum moliar Opuſculum. Susceptı cõſilii cauſam ingenuè aperiã. Optarunt

mecũ iam diu multi orationis mẽtalis amãtes vnum aliquem confici manualem libellum, in quo multæ, & variæ, cæque breues Meditationes, quarum vsus toto anni decursu seruiret, continerentur. Quæ enim hactenus in lucem prodierunt, aut prolixiores sunt, vt Petri Canisii, Ludouici Granatensis, Francisci Costeri, Hieron. Natalis, & Vincẽtii Bruni: aut æquo breuiores, & pauciores, vt Gasparis Loaris, Androtii, Pinelli, & similium. Itaque opere pretium me facturum existimaui, si ex dictis, aliisqae auctorib. maximè in Partheniorum Sodalium gratiam (quibus Congregationis Leges non semel hoc pium Exercitium commendant) multas & varias Meditationes breuiter in tria puncta distinctas in vnum Opusculum contraherem: tum vt exiguo ære, laboreque omnibus meditan-

ditandi materia ſuppeteret, tum vt Patres ſpirituales, qui viam rationemque commentandi aliis præſcribunt, vnum aliquem auctorem haberent, quem huius ſanctæ exercitationis ſtudioſis commendare poſſent. Cur autem hunc qualemcunque laborem ſub Reuerendiſſ. D. T. auſpicio & tutela lucem aſpicere voluerim, non nouæ, ſed antiquæ me permouerunt cauſæ, quas ante octennium in epiſtola dedicatoria ad quartam Meditationum noſtri P. Bruni partem ex Italico idiomate in Latinum à me conuerſam commemoraui, nimirum conſtans tua, ſuiq; ſemper ſimilis, tum in hoc Collegium Moguntinum, imo Societatem noſtram vniuerſã voluntas & beneuolentia, tum in Sodalitatem D. Virginis MARIÆ Annunciatæ, quam totos viginti octo annos, quibus illa Moguntiæ

floruit, velut Sol quidam virtutum tuarum radiis cũ omnium gaudio & gratulatione illuſtraſti, fauor & propenſio. Quo fit, vt vtroque nomine Reuerendiſſ. D. T. licet iam ad deuexam ætatem vergenti, non modo longiorem huius vitæ, pro Eccleſiæ Moguntinę incolumitate, vſuram, verum etiam ſempiterna alterius vitæ ſæcula, omnes quotquot in Collegio Moguntino degimus ex animo optemus. Moguntiæ, ipſis Annunciatæ Dominæ noſtræ feriis. Anno ab eiuſdem partu. M. DC. VI.

PRÆ-

PRAEFATIO

AVCTORIS AD PIVM LECTOREM, DE MODO RECTE Meditandi.

HABES, pie Lector, in hoc Enchiridio ẽ, vti spero, assatim materiæ pro instituda Meditatione: sed forte modum quoquè & rationem rectè fructuoseq; meditandi à me reposces. Nec iniuriæ, quia sicut eximia est huius spiritualis exercitii nobilitas & præstãtia, ita peculiarem quandam curam & peritiam, quo cum vtilitate tractetur, requirit. Exstant de hoc modo duo erudita & accurata, duorum Patrum Societatis nostræ scripta alterũ Reuerendi Patris Francisci Arias Hispani, in Tractatu secundo de Profectu spirituali. Alterum Reuerẽdi Patris Bartholomæi Riccii Itali, in Instructione de meditandi modo, nuperrime

latinitate à me donatum, & typis Moguntinis expreßum. Verum, quia vel illorum non ſuppetit copia, vel non vacat omnibus ob prolixitatem perlegere, breuiter hic in epitomen redigam, quæ ab vtroquè fuſiſſimè pertractata fuere. Ac primò exponam, quid nomine Meditationis intelligatur. Secundò: quæ ſint eius partes. Poſtremò: quæ adiumenta vt cum ſpirituali fructu perficiatur.

Quid ſit Meditatio.

MEDitatio. quam alii Orationem mentalem appellant, eſt pia & affectuoſa rerum diuinarum, aliarumuè conſideratio quæ hominem ad laudandum DEVM, ad virtutes CHRISTI, Sanctorumquè ſectandas ad bonum amplectendum, & fugiendum malum efficaciter promouet. Vocaui (affectuosam) quia non tam in actione intellectus, quam in affectione voluntatis conſiſtit, quatenus eius beneficio ad amorem Dei odium peccati, & rerum caducarum contẽptum promouemur. Vnde Pro-

de Propheta regius in hoc orandi genere exercitatus dicebat. In meditatione mea exardescet ignis, *hoc est feruor animiq; promptitudo excitabitur, vt fugiam noxia, & amplectar vtilia: vt negligam temporalia, & persequar æterna. Hoc commendandi exercitio Christus cum discipulis noctes insomnes in deserto & mõtibus duxit. Hoc B. Virgo Maria apud B. Lucam in corde suo conferebat, quæ à Christo dicta audierat. Hoc omne vitæ tempus S. Ioannes Baptista in eremo, & post eũ innumeri Anachoretæ, sine fastidio traduxerunt. Hoc vsi sunt Sancti omnes, Basilius, Hieronymus, Augustinus, Benedictus, Bernhardus, Franciscus, Dominicus, Ignatius, Xauerius. & quotquot fuerunt insigni sanctitate, & rerum cœlestium contemplatione admirabiles.*

De partibns Meditationis.

PARTES *Meditationis sunt quatuor. Præparatio, Representatio, Consideratio, & Colloquium vel Petitio.*

1. Præparatio est, qua homo se ad meditandum componit. Cuius necessitatem Sapiēs Ecclesiastes cap 18 hu indicat verbis. Ante orationem præpara animā tuam, & noli esse quasi homo, qui tēptat Deum, Si enim cum Rege, Episcopo vel alio principe viro acturus primum præmeditaris quibus verbis vti velis, quāto magis id faciendum quāndo cum Deo in meditatione es colloquuturus.

Præparatio autem hæc duplex est: remota & propinqua. Remota est, prælegere pridie Meditationis materiam. 2. eam simulatquè mane euigilas in mentem reuocare, 3. Cogitationes omnes & curas de studiis aliisue negotiis temporalibus excludere, Meditatio siquidem mentem postulat quietā & tranquillam. Propinqua verò est, cum iamiam inuoanda est meditatio, primum se aqua benedicta, si præsto sit aspergere & signo crucis munire. 2. vno passu à Meditationis loco ad spatium Dominicæ Orationis Salutationuq; angelicæ consistere, & firmiter tibi persuadere te coram diuino maiestatis throno, quem omnes Sancti circumstent,

vt cum

vt cum Deo colloquaris, cõpariturum. Tertio, reuerenter in genua velut coram Deo prolabi, & mox humiliter postulare ab eo gratiam, omnes vires actionesq; animi ad suæ diuinæ Maiestatis gloriam referendi. Poteris quoq; si velis, Beatæ Virginis, angeli custodis, vel Sanctorum, ad quos afficeris, auxilium implorare. Potes etiam Meditationis puncta, si memoria forte exciderint relegere.

Repræsentatio vel imaginatio est, qua homo ante Punctorum considerationem repræsentat, id est, ob oculos ponit locum, personas, earundemq; actiones in mysterio Meditationis expressas. Vt si mediteris de crucifixione Christi, imagineris te intueri montẽ Caluariæ cruci Christum affigi, infinitam hominum turbã circumstare, sicut à pictorib. depingi solet. Similiter, mediteris de morte, fingas te aspicere teipsum, vel aliũ in lectulo decumbentẽ pallidũ & morti vicinũ. Hæc enim repræsentatio valet non solum ad cauendas animi distractiones, sed etiam ad concitãdum affectum doloris, compassionis, metus, & similium. Et si in hac imaginatione

dum

diu hærendum non est, sed tantum, quandiu sentis te piè moueri ad amorem, pœnitentiam, lætitiam vel aliud. Quod si materia meditationis sit de re, in qua nulla sit circumstantiarum, vt loci, vel personarum repræsentatio, statim à præparatione transeas ad Considerationes.

3. Consideratio verò est operatio Intellectus, qua homo sedulo expendit omnia quæ in singulis punctis continentur, cum desiderio inde fructum aliquem spiritualem carpendi. Maximè autem discurrit & ratiocinatur circa circumstantias. Vt si meditetur de aliquo puncto passionis Domini, attendat. Quis sit qui patitur, nempe Filius Dei, conditor cœli & terræ. Quid patiatur, nempe cruciatus maximos. Pro quo, nempe pro te vili & ingrata creatura. Qua de causa, nempe ad te liberandum à damnatione æterna.

4. Colloquium vel Petitio: Vbi enim sedulo, quæ in punctis continentur, expenderis, & te ad amorem, dolorem, vel alium affectum, moueris & accenderis, facile occurret, quid per colloquium à Deo petere debeas. Ordinariè an-

riè autem petere potes maius lumen Deum, & teipsum cognoscendi, peccatorum remissionem, dolorem de iisdem, perturbationum animi expugnationem, in litteris & pietate progressum, demum virtutes omnes, quæ Deo te reddant gratiorem. Potest autem hoc colloquium institui vel ad Deum vel ad singulas S. Trinitatis personas, vel ad Christum crucifixū. Ad B. Vir. quoq;, aliosue Sanctos patronos: imò & ad hos omnes. Schema harum omnium partium habes in Meditationibus de nouissimis.

DE ADIVMENTIS AD RECTE MEDITANdum idoneis.

PRimum est Locus *idoneus, id est, ab omni strepitu remotus, tuuat etiam, si sit obscurus.*

2. Tempus *certum & stabile, quod citra iustam causam non immutetur. Horæ autem aptissimæ ad meditandum sunt matutinæ, ante inchoata studia, vel alia negotia. Con-*

uenit

uenit autem in meditatione expendi integram horam, vel certe mediam.

3. Situs corporalis modestus & deuotus, vt genibus flexis. Quod si diu non potes, pedibus insistas, ita tamen vt ad genuflexionem paulò post redeas. Conuenit aliquando ad exemplũ Christi, maxime si magnus aliquis motus insurgat, prono corpore ad breue tempus meditari. Deniq; is situs vsurpandus est, qui plus iuuet attentionem & deuotionem.

4. Vt si quo in puncto senseris, spirituali sensu vehementius moueri, non illico transilias ad aliud, sed in eo nonnihil immoreris, donec gustui satisfeceris. Et si ante percursa tria meditationis pũcta hora elabatur, nõ sis sollicitus ad cetera progredi; poteris enim id facere sequenti vice repetitis breuiter iis, in quibus gustum spiritalem sensisti. Imo sæpe vtile est, vnam eandemq; meditationem, variato tamẽ Colloquio, repetere.

5. Quia vis Meditationis potius in excitatione affectus, quam intellectus posita est, scire debes hunc affectum ordinariè debere

bere esse leuem, quia diutius continuari potest, & capiti pectoriuè noxius non est. Quem diuina gratia adiutus facile excitabis sedula consideratione personarum S. Trinitatis, Christi, B. Virginis & circumstantiarum, non verbis, sed cordis affectu dulciter eos alloquendo. Quo affectu angeli diuinæ maiestatis conspectu suspensi continenter canunt. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

6. Si autem Deus aliquando immittat tibi vehementiorem affectum, verbi gratia, vt prorumpant lachrymæ, humiliter eum admitte & quamdiu Deus dederit, continua. Sed hic diuturnus esse non debet, maximè si sponte à te concitatus sit, ne labatur caput. Prodest autẽ plurimum hic affectus in quibusdam casibus. 1. Si confessionem generalem de tota vita, vel de totò anno facturus optares te excitare ad cõtritionem veram & perfectam, quam Theologi dicunt valere ad expiandam omnem culpam et panam. 2. Si quando graui tentatione contra fidem, castitatem, vel vocationem pulsarére. Tertiò: Quando aduerteres te in studio pietatis

vel

vel vocationis tuæ omnino refrixisse. 4. si quando aggrediendum esset opus magnum ad Dei gloriam, multis difficultatibus implicitum.

7. Quod si contingat te inter meditandum omni gustu, solatioq; destitui: non ideo animum despondeas. Si enim tua culpa id acciderit, quia imparatus in meditationem irruisti, humilia te, culpam agnoscendo, & breui sequetur serenitas. Si verò non tua culpa, cogita permissu à Deo, vel vt diceres gustum illum, non studio nostro parari, sed dono Dei obtineri, vel vt Deus probaret, an ex puro Dei amore sanctum hoc opus, & non consolationis tuæ causa, exerceres. Itaque tempore desolationis dic. Ego non incepi hanc meditationem meam propter meum solatium, sed ex mero amore Dei; quare eandem ex eodem amore perficiam.

8. Si vero multis agiteris distractionibus nec ideò abrumpe Meditationem: sed cogita, si obrepant te inuito, nullum admitti peccatum. Tantum vbi aduerteris te distrahi, resiste illis, licet sæpius redeant:

neque

neque enim minus grata erit ob hunc laborem meditatio tua, quā si cum deuotionis sensu cā perfecisses. Prodest etiam in hac pugna prosilire ad colloquia, & submisse agnoscere te tuis viribus nihil posse: vel etiam grauiter te accusare, tanquam mortalium ignauissimum, qui nō possis etiam ad breue tempus cum Deo loqui, & illico senties auxilium diuinum.

9. Deniq; non parum ad fructuosam meditationē instituendam valet, si Deū in omnibus actionibus tuis, vt verè est, cogites præsentem: si crebro per diem iaculatorias vsurpes orationes, si libellos spirituales libenter lectites, si crebro sacram mensam confessione facta accedas, si familiaritate piorū vtare, si sensus externos, ac imprimis linguam coerceas, si caritatis & pœnitentiæ exercitia diligas, si bona proposita in Meditatione facta opere compleas.

* * *

AD SO-

AD SODALITATEM PARTHENIAM.

PROXIMA quæ superum Regi mortalia votis
Sustinet, & Stygias Virgo refringit opes,
Vos iuuenum flores, vos illibata tueri,
Atq; implenda Deo pectora ferre studet.
Ergo velut tristis quando inclementia cœli
Tabificam spargit mœsta per arua lucem:
Mater, quæ teneri insertas timet anxia nati,
Quo sese erepto viuere posse negat,
Illum adigit properè vitiatos linquere tractus,
Et fugere heu! Diuûm quas premit ira domus:
Dein procul à terris quas turbidus ingnat Auster,
Aut putris incestat desidis aura lacus,
Liberarura iubet, vel apricos visere colles,
Qua Zephyri assiduo murmure sylua strepit:
Sic illa æternam à vobis defendere pestem,
Et cupida innumeris eripuisse malis,
Heus, inquit, mea cura, quibus felicia serta,
Ex immortali plectere tendo rosa:
O tandem inuisis animos abducite terris,
Quas auida obsedit pestilitate furor.
Non opus Abarida ventos superare sagitta,
Non opus est volucri Bellerophontis equo.

Secum

Secum habitans, curisq; animũ melioribus implens,
Et Calpe fugiet longius, & Meroe.
At nunquam euadet, qui terræ affixus inerti
Contagem, & certa semina pestis amat.
Repit humi quisquis stoludi vestigia vulgi,
Non Christi & Diuum signa sequenda ratus,
Plus hominũ sannas, quam fata extrema, Rogũq;
Æternum, atq; Dei flebile Theta timet,
Si quenquam in vanas rerum, somniq; gemellis
Comperies oculos deposuisse putres:
Illum Ariadneæ pone inter signa coronæ,
Pone apud Arctoi languida plaustra senis:
Non arces ideo propius continget Olympi,
Semita Tænariæ quam metuenda specus.
At si quem Miseræ exosum discrimina vitæ,
Ad frugem & veniæ spem Metanœa vocat,
Proh: quam sublimem mortali è puluere raptum
Nectaris implebit nobiliore nota:
Seu lärga effusi mīretur Munera cœli,
Siue suo tinctum membra cruore Deum:
Siue inter sacræ mellita tragemata mensæ
Cernit ad humanæ vocis adesse sonum:
Tum forte æterni delibans commoda sæcli,
Vanarum hæc inter decipietur opum,
Ite mala pestes, dicit, diuellere quotquot
Me Domini amplexu noxia cura fuit,
Ambitio, Luxus, Sitis auri, insana Libido,
Lethi immortalis triste satellitium.

Ite

Ite Æternarum Meditatio fertilis rerum,
Me vehit, vt placidis linteа pulsa Notis.
Iam mihi decrescit tellus, quicquidq; superbum.
Fors leuibus spondet callida pectoribus.
Iam calum, calum aspicio. iam proxima vita est,
O! bene quod retro est vertere vela nefas.
Me nunc astringunt adamantina VINCVLA
Vincula non vlla dissoluenda manu. (Christe,
Hæc rerum REGINA *suis, simul indice signat*
Hoc libro tanti clausa elementa boni.
Vtimini. Auctorem meruit qua gignere vita
Exaudita, Deum spreta, dat exitium.

MEDI-

MEDITATIONES IN OMNES TOTIVS ANNI DOMINICAS.

MEDITATIO

IN FESTO CIRCVMCISIONIS, Luca 2.

CIRCVMCISVS *est puer.* Considera 1. primò summam Christi humilitatem, quod voluerit haberi peccator, cum non esset, (nam propter peccatum originale tollendum circumcisio instituta erat) nos autem cum simus peccatores, nolumus haberi. 2. obedientiam, quod legi, cui nõ erat subiectus

iectus, parere voluerit; erat enim Dominus omnium, & venerat, vt legem illam tolleret. 3. caritatem quod tam cito cæperit pro nostra salute profundere sanguinem. 4 exemplum, vt prauos affectus, & occasiones peccatorum, maximè autem pugnantium contra castitatem circumcidamus, licet sine labore & dolore id non fiat.

2. *Vocatum est nomen eius* IESVS, *quod vocatum est ab angelo, priusquam in vtero conciperetur.* Perpende, qua de causa vocetur IESVS, id est, saluator, cum permittat se circumcidi, quasi egeat salute, nempe ob nimiam erga nos caritatem, voluit, etiam cum suo incommodo, nobis prodesse, profusione sui sanguinis nos a dolore liberare & saluare: voluit non otiosè hoc nomen, licet a Deo inuentum, & ab angelo annunciatum, vsurpare, sed summo labore passionis mereri. Vnde & Apostolus
Phil 2. dicit. *Propter quod & exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Secundò,* cogita quam venerandum sit hoc nomen, quippe in quo *flectuntur genua cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Est enim nomen filii Dei, quatenus homo factus est. Deinde quàm suaue & salutare
Ioel 2. sit. *Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini,*

mini, ait propheta, *saluus* erit. *Tertiò*, considera te non esse de Societate IESV, nisi etiam studeas per labores & passiones fieri saluator aliorum.

Redditus est matri suæ Puer, quæ illi compatiebatur de sanguinis visa effusione. 3. Cogita primo ploraſſe puerum IESVM in circumcisione, non tam propter dolorem, quam ob causam doloris, id est, tua peccata: ocelluloſque suos conieciſſe in matrem, vt ex suaui eius aspectu aliquod caperet solatium. *Secundò*, perpende, quanto dolore maternum pectus, conſpectis lacrymis & sanguine pueruli, fuerit obrutum, quot lacrymas ipsa fuderit, dixeritque potius corde, quam ore O dulcis IESV, quid est hoc? Ante octo dies vidi te in præsepio plorantem & trementem, & hodie video te sanguinem pro mea salute profundentem O quomodo creſcit indies caritas tua.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

De tribus Magis Regibus, Matth. 2.

1. TRES *Magi Reges ad puerum Iesum adorandum venerunt, stella duce; ita attestantes.* (*Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.*) Considera primò summam caritatem pueri Iesu, qui omnes homines vocat ad salutem è vicino quidem infimos pastores per nuncium angelum; è longinquo diuites & nobiles per indicium stellæ, illos ex Iudæis, hos ex gẽtibus, & quemq; per congrua media, vt Magos peritos astrologiæ per stellam. 2. obedientiam magorum qui ad tam paruum indicium credunt, & constanter etiam in vrbe Hierosolyma coram Herode audent quærere, vbi sit rex Iudæorum natus? Vide quanto gaudio iter peragant, quantas gratias Deo agant. Expende, an tu inspirationi diuinæ tam cito pareas.

2. *Procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Considera primò, Magos supplices in terra prostratos prius adorare Christum, & deinde offerre munera: prius offerre se ipsos corpus & animã pue-

ro Iesu. quod munus longe fuit gratissimũ. Sic olim Deus primum respexit ab Abel, deinde ad munera eius Et tu quoque prius offer Deo cor & voluntatem tuam, deinde verò operum bonorũ fructus. 2. offerre aurum Christo, vt regi, thus vt Deo, myrrham vt homini mortali. Et tu tria offer Iesu, aurum caritatis, super omnia eum diligendo; thus deuotionis, omnia ad gloriã eius faciendo: & myrrham mortificationis, passiones & cupiditates frænando. Religiosus si sis, offer aurum, per votum paupertatis, omnem proprietatem refugiendo: thus per castitatem, corpus Deo consecrando: & myrrham per obedientiæ votum, voluntatem subiiciendo voluntati superioris. 3. considera, quanta consolatione puer Iesus reges data benedictione, porrectis ad osculum manibus & pedibus dimiserit. Quantoque gaudio B. Virgo & Ioseph exultarunt. *Genes.* 4.

Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam Considera Magos quia tam liberales in Christum fuere, (totos se cum thesauris suis offerendo, nihilq; de fide, obvilitatem & paupertatem parentum, detrahendo,) noua gratia per miraculũ or- 3.

nati, ne redeant ad Herodem, id est, ne malorum consuetudine damnum capiant: vt discas quando tu liberaliter te, tuaque obtuleris Deo, Deum vicissim te non derelicturum, nec passurum vt mundi societatem requiras in maligno positi, sed potius facturum, vt per aliam viam mundo contrariam, id est, paupertatis, contemptus tui, & mortificationis ac crucis tendas in regionem tuam, id est, paradisum cœlestem, vnde omnes exulamus.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

De ascensu Christi in templum anno duodecimo. Luc. 2.

1. NATVS IESVS *annos 12. è Nazareth profectus est Hierosolymam.* Considera quanta deuotione B. Virgo cum Iesu & Ioseph quotannis iuerit Hierosolymam ad celebrandum Pascha, cum fœminæ ad id nõ tenerentur, minus puer Iesus. vt discas multa facere, ad quæ non teneris, & libẽter loca sancta precandi causa, licet remota, adire. *Secundò* cogita te videre puerũ Iesũ iũctis manibus, & post eum B. Virg. & Iosephũ ardẽter & multis horis orãtes. O vtinã ex illo feruẽtiũ precũ igne vna scintillula inci-

incideret in orationum nostrarum frigus.

Remansit illic nesciis parentibus Considera intimum dolorē B. Virg. quando domū repetens vesperi non inuenit suum Iesum, quē putabat esse cum Ioseph. quot gemitus ambo ediderint, quot lacrymas fuderint, nescientes quo se verterent, quia erat nox, sed nec cibum nec somnum ea nocte sumpserint. *Secundò*, cogita, cū te volueris diuino cultui dedicare, vel inspirationi diuinæ satisfacere, posse parentes, si reluctētur, eorumq; consilia deserere. Tunc enim Deo magis obediendum, quam hominib⁹. Deinde Christum aliquando, etiam piis, se, suasq; consolationes subtrahere, vt discas sollicitè eum, eiusq; gratiam custodire. *Tertio*, vide Christum in angulo aliquo templi illa nocte ardenter orantem, de die verò vel orantem, vel pia loquentem inter pueros, vel panem ostiatim emendicantē. 2. Act. 2.

Post triduum eum inuenerunt in templo, sedentem inter Doctores: & ipse illis causam morę percontantibus, respondit (Nesciebatis, quia in his, quę Patris mei sunt, oportet me esse?) Cogita quomodo B. Virgo, in reditu ab omnib. obuiis quærat de filio; eoq; cōspecto, quantū gaudiū obortū cum lacrymis, quomodo irruerit in oscula, nūc ipsa 3.

nunc Ioseph, quas querelas deposuerint. Quomodo vicissim eas solatus. Quantum Doctores illū laudarint coram ipsis. 2. disce Christum inueniri in templo, non inter cognatos & carnales homines. Disce & humilitatem, vt non pudeat alios audire, & interrogare quæ nescis.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

De nuptiis in Cana Galil. Ioan. 2.

1. IN*uitatus fuit Christus cum discipulis suis ad nuptias.* Considera primò humilitatē Christi, qui non dedignatur ire ad nuptias inopum. defecerat enim iis vinum. 2. mysterium, quia matrimonium est symbolum
Ephe. 5. coniunctionis Christi cum Ecclesia, cuius tu es membrum; vt scias, sicut post nuptias sponsa non potest amplius diuelli à sponso, sic nec tu à Christo, eoque magis, si per votum castitatis eum in sponsum elegeris. 3. scopum Christi; ideo enim adiit nuptias, vt fructum & temporalem & spiritualem iis afferet.

2. *Deficere vinum mater Christum monuit.* (*Vinum non habent*) *Et ministris dixit. Quodcunq; dixerit vobis facite.* Considera primò,

mò, sicut olim B. Virgo per suam humilitatem dicendo, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, causam dedit summo mircaulo Incarnationis, vt Deus fieret homo, sic nunc per caritatem causam dedisse primo Christi miraculo, vt aqua fieret vinum: 2. si sollicita fuit non solum de defectu vniuersali per aduentum Messiæ tollendo, sed & de particulari harum nuptiarum; sollicitam quoque fore de tuis defectibus corporalibus & spiritalibus tollendis, si eam inuocaris. 3. quod ita sit sollicita de nobis, vt velit nos etiam cooperari. Nam dicit ministris. *Quodcunque*, &c. cooperamur autem, si libenter faciamus quicquid Christus nobis inspirarit, si voluntatem nostram cum diuina in omnibus conformemus. Luc. 2.

Aquam in vinum Dominus conuertit (Et manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.) Considera hoc primum miraculum Christi, typum esse vltimi miraculi facti ante passionem in institutione S. Eucharistiæ, quando panem in corpus suum, vinumque in sanguinem cõuertit; vt discas huic potius sacro conuiuio, quam illi nuptiali profano sæpe interesse. 2. Considera te verum imitatorem

Christi fore, si ita inter homines verseris, vt aquam primo in vinum conuertas, id est, peccatores coneris facere iustos, bonos meliores: deinde omnia ad gloriam Dei, non tuam agas. Et, si aliorum sis magister, ac superior, discipulos & subditos, tua doctrina & sanctitate reddas in fide firmiores, & amore Dei feruentiores.

II. MEDITATIO.

1. DICIT *Euangelista* (*Et mater* IESV *erat tibi*) *id est*, *nuptiis*. Considera illam ibi fuisse, antequam Christus aduenisset Cur verò præuenit? nisi vt operam suã illis offerret in parandis nuptiis, & vt incitaret ad Christum inuitandum? hoc est, vt caritatem perfectam corporalem & spiritualem erga eos declararet. *Secundò*, vbi B. Virgo est, vel colitur, ibi continuó adesse Christũ cum suis sanctis: Non potest filius abesse à matre, nec magister à discipulis. Gaude ergo, si insodalit. B. Virginis verseris, vel singulari deuotione eam colas; nam certus esse debes Christum tibi cum omnibus sanctis affuturum.

2. *Dicit eis* IESVS (*implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsq; ad summum.*) Considera primo, licet miraculum ex sola Dei virtute

virtute pendeat, Christum tamen nostrum quoque conatum postulare, quamuis difficultatem nonnullam habeat coniunctã; erant enim maximæ hydriæ. deinde, conatum nostrum esse debere non qualem cunque sed perfectum. quia ministri implerunt eas ad summum. vnde vulgo dicitur. Deum nemini deesse sua gratia, si faciat, quod in se est. 2. nos habere hydrias sex implendas, animam, corpus, intellectum, voluntatem, sensus internos & externos. *thesaurum enim gestamus*, vt ait Apostolus, *in vasis fictilibus*; sed implendæ sunt aqua contritionis & lacrymarum, vt conuertantur in vinum gratiæ. *Cor enim contritum & humiliatum Deus non despicies*, ait Dauid.

2. Cor. 4.

Psal. 50.

Architriclinus dicit sponso. Omnis homo primo bonum vinum ponit, deinde quod deterius est Considera mores hominum mundi contrarios esse moribus & legibus veri spõsi Christi: illi enim primo vinum bonum suis in hac vita apponunt. i. voluptates, honores, & opes, deinde verò deterius, nempe crucẽ conscientiæ, desperationem, damnationem æternam. Christus vero commendat suis paupertatem, fletum, crucem, tribulationes in hac vita, deinde vero thesauros magnos in cœlo ac æterna gaudia. Vide tu-

3.

de tu viros malis sequi B. Augustinus certe Christum maluit quam mundum, cum diceret. *Hic vre, hic seca Domine, modo in æternum parcas.*

DOMINICA III. POST EPIPH.

De Leproso, & Centurionis seruo, Matth. 8.

1. LEPROSVS *adorato Christo dixit (Domine, si vis, potes me mundare)* Considera primò, Christum post descensum ex monte, in quo multa dixerat de dilectione proximi, iam venire ad praxim, & exercere illam: vt discas doctrinam debere respondere cũ vita. Diligere enim debemus proximũ non tantũ verbo, sed opere & veritate, vt loquitur B. Ioannes. 2. Vide quid faciat
1. 1. ep. 3. leprosus. vt imperret sanitatem. humiliat se, fidem suam magnam opere adorationis, protestatur, agnoscit, & fatetur se leprosum, solique diuinæ voluntati se committit, dicens: *Si vis, potes.* vt discas tum orationem tuam fore efficacem, si humiliter petas, & cum resignatione, vt tantum voluntas Dei fiat, siue sanus, siue infirmus esse debeas; forte enim hic leprosus si infirmus non fuisset. Christum non quæsisset.

Et extendens Iesus manum tetigit eum di- 2.
cens: Volo mundare Considera primò Christum cum verbo posset, tactu tamen voluisse eum sanare, vt doceret te non debere abhorrere à pauperibus, vel ægris, quando potes eos iuuare. S. Martinus & S. Frãciscus leprosum osculari sunt, S. Elzearius, & S. Margareta regina Scotiæ etiam pedes eis lauere. Et eadem ratione nec desistere à scelestiss. hominibus iuuandis. 2. cogita & te fieri leprosum, quando animam tuã sinis vel vno peccato mortali, vel multis imperfectionibus fœdari, & ideo te indigere etiam tactu frequenti sanctiss. carnis Christi in S. Eucharistia.

Dixit Iesus mundato. (*Vide nemini dixe-* 3.
ris, vade, ostende te sacerdoti, & offer munus.) Considera, quantopere piis cauenda sit vana gloria, quæ, sicut vmbra corpus, ita solet sequi bona opera; cum Iesus, nec timuerit se peccaturum, & potius debuerit promulgare hoc suum opus. 2. quod pudere nos non debeat peccata etiam turpissima & grauissima Confessario, vel patri spirituali patefacere, vt oratione, consilio, & imposita satisfactione, perfectè à lepra peccati liberemur. 3. bonum esse, gratum erga Deum animum, testari etiam munere

ex-

terno, offerendo illud in templo, vel gratias pro beneficiis acceptis Deo agendo. Deus enim ideo sibi cupit aliquid de tua substantia dari, vel à te crebras gratias agi, vt tibi plura dare possit.

II. PARS.

De Centurione.

1. IN *vrbe Capharnaum, Centurio dixit* IESV, *seruum suum iacere paralyticum & male torqueri.* Considera primo caritatem Centurionis etiam pro vili seruo solliciti. Et Christi humilitatem, qui non dedignatus illum, respondit, *Ego veniam, & curabo eum*, vt discas, si superior sis, etiam viles subditos non respuere; & si non sis, exemplo Christi, promptè eis, cum potes, succurrere. 1. expende, num tu quoq; sis paralyticus, primo enim seruus peccati es & passionum, si eas non expugnes. 2. iaces in lecto, si affectu sis immersus rebus mundi. 3 es paralyticus, si in peccato mortali; quia nihil potes operibus bonis mereri. 4. malè torqueris, si excruciet te in aliqua re conscientia, & nimia sollicitudo rerum temporalium.

2. *Respondens Centurio ait. Domine non sum dignus,*

dignus, vt intres sub tectum. &c. nam & ego homo sum sub potestate constitutus dicens huic. Vade & vadit. Considera, Centurionem eo ipso, quod indignum se reputat, factum dignum, vt Christus intraret non domum, sed cor eius. Vide quot virtutes hic declaret. Humilitatem, dum indignum se putat Christi præsentia. Fidem dum credit absentem verbo posse sanare. Sapientiam, dum à nemine doctus agnoscit Deum, Dominum omnium creaturarum, cui creaturæ facilius obedire ad nutum debeant, quã famuli sui sibi. O fides eximia, nõ gentilis, sed Christiani: nõ militis mũdi, sed Christi.

Christus miratus tantas virtutes in homine gentili prædixit multos gentes vbique conuertendos, filios autem regni, id est, Iudæos eiiciendos in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Considera primo Christum miratum eius virtutes, non quod ignoraret, sed vt declararet quãti faciendæ sint in eo, qui omniũ rerũ diuinarũ est ignarus. Secundo, vt discerес non attẽdere Deũ ad statũ, an Iudæus quis sit, vel gẽtilis, religiosus vel sæcularis, sed ad veras virtutes. 2. Considera, non quia Christianus, B. V. Sodalis vel religiosus es, ideo te securum de salute, sed ĩ humilitatẽ, caritatẽ, aliasq;

Centu-

Centurionis virtutes imiteris. Quo enim plura dona à Deo accepisti, hoc grauius punieris, si eis vsus non fueris.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

De sedata maris tempestate. Mat. 8.

1. DORMIENTE *Christo coorta est in mari vehemens tempestas.* Considera Christo dormiente in naui, angelos ascendisse & descendisse de cœlo, vt accidit Iacob patriarchæ dormienti in Bethel, Genes. 28. 2. licet in naui Ecclesiæ, vel Religionis cũ Christo sis, tamen ideo te non immunem fore à tentationibus dæmonis, mundi, & carnis, imò magis obnoxium. *Omnes qui* 2. Ti. 3. 1 *piè viuere volunt*, ait Apostolus, *persecutionem patientur.* 3. Christum tum dormire, & permittere nos tentari, quando nos in fide imperfecti, & tepidi in diuino seruitio sumus, vt primo agnoscamus nostram infirmitatem. 2. vt eius auxilium inuocemus. 3. vt cooperemur, & faciamus quod in nobis est. 4. vt plus mereamur certando. 5. vt consolatio sequatur maior, post superatã tentationem.

25. *Excitarunt eum à somno territi discipuli: quos*

quos de fidei leuitate arguit. (*Quid timidi estis modicæ fidei?*) Considera, quanta consolatio sit homini Catholico, vel religioso, dum scit secum esse Christum, maximè si crebro communicet: quia in qualibet tribulatione potest eius auxilium inuocare. 2. cogita meritò Christum discipulos arguere de nimio timore, & modica fiducia, quia omnes, etiam qui pij esse cupimus, in eo ferè delinquimus, quod nimis timidi simus, vt v. c. ne rideamur ab aliis, vel nimis pusillanimes, in graui tentatione superanda, nec plenè in diuina gratia confidamus; & ideo nec proficimus.

Ventis & mari præcepit, vt conquiescerent & facta est statim tranquillitas. vnde obstupentes homines dicebant. (*Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei.*) Considera, quam admiranda sit Dei potentia, quod omnes creaturæ licet rationis expertes, ac etiam furiosum mare, ad nutum obediat; solus verò homo ad imaginem Dei factus, rationis compos, obedire aliquando nolit. Hoc enim magis est stupendum, quam illud 2. quanta Dei sit bonitas, vt licet culpabiles simus sæpe & immorigeri, tamen statim atque opem eius implorauerimus, sedet tempestatem tentationum dæmonis, mũ- 3.

di, & carnis 3. considera in hoc consistere perfectionem obedientiæ creaturæ erga creatorem, subditi erga superiorem, quem loco Dei habet, vt statim nulla mora interposita obediat, & imperata exequatur.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

De bono semine & Zizaniis.

Matt. 13.

1. SIMILE *est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo.* Considera regnum Dei esse intra nos, vt dicit Christus. ager est anima nostra, quam primo aratro contritionis proscinde. 2. semen boni propositi de vita, vel vitio emendando in eam injice. 3. orationibus feruentibus & lacrymis irriga. 4. mortificatione quotidiana subijce, donec moriatur mundo. nisi enim granum mortuum fuerit ipsum solum manet. 5. in dies proficere stude, vt cum semen ad maturitatem spicæ venerit in hora mortis, illud in horreum vitæ æternæ ministris angelis colligas.

Ioan. 12.

2. *Cum dormirent homines, inimicus superseminauit zizania, & abijt.* Cogita simulatq; bonum aliquod propositum feceris, non

non defuturas tentationes illi contrarias. *Tentatio enim est vita hominis super terram,* ait Iob. Et. *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* Causa est, vt plus mereamur, & similes simus Christo multa passo. 2 cogita, eo magis tibi vigilandum, quod tres inimicos habes capitales, & insomnes, dæmonem, carnem, & mundum: Vigilabis autem, si quotidiè per examen conscientiæ notes an aliqua zizania ab illis tibi immissa sint in cor, id est, cogitationes repugnantes tuo bono proposito, easque statim eradica, ne si diutius hæreant, postea cogaris extirpare & triticum sancti propositi. 3. aduerte inimicum, vbi superseminauit, abire & deserere agrũ. hoc enim proprium est mali seminatoris, vt deserat animam, & relinquat conscientiam tristem; boni autem, vt lætam & pacatam. Iob. 7. Actor. 14.

Tẽpore messis messores zizania in ignẽ proiecere, triticũ aũt collegere in horreum. Considera, messores esse angelos, vt Christus exponit; & malos q̃dẽ zizania nostra. i. mala opera annotare, bonos verò bona, & in fine vitæ ea ꝓducere, in conspectũ æterni iudicis, vt iuxta ea iudicemur. 2. cogita, quãdiu in hac vita es, te posse esse messorẽ, quo 30

ties examinas conſcientiam, aut confiteris
1. Cor. 11. ſacerdoti, vt ſic zizania ſeminata ex corde tuo extirpes. Si enim nos hic iudicaueri-mus, non vtiq; poſt mortem iudicabimur: ſi hic illa igne pœnitentiæ combuſſerimus, ibi non coniicientur in ignem inferni.

DOMINICA LXX.

De operariis in vineam miſſis.

Matt. 20.

1. CONSIDERA, cur Eccleſia hoc die Alleluia. Gloria, & alia cantica læta omittat vſque ad Paſcha; nempe, quia dies ſunt luctus, & pœnitentiæ agendæ ob peccata toto anno, vel vita, quæ vltra 70. annos vix durat commiſſa. Cuius typus fuere 70. anni Babyl. captiuitatis. Quia autem in pœnitentia labor ſubeundus eſt, ideo de operariis Euangelium proponitur.

2. CONSIDERA operarios variis horis dici mitti in vineam à Domino; quia alij ad fidem, vel religionem initio, alij in medio vel fine vitæ vocantur. Item ad vitam æternam, alij iuuenes, alij ſenes, ſed nullus mercedem accipit, niſi ſtrenuè laboret, & perſeueret vſque in finem. 2. cogita, vineam tuam, eſſe animam tuam, vel proximi. cuius

ius cultu, vt vitam æternam merearis, 1. vites sedulo amputa, id est, superflua rescinde. Habentes enim quod edamus, & vnde vestiamur, contenti esse debemus. 2. alliga ad stipitem, id est, Christum, implorando eius gratiam, sine qua nihil possumus facere. Liga vinculis boni propositi, regularum sodalitatis, vel votis religionis, si id Deus inspirat. 3. expone soli, & libenter fer pondus diei & æstus, sciens feruorem in bonis operibus Deo gratissimum. 4. impingua pinguedine crebra confess. peccatorum, & S. Eucharistiæ. *Pinguis enim est panis Christi*, vitam sustentans in æternum. 1. Ti. 6. Ioan. 6.

Considera nouissimos vltima hora vocatos eandem mercedem accepisse cum primis, vt discas Deum profectum nostrum non metiri diuturnitate temporis, quo ei seruimus, sed ex studio verarum solidarũque virtutum, pura intentione, & zelo magno ac feruore, deinde quotidiano profectu, contemptu profundo sui & mundi, cõformatione voluntatis cum volunt. diuina in omnibus, aduersis æquè ac prosperis. Vnde videmus miraculis claros factos etiam qui breui tempore sanctè vixerunt. 3.

2. Cogita de illa Christi conclusione. *Mul-*

ti vocati, pauci electi. quam merito timere debes, nisi paucis bonis te adiungas, id est, angustam viam, de qua Matth. 7. dicitur, quod pauci eam ingrediantur, teneas.

DOMINICA LX.

De semine in terram iacto.

Matt. 13. Luc. 8.

1. IESVS *ad turbas dixit* (*Exijt qui seminat seminare semen suum*) Considera Deum, qui nos ad laborem in vineam vocat, etiá semen suum, id est, gratiam & auxilia per varia media, quo bonitatem paternam erga nos declaret, cõmunicare per pulchritudinem cœli & creaturarum, per legem scriptam in cordibus, vel conscientiis, conciones, lectionem, inspirationem, exempla, leges Ecclesiæ, regulas cuiusq; status, vim sacramentorum, monita parentum & præceptorum, morbos, bella, &c. tu vide, an omnibus vsus fueris; & si nullis, fore inexcusabilem.

2. *Et aliud cecidit secus viam, aliud supra petram, aliud in spinas.* Considera semen bonum agro cordis tui perdicta media inrectum tribus de causis posse reddi infructuerum. 1. si ad conciones, & alia media,

vel

vel non seriò attendas, vel non animo proficiendi, aut ad te pertinere non putes, aut contemnas. 2. si attendas quidem, sed cor durum & petrorsum retineas, vt nolis veteres occasiones delinquendi mutare, metu confusionis, irrisionis, vel afflictionis secuturæ. 3. si paratus quidem sis ad omnia facienda, sed animo nimium intentus sis, opibus congerendis, domesticæ rei curandæ, venationi aliisque recreationibus, studiis literarum profanis vel sacris, vt excellas alios. Hæc enim immoderata cupiditas, quasi spinæ, suffocat spiritum pietatis, vt orandi, meditandi, se mortificandi, &c.

Aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. 3. Considera primò, terram bonam esse cor bonum & optimũ; vt Christus exponit: Nihil enim gratius est Deo, quam si ei seminanti offeras cor tuum, id est, bonam voluntatẽ. Vnde Prou. 3. dicit. *Præbe fili mi cor tuum mihi.* Offer ergo, ac roga vt illud inflectat quo velit. 2. cor bonum eos offerre, qui parati sunt Dei præcepta, & Ecclesiæ seruare, ne excidant ex gratia Dei. Optimum autem, qui parati sunt non tantum declinare à malo, sed etiam facere bona, ad quæ

ex præcepto non tenentur, deinde & mala, id est, tribulationes, voluntarias pœnas, opprobria, & mortem pro Christo, sustinere.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

De Passione Christi, & cæco. Luc. 18.

1. CHRISTVS *prædixit 12. discipulis passionem suam, (& ipsi nihil horum intellexerunt.)* Considera primò ab Ecclesia hoc Euangelium proponi, vt te deterreat à licentia peccandi, quæ solet esse his diebus, cum mundus prorsus insanit & cœcus est: nihil enim efficacius à peccato retrahit, quam meditatio tam diræ passionis. 2. in transfiguratione tres tantum discipulos interfuisse, nunc verò omnes assumi, quia proprium est verorum discipulorum Christi ferre crucem & multa pati. 3. ipsos nihil intellexisse, quia carni & mundo omnino contrarium est, contemni, conspui, flagellari, crucifigi, & è luto peccati resurgere.

2. *Cæco mendico clamante, licet turba vellet eum tacere, stetit Iesus, cum duci ad se iubet, petit quid sibi fieri velit?* Considera primò, quando volueris vitam emendare, vel sanctius,

ctius vitæ genus amplecti, statim tibi reluctaturum mundum, carnem & dæmonem, sed tuum esse exemplo cæci non curare, sed fortius clamare. 2. dum persistimus in bono proposito, superatis difficultatibus statim adesse auxilium diuinum, & Christum stare, nosque ad se aduocare, licet cæci & mendici simus, id est, omni virtute destituti & peccatis obsiti, modo ex parte nostra parati simus ad sordes vitæ anteactæ, vel defectus pristinos deserendos.

Cum cæcus à Domino tantum petiisset, vt videret, mox vidit, eumq; secutus est magnificans DEVM. Considera tam bonum esse Dominum, vt beneficia sua velit nobis dare non tam secundum suam, quam nostrã voluntatem & petitionem, nempe vt sic dona sua, fiãt etiã nostra mẽrita. Vnde alibi dicit. *Petite & accipietis*, 2. cæcum non opes, licet esset mendicus, sed tantum visum petiisse: vt discas non honores, opes, voluptates petere, quia potius excæcant, sed tantum visum, id est, cognitionem Dei & tui, tuarum imperfectionum, & vanitatum mũdi, notitiam præsentiæ Dei, & nouissimorum 3. cæcum visu recepto secutum Christum, & gratias egisse, vt discas, tibi talem vitam post conuersionem ducendam.

3. Luc. 11.

dam, qualem duxit Christus, gratias sæpe agendas pro beneficiis, laudandum Deū, & alios eo pertrahēdos, sicut exemplo cæci turba hic pertracta est.

FERIA IV. CINERVM.

De ieiunio, & thesauro in cœlo. Matt. 6.

1. CHRISTVS *dixit discipulis.* (*Tu cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans.*) Considera ieiunium, aliasque afflictiones corporis etsi occultè fiant, videri à Deo in abscondito, esse illi gratas, easque remuneraturum in cœlo. 2. bona opera vt mereantur vitam æternam, debere fieri, primò humiliter, exclusa omni vana gloria, secundò hilariter, omni remota tristitia *Hilarem enim datorem diligit Deus.* tertiò ad gloriam Dei & Christi: illud enim est *ungere caput* nostrum Christū id est, vnctū. quartò, cum bona intentione, v. c. ieiunare, vt satisfacias pro peccatis, vt Christum imiteris & sanctos, vt ad orandum promptior. Hoc enim est *lauare faciem.*

2. Cor. 9.

2. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra sed in cœlo, vbi fures non effodiunt, &c.* Considera qui sint thesauri in terra, nempe

pe opes, honores, voluptates, existimatio nominis ob potentiam, eruditionem, & quicquid tolli nobis hic potest. thesauri verò in cœlo, sunt virtutes & bona opera, quæ sola post mortem nos sequũtur in cœlum iuxta illud *Beati, qui in Domino moriuntur, opera enim sequuntur illos.* 2. inde sequi multa bona opera debere te facere, quia thesaurus non conficitur nisi ex multis. Vbi vide quibus maximè thesauri in cœlo promissi sunt. nempe qui multa patiuntur propter Christum; qui omnia propter eundem relinquunt, &c. 3. *Vbi est thesaurus tuus*, addit Christus, *ibi est & cor tuum.* vt scias, te, si verè thesaurum in cœlo habes, mentem sæpius debere attollere in cœlum, & vbique Deum quasi præsentem, qui est nobilissimus thesaurus tuus, contemplari.

Apoc. 14. Matt. 5. Matt. 19.

Considera de ritu Cinerum. 1. eos fronti aspergi, ad discendam humilitatẽ cordis. Sacerdos enim dicit. *Memento homo, quia pulvis es & in pulverem reverteris:* humilitas enim reo veniam petenti in primis necessaria est. 2. benedicti sunt, vt benedictionem gratiæ cœlestis consequamur. 3. vt novissimorũ crebro recordemur. 4. vt vsq; ad cineres, i. mortem in gratia persistamus. 3. Gen. 3.

DO-

Ieiunauit. Luc. 4.

DOMINICA I. QVADRAGES.

De tentatione Christi, Matth. 4.

1. POST *baptismum secessit in desertum Christus, & ibi per dies 40. & totidem noctes ieiunauit.* Considera primò, quod post testimonium de cœlo acceptum in baptismo, quod esset filius Dei, nihilominus quasi pœnitentiæ agendæ causa in locum desertum & horridum secedat, vbi sine cibo, lecto, & tecto in silentio inter bestias, vt ait Marcus, viuens pro tua salute se afflixit: vt discas eum, qui incipit Deo seruire, debere carnem suam crucifigere cum concupiscentiis. 2. ô anima mea agnosce te esse vnam ex bestiis istis. agnosce, quoties indomito passionum tuarum impetu patientiam Christi læsaris, abiice te ad pedes solitarij Iesu, deplora, scelera tua, & osculatis eius pedibus mansuetum eius vultum aspice, si forte te respiciat.

Marc. 1.

Gal. 5.

2. *Ter ab inimico tentatus est.* (*Accedens tentator dixit ei. Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Mitte te deorsum. Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.*) Considera extremam humilitatem Christi, quod non tantum passus sit se crebrius à dæmone tem-

ne tentari (vt discas, licet sanctus sis, te nõ fore à tentatione liberum) sed etiam permiserit se à dæmone assumi, primò in pinnaculum templi, tum in montem excelsum, quod non videtur contingere nisi scelestis hominibus, vt magis, sagis, &c. Deinde quod passus sit se tentari turpissima tentatione, vt scilicet adoraret dæmonem.

(*Angeli accesserunt, & ministrabant ei.*) 3. Considera Christum post tentationem fame debilitatũ iacere in terra nuda, & vultu pallidum, accedere mox plurimos angelos, & ex compassione eum è terra leuare, congratulari ei de victo dæmone, parare magno studio mensam, vt comedat 2. cogita te videre Christum supersaxo aliquo edentem circumstantibus angelis; tibiq; ministerium angelorum affuturum, si libenter ieiunio, & aliis pœnis corpus castigaris, & tentationes mundi, carnis, dæmonisq; viceris.

DOMIN. II. QVADRAGES.

Remi-niscere.

De Cananæa filia. Matt. 15.

CANANÆA *Tyro & Sidone egressa petit filiam à dæmone sanari. Sed Christus ei.* 1. *nihil*

nihil respondit. Apostoli dicunt (*Dimitte eam, quia clamat post nos*) Considera, te si remissionem peccatorum, & gratiam Dei obtinere velis, debere. 1. societatem malorum, & occasiones peccandi deserere. 2. peccatum non excusare sed exaggerare cum Cananæa, dicente, filiam pessimè à dæmone vexari ; perstare, licet statim non exaudiare. 4. seriò Sanctorum preces implorare. 2. considera, licet Christus simularit se non audire illam, non id feciſſe quod eam sperneret, sed vt ex constantia precandi clarius eius eluceret fides, humilitas, patiētia, perseuerantia ad aliorum exemplum, & maius eius meritum.

2. *Cum adorato Christo illa petiisset se iuuari, & Christus respondisset, panem filiorum non dandum canibus, illa subdidit.* (*catelli edunt de micis dominorum.*) Considera, quomodo mulier hæc à Christo, & Apostolis repulsa, nō pudore suffusa, nec metu cōsternata sit, sed cōfidens Christi bonitati, ad eius pedes se abiiciat, dicens: *Domine adiuua me*, non dicit iuua filiam, quia se agnoscebat culpa sua morbi causam. 2. vide, quomodo Christus, quo illa magis multiplicat preces, multiplicet repulsam, & quasi iratus vocet canē & indignā. Vide & humilitatē mulieris,

ris, quod non indignatur, sed agnoscit se canē; & indignā pane integro. Et sapientiā mirā, ꝙ hoc ipsum nomen in suū cōmodū trahat, se nō panē, sed micas tātū petere, vt catelli solēt. vnde Christus stupens subiicit.

O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. O quam vere dixisti bone Iesu. *Regnum cœlorum vim patitur.* Nam mulier hæc & vim intulit sibi, humiliter & patienter ferendo tam durā repulsam: & tibi, quod vi quasi illata importunè gratiā petitā extorserit; Et scio hoc licere imitari, quia Luc. 11. docuisti, importunè etiā instandū orationi; cupis enim precibus etiam cogi à nobis pro tua infinita bonitate, vt eo maiorē impertias gratiam. nam cū illa cōtenta fuerit micis, tu tamē respōdes. *Fiat tibi sicut vis*, id est, quicquid petis à me habere, obtinuisti. 3. Matth. 11.

DOMINIC. III. QVADRAGES. Oculi.

De dæmonio muto. Luc. 11.

DÆmone ex muto & cæco eiecto, quidam dicunt, (in Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia) alij aliud signū quærebāt. Cōsidera licet tria beneficia hic collata sint, tamē ex inuidia hos pessimā in partē interpretari, illos extenuare, turbam solam mirari, vt discas inuidi & maligni ingenij esse opti- 1.

optimè facta vel malè interpretari, vel extenuare, quod pij & simplices laudant. 2. bonis operibus, vel admonitionibus aliorum, nos non fieri meliores, sed deteriores, nisi securim ad radicem ponamus, id est, nos ipsos emendemus. Sicut enim bonis etiam pessima cooperantur in bonum, ita malis optima in malum: similes enim sunt araneis dulcedinem floris in venenum vertentibus.

2. IESVS *vt vidit cogitationes eorum, dixit eis. Omne regnum in se diuisum desolabitur*, &c. Considera Christum non maledictum pro maledicto reddere, sed tantum honorem Dei rationibus quatuor tueri, vt discas, si quid contra personam tuam fiat patienter propter Deum ferre, ac non petenti etiam condonare: si autem contra honorē Dei, fidei Catholicæ, religiosi status, famam piorum quid dicatur, tunc non silere, sed defendere pro virili. Sic Moyses murmur contra se patienter tulit, sed idololatriam, quæ erat contra Deū, seuerè puniuit. Sic mulier è media turba hic Christum & matrem eius beatos clamat.

3. *Mulier de turba dixit. Beatus venter, qui te portauit. Et respondit Christus. Quinimò, Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*

illud. Considera fortitudinem mulieris, quod metu omni excluso Iudæorum calumniantium, gloriam Christi & S. matris elata voce tuetur, eligens potius contemni cum Christo, quam honorari à Pharisæis. 2. cogita Christum ob ingratitudinem aliorum mœstum, valde recreatum laude matris, & ideo omnibus aliis relictis conuertisse se ad mulierem & dixisse. Tu vocas meam matrem beatam quod me conceperit, sed ego beatiorem puto, quod verba mea audierit & custodierit, sicut & tu nunc es, omnesque qui ea audita custodiunt.

DOMIN. IV. QVADRAGES. *Letare.*

De multiplicatione 5. panum.

Iohan. 6.

CVM IESVS *monte conscenso subleuasset oculos, vidit turbam ingentem tendere ad* I. *se, rogantique de panibus respondit Andreas. Est puer vnus hic habens quinque panes hordeaceos, & duos pisces.* Considera Christum ex valle montem conscendere, vt doceat nos ad perfectionem vitæ spiritualis tendere, sed non sine labore ad eam peruenire. 2. modestiam Christi oculos semper demittentis, nec subleuantis nisi in cœlum,

& ad populum. vt discas duo maximè tibi respicienda, nempe salutem tuam in cœlo, & salutem proximorum. 3. si solo aspectu suo Christus attrahat turbam, quid faciet præsentia in Eucharistia? 4. Christum in miraculo vti ministerio puer; patria relicta dominum secuti, & quidem pauperis, quia hordeaceos habuit panes, vt scias puerorum & humilium opera Deo gratissima.

2 IESVS *gratiis actis panes 5. & pisces duos quinque millibus in fœno discumbentibus distribuit.* Considera, feruorem tot millium hominum, quod non soliciti de cibo Christum tam longè sint secuti, & summam Dei prouidentiam nunquam in se confidentes deserentis. 2. cogita, si filius Dei, dator omnium bonorum gratias agit Patri pro quinque panibus, multo magis nos viles creaturas debere corde, voce, & opere pro tot beneficiis quotidianis gratias continẽter agere. 3. vide, quanto amore panes piscesque frangat, & simplici turbæ, distribuat, memor se aliquando panem cœlestem in extrema cœna, in memoriam piscis in cruce passionis assi distributurum, qui satiet in æternum. 4. cogita illum dignè non accipi, nisi à discumbente in fœno, id est, humiliter de se sentiente, & carnem suam,

ſuam, *omnis enim caro fœnum*, ait Iſaias, mortificante & ſupprimente. 40.

Collegerunt duodecim cophinos fragmentorum. Conſidera, quando bona noſtra, ſiue temporalia, ſiue ſpiritualia, etſi pauca ſint, libenter communicamus proximo, non perire, ſed creſcere & multiplicari, vti multi magni eleemoſynarij experti ſunt. 2. maiorem fuiſſe poſt ſaturationem collectionem fragmentorum, quam panum, vt ſignificaretur indeficientia conuiuij cœleſtis in vita æterna conſecutura, vbi quiſque fragmento ſuo, id eſt, ſpeciali beatitudine ita ſaturabitur, vt nec eſuriat, nec ſitiat amplius. 3.

Iudica.

DOM. V. QVADRAG.

De immunitate Chriſti à peccato.

Ioan. 8.

DIXIT *Chriſtus Iudæis.* (*Quis ex vobis arguet me de peccato? Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.*) Conſidera, cum à Chriſto dicaris Chriſtianus, te conari debere, vt immunis ſis à peccatis ſaltem mortalibus: & ſcire potius eſſe moriendum, quam in tale peccatũ conſentiendũ. deinde deliberatò, maximè ſi religioſus ſis, nec conſentire in venialia, imò etiam cauere imperfectiones 1.

quæ peccata non sunt. 2. examina te ipsum, an verbum Dei, exhortationes pias, & inspirationes diuinas libenter audias iisque obsequaris: quia si secus fiat, non es in Dei gratia, nec in numero prædestinatorum.

2. *Cum Iudæi dicerent eum esse Samaritanum & habere dæmonium, respondit.* (*Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum Non quæro gloriam meam.*) Considera, patientiam Christi nihil respondentis de nomine Samaritani, quia tangebat contumelia personam ipsius, (nam reputabant eum indignum sua conuersatione, nō enim Samaritanis cōtebantur Iudæi, sicut nec nos nunc Iudæis, & Turcis) sed de dæmonio, quia tangebat gloriam Dei, mitissimè respondit. *Ego dæmonium non habeo* 2 considera, si Christus propriam gloriam non quæsiuit, quanto minus tu debeas Fac ergo omnia in Dei gloriam, & tunc Deus etiam honorificabit te. vnde vides quantum peccent, qui honoris sui cupidi, minimam etiam iniuriam vindicare non dubitant sanguine suo.

Ioan. 4.

3. *Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum.* Considera, hāc promissionem esse eius, qui mentiri & fallere non potest, & quidem de morte spirituali

tuali animæ. Vide, quantum Dei beneficium sit, in æternum non solum viuere, sed felicissimè viuere; taliq́ue cogitatione te obfirma, ne sermones Dei vnquam sciens transgrediare.

DOMIN. VI. QVADRAG. *De ingressu Christi in Hierusalem.* *Matth. 21.*

Palmarum.

PRÆCEPIT *primo Dominus adduci asinam & pullum (Solvite & adducite mihi: & si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos*) Considera primo, Christum pro suo triumpho vilia præparare animalia, nullo ornatu, etiam necessario, instructa, vt discas Christiani hominis triumphum & gloriam veram esse in amore contemptus sui, humilitatis & paupertatis. Pauperum enim spiritu est regnum cœlorum. 2. in ipsa humilitate simul ostendere suam potentiam, tum quod tanquam Dominus omniū, iubet bestias solui & adduci, non petita prius potestate à Domino earum; tum quod mouit cor absentis, vt sponte eas dimitteret, vt discas nihil potentius esse humilitate ad solutionem à peccatis, & Deum tibi conciliandum, vt faciat, quod petis,

1.

Mat. 5.

2. *Discipuli fecerunt, sicut præcepit* IESVS, *& positis vestibus super asinam eum desuper sedere fecerunt.* Considera primo, obedientiam perfectam discipulorum, tum quod non disputarint de mandato, an esset iustum aliena tollere, tum quod in re vili, vt ducenda asina cum pullo per plateas, paruerint. 2. simplicitatem & deuotionem erga Christum, quod ad honorandum illũ tritas vestes suas exuerint, iisque strauerint asinam. vt scias licet Christus humiliet se, nostrum tamen esse illum honorare, quantum possumus, & ideò tam splendidè ornantur omnia in templis. 3. cogita amorem Christi in nos, qui tunc finit se portari ab asina, id est, corpore nostro peccatis subito, quando absoluti sumus à vinculis peccatorum, & vestibus virtutum apostolicarum ornati.

3. *Excepturus eum populus, cum veniret obuiam, vestimentis suis, & ramis arborum sternebat viam, & canebat.* (*O sanna, filio Dauid. Benedictus, qui venit in nomine Domini, O sanna in altissimis.*) Considera tunc te vestes sternere Christi pedibus, quando bonis temporalibus succurris pauperibus per pedes Christi significatis: ramos verò oliuarum, cum opera quæuis caritatis & misericor-

sericordiæ exerces; & palmarum, cum victoriam ex tentatione reportas. Canis autem Osanna, quando eius beneficia agnoscis, laudas & prædicas. 2. considera, summum honorem hunc paulò post à populo in summum dedecus mutatum. Hodie honorant eum suis vestibus, post spoliabunt eum propriis, & illudent veste aliena. nunc colunt ramis arborum, frondibus & floribus, tunc ramis crucis, spinis, clauis & virgis: nunc acclamant, *Benedictus*, tunc ridebunt eum, conspuent, & acclamabunt, crucifigatur: nunc honorificè in vrbem recipiunt, tunc cum dedecore cruce onustum eiicient.

IN DIE PASCHÆ.

De apparitione mulieribus facta.

Marci 16.

CONSIDERA quomodo anima Christi, postquam triduo solata est S. Patres in lymbo, in sepulchrum ingressa corpus resumpserit, & summa luce illustratum, fulgentibus imprimis manuum pedumque vulneribus eduxerit, vt nobis certam spem daret nos similiter resurrecturos, si hic exuto vetere homine in nouitate vitæ ambulemus, & carnem crucifigamus

cum concupiscentiis: Passus enim est pro nobis & resurrexit, & sequamur vestigia eius.

2. *Summo mane ad monumentum profectæ sunt, Maria Magdalena, Iacobi, & Salome, inter se dicentes.* (*Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti*) Considera primo, charitatem summam mulierum. Viderant Christum in cruce expirantem, sepulcro clausum reliquerant, idem milite obsessum sciebant, nec aliud, quam incrementum doloris aspectu corporis secuturum norant, tamen extremum hoc officium illi deferre voluerunt, vt vngerent. *Verus enim amor*, ait Chrysologus, *nihil asperum, difficile, vel impossibile putat.* 2. Considera, eas, licet dubitarent, quis reuolueret tam grandem lapidem, tam pergere, quia in Deo fidebant, vt discas, etiamsi dum cepisti vitam emendare, vel mundum relinquere, difficultas in lapide pœnitentiæ mouendo occurrat, vel timor vt non perseueres in proposito, non diffidere; fidenti enim mox aderit angelus, qui remoueat lapidem, id est, omnem difficultatem.

3. *Viderunt lapidem reuolutum, & angeli dictum audierunt.* (*Iesum quæritis Nazarenum crucifixum? Surrexit, non est hic.* (Con-

sidera

sidera post Christum resuscitatum, angelum reuoluisse lapidem, & sedisse super eum, vt discas postquam semel exierimus è sepulchro peccati mortalis, debere deinceps sedere super lapidem, id est, carnem nostram comprimere, & subiugare, ne iterum nos detrudat, vel concludat in sepulchro; Christus enim ita surrexit, vt in sepulchrum non redierit. 2. considera, sepulchrum, in quo erat corpus Christi, designare altare, in quo mysterium corporis & sanguinis Domini conficitur. Vnde si dignè ad hoc vis accedere: vide vt exemplo trium feminarum odorifera virtutum aromata, & suauis vnguentum orationis tecum deferas. 3. angelica consolatione dignos, qui cum debita præparatione, & deuote corpori Christi communicant, & ad loca sacra, vbi reliquiæ Sanctorum sunt, peregrinantur.

FERIA II. PASCHÆ.

De apparitione 2. discipulis facta.

Luca 24.

CHRISTVS *apparuit duobus discipulis cum irent in Emaus, & de ipso colloquerentur, mœsti & tristes.* Considera primo, cur Christus adiunxerit se illis. Id enim fe- 1.

fecit, quod essent afflicti. De Domino enim scriptum est, quod sit cum illis, qui afflicto sunt corde. 2. quia de re pia loquebantur, nempe de ipso. promiserat enim se in medio fore, vbi duo vel tres in nomine suo congregarentur. 3. vt ostenderet se fidelem amicum piorum, qui neminem in necessitate deserat. O quoties, etiam dum pecco, Domine, non deseris me? 2. Considera eum apparuisse in habitu peregrino, vt credas tibi pia loquenti, vel agenti eum adesse, licet non agnoscas. deinde, vt discas peregrinum te esse in terra, cuius conuersatio sit in cœlo. 3. eum quærere, cur sint mœsti, non quod nesciat, sed vt ipsi infirmitatem suam fateantur, & sic rectius sanentur: sicut medicus ab ægro petit morbi causam, vt congruam faciat medicinam.

Ps. 90.

Matt. 18.

Ps. 9.

Phil. 3.

8. *Redarguit eorum incredulitatem, & mysteria passionis & resurrectionis ipsis exposuit.* (*O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*) Considera hanc reprehensionem non ex ira, vt eos pudefaceret, sed ex magno amore profectam, vt errorem suum citius agnoscerent: stulti enim erant Iudæi, quod sine sanguine putarent se redimen-

dimendos à Christo, cum legis sacrificia tam clarè id indicarint. stultior verò est seruus, qui aliam viam vult ingredi, quam Dominus. *Omnes qui pie viuere volunt in Christo*, ait Apostolus, *persecutionem patientur.* 2. Tim. 3. 2. considera, quanto cum amore IESVS medius inter istos duos incesserit, declarans illis scripturas, & simul donans lumen eas intelligendi, & cor ad fidem accendens. O quam felix fuisset anima mea, si potuisset colloquium illud audire, & videre flammas ex ore Domini erumpentes.

Cum IESVS *fingeret se longius ire, cogerunt eum manere secum; Fracto autem pane disparuit. Ipse autem subito in Hierusalem reuersi, nunciauerunt Apostolis, quomodo vidissent eum, & in fractione panis agnouissent.* 5. Considera finxisse, vt probaret eorũ amorem, & plus accenderet desiderium se retinendi, atque hac caritate mererentur illuminari, intus ardebant inter colloquium, sed fictionis folle flãma prodiit exterius, dum eum cogunt; vt discas pauperes & peregrinos rogare & etiam cogere, vt officiũ caritatis acceptent. 2. cogita Deum, cum gratiam aliquam vis impetrare, velle non tantum rogari, sed etiam cogi, pugnando, s. viriliter cõtra difficultates, nam scriptũ est

à vio-

Matt. 11. à violentis regnum cœlorum rapi. 3. perpende, discipulos non esse illuminatos, dũ Christum auditent, sed dum hospitio recepto cœnam apponerent. *Non enim auditores verbi, sed factores iustificantur.* Deinde illuminatos in fractione panis, ad ostendendam S. Eucharistiæ efficaciam.

Ro. 2. Iac. 1.

FERIA III. PASCHÆ.

De apparitione discipulis congregatis facta. Luc. 24.

1. STETIT IESVS *in medio discipulorum, & dixit, Pax vobis, nolite timere.* Considera, nunquam Christum deserere nos, quãdo in Societate bonorum manemus, sed stare medium, vt ducem inter milites, patrem inter filios, caput inter membra, vt mœstos soletur. 2. precari pacem, etiam illis, à quibus erat offensus fugiendo, quia Deus est pacis & consolationis. pacem, nõ quam mundus dat, sed quam angelus annunciauit hominibus bonæ voluntatis, pacem animæ cum Deo, cum proximo, & cum se ipso, quæ consistit in tranquillitate bonæ conscientiæ. 3. hortari, ne timeant Iudæos, qui occidere possunt corpus, sed eum, qui animam & corpus potest mittere in gehennam.

Luc. 2.

Matt. 10.

Turba.

Turbatis, quod putarent se spiritum videre, dixit. (*Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum, & ostendit eis.*) Considera, antegresso terrore Apostolos in Christi notitiam venisse, quia initium sapientiæ est timor Domini. *Sine timore* enim, ait sapiens; *nemo iustificatur.* 2. vide quantum laboret Christus, vt discipulos certos reddat de sua resurrectione: offert enim corpus suum, licet iam impassibile, videndum & tangendũ offert manus perfossas, vt incitet ad pugnam: latus, vt ad amorem sui alliciat: pedes, vt vocet ad perseuerantiam. Cicatrices retinuit, vt indicet nunquam se salutis nostræ depositurum memoriam. 2. *Eccl.* 1.

Deinde, cum adhuc non crederent, partem piscis assi & fauum mellis comedit, & reliquias dedit eis. Considera humilitatem & caritatem Christi, iam glorioſi & Regis regum, quod dignetur cibum sumere cum pauperibus piscatoribus, vt eos lucrifaciat; vt discas beneuolè & humiliter etiam cum pauperibus conuersari, si vis eos conuertere. 2. considera mysterium, assus enim piscis, fuit sacra eius humanitas assata in veru crucis: fauus autem mellis eius diuinitas sua dulcedine pascens animas electorum. Reliquiæ autem datæ sunt apostolis, & nobis 3.

& nobis, in sacramento Eucharistiæ, in quo iis quotidie verè & realiter fruimur.

IN OCTAVA PASCHÆ.

Quasi modo.

De apparitione disci. facta præsente Thoma. Ipan. 20.

1. STANS IESVS *in medio discip. dixit Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Considera, sicut Christus non est missus in mũdum, ad regnandum, sed ad patiendum, sic te, siue sæcularis, siue religiosus sis, missum ad multa patienda pro Christo, & ad magnos labores. 2. considera Dei bonitatem, quod quoad peaccata non velit aliud iudicium institui in cœlo, quam illud ipsum quod hic à sacerdotibus Apostolorum successoribus instituitur in terra. Si ergo vis effugere seuerum iudicium Dei futurum, ne reformides iudicium hominis peccatoris & infirmi, qui compati tibi potest.

2. *Post dies octo & Thomæ dixit. Infer digitum tuum huc, & vide, &c. & noli esse incredulus sed fidelis. & respondit Thomas. Dominus meus, & Deus meus.* Considera incredibilem caritatem Christi, eundem laborem pro solius conuersione Thomæ iam impen-

impendentis, quem ante pro omnibus Apostolis, vt certi essent de resurrectione, impenderat, ostendens se bonum pastorem esse, qui relictis 99. quæsiuit vnam ouem in montibus errantem. Vnius animæ conuersio despicienda non est, cum Christus pro vna paratus fuerit mori 2. attende & sapientiam, quod Thomæ non soli, vt fecerat Petro, & Magdalenæ, sed coram Apostolis apparuerit; id enim fecit, vt & Apostoli plus firmarentur in fide, & in amorem Christi magis accenderentur. 3. cogita humilitatem stupendam Christi, quod voluit manus in latus suum mitti. O quomodo arsit cor Thomæ cum mitteret eas in tam ardentem fornacẽ, & ideo in genua mox lapsus eũ adorauit, clamãs *Deus meus.* §.

Dixit Iesus Thomæ, (Quia vidisti me, credidisti. Beati, qui non viderunt, & crediderunt) Consydera, quando solatio nobis esse debeat hæc sententia, quod non minus beati simus nos, qui non vidimus in carne Christum, si in eũ credamus, quã Apostoli, qui eum in carne viderunt, & tetigerunt: & ratio est, quia vt nos credamus, maior est difficultas, ac proinde & meritũ, minor autẽ fuit Apostolis. Vñ illud Gregorij. *Fides nõ habet meritũ, vbi humana ratio præbet experimẽtũ.* *Homil. 26. in Euang.*

DO-

Miseri-cordia.

DOMIN. II. POST PASCHA.

De bono Pastore. Ioan. 10.

1. DIXIT IESVS *turbis.* (*Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis*) Considera omnes, qui curam habent aliorum, esse pastores, vt superiores respectu subditorum, patremfamilias domesticorum, magistros discipulorum confessarios pœnitentium, concionatores auditorum, & quemlibet respectu suarum potentiarum, & membrorum. 2. considera, tunc te bonum esse pastorem tui, vel tuorum, cum eos pascis & regis, verbo, exemplo, & cibo corporali & spirituali Ouem verò bonam, cum simplex es, humilis, innocens, obediens, vtilis in omnibus aliis, & patiens in aduersis. 3. tunc animam tuam ponere pro ouibus, quando contra lupos, mundum, & dæmonem oues tuas intellectum, voluntatem, sensus cohibes, ne in peccatum consentiant, & potius vis mori, quam vt peccatum mortale per visum v.c. vel tactum committatur.

2. *Mercenarius autem, & qui non est pastor, viso lupo dimittit oues & fugit.* Considera, tunc te esse mercenarium, quando in actionibus tuis bonis, vt concionibus, lectionibus,

bus, frequentatione templi, quæris mercedem temporalem, vel gloriam, nō Dei, sed mundi, vt magnificas scilicet. 2. quando lupo veniente, id est, tentatione carnis vel mundi orta, non resistis, non castigas vel mortificas carnē ieiunijs, cilicijs, vigilijs, sed fugis omnem pœnitentiam, & finis oues tuas vinci à malo tentationis & deuorari 3. cogita te amittere nomen pastoris & Domini, quia oues potius dominantur tibi, quam tu illis *Qui enim peccat, seruus est peccati*; ac proinde & carnis suæ, à qua per peccatum spiritus vincitur. *Ioan. 8. Gal. 5.*

Ego cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, quas oportet me adducere. 3. Considera bonorum pastorum esse cognoscere & diligere oues, cognosciq; & diligi ab ouibus. itaq; bonum te tui pastorem fore, si bene cognoueris te ipsum tuarumq; virium imbecillitatē, imperfectiones & lapsus quotidianos, in eosq; per examē inquisieris: tūc aūt te agnosci & diligi ab ouib. tuis, id est, potentiis animi & corporis, quādo rationi & voluntati subiectæ erunt 2. cogita, si bonus pastor esse velis, vt studeas ēt ad ouile Ecclesiæ Catholicæ adducere hæreticos, & infideles doctrina, & exemplo vitæ sanctæ.

Iubilate. DOMIN. III. POST PASCHA.

Modicum & non videbitis me. Ioan. 16.

1. DIxit Iesus discipulis. *Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.* Considera Dominum hic prædicere passionem suam, qua Apostoli fugerunt; & resurrectionē, post quam iterū eū viderūt: solet enim Dominꝰ ideo tristia prædicere, vt iacula præuisa minus feriant, & mox addere læta, ne tentationi succumbant. 2. bonis & pijs primum nunciari & euenire tristia, postea autem læta & iucunda: contra verò malis & mundanis, priùs iucunda, tum tristia. peccatores enim consolationem suam quærentes in hoc mūdo, post ardebūt ignibus sempiternis. pij verò qui hic persecutionem patiuntur, postea gaudebunt in cœlo in æternum.

2. *Cognoscens Iesus, quod vellent interrogare, quid sibi vellet.* Modicū, &c. *Amen*, inquit, *dico vobis, plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, sed tristitia vestra vertetur in gaudiū. sicut mulieris tristitia, post editum partum.* Considera Domini bonitatē nos præuenientis, quando bonā habemus voluntatē aliquid petendi. 2. officiū pij hominis in hac lacrymarū valle, dum Dominū non vide-

videmus, esse, flere & plorare, potius, quam gaudere, idq; triplici de causa. 1. propter peccata, quia illis Christum fugamus & crucifigimus, 2. propter tentationes continuas à carne, mundo, dæmone. 3. ob passionem Christi, dū de ea meditamur. Omnes enim hæ tristitiæ vertuntur in gaudium, quia salutem stabilē operantur, teste Apostolo 5. modicam esse tristitiam nostram, quia tēpus huius vitæ ita breue est vt vmbræ, vapori, & momento cōparetur in Scriptura. 2. Cor. 7.

ITERVM *videbo vos, & gaudebit cor vestrū, & gaudiū vestrū nemo tollet à vobis.* Considera pro breui & momentanea tribulatione, si patienter eam sustineas, te recepturū à Deo, non consolationem solum & gaudium, sed etiam regnum æternū. nam dicit Paulus. *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. è cōtrariò mundū pro breui & momētanea consolatione, quā habet in peccato mortali, excruciandū pœnis æternis, vnde Iob ait. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et Abraham ad epulonem. *Fili recordare, quia recepisti bona in vita, & Lazarus similiter mala. nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* 3. 2. Cor. 4. Iob. 21. Luc. 16.

DOMIN. IV. POST PASCHA.

Cantio. *Vado ad eum qui misit me.*
Ioan 16.

1. DIXIT IESVS *discipulis. Expedit vobis, vt ego vadam ad Patrem. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos.* Considera Christum prænunciare glorioſam ſuam aſcenſionem in cœlum, & ſpiritus ſancti, poſt eam, miſſionē, (nempe in viſibili forma, & pleniore abundantia) vt diſceres, ſicut ille poſt paſſionem glorioſo corpore & anima aſcendit in cœlum æterna felicitate cum ſanctis ibi fruiturus, ſic te, ſi ſanctè vixeris, & pro Chriſto multa paſſus fueris, corpore & anima aſſumendum in cœlum. 2. vt accipias magnam gratiam Spiritus ſancti, debere te animum abſtrahere à lacte materno, hoc eſt conſolationibus ſpiritalibus, quas ſolet Deus initio conuerſionis tyroni concedere, & parare te ad deſolationum crucem ferendam: ideo enim Chriſtus diſcipulis carnalem præſentiam ſuam ſubtraxit, vt Spiritus ſancti gratia, qua cum gaudio etiam dura ferrent, fruerentur.

Spirâ-

Spiritus sanctus arguet mundum de pec- 2.
cato, iustitia & iudicio. Considera, hoc fuisse signum aduentus Spiritus sancti in Apostolos, quod cum ante timidi essent, & ad vocem ancillæ cũ Petro terrerentur, metu omni remoto Christum prædicarint, & mundum, id est, malos homines audacter arguerint: Primo de peccatis, quod cõuerti nollent. Secundò de iustitia, quod crederent quidem, sed vitam non agerẽt sanctam & irreprehensibilem, hoc est, verè iustam. tertiò de iudicio, quia nulla re facilius peccant homines, quam temerè iudicando de aliis. Vnde Christus. *Nolite iudicare & non iudicabimini.* Cogita in te quoque fore Spiritum Dei, si mundum de his argueris.

Adhuc multa habeo dicere vobis, sed non 3.
potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Considera Dei bonitatem, non plura nobis imponentis, quam ferre possimus, & ad captum omnium se accommodantis: quod non facit caro & mundus, plura sæpe exigens à suis, quam portare queant. 2 cogita, quãuis multum nobis profeciſſe sæpe videamur, tamen multa adhuc deesse. 3. quanti te faciat Christus, quod non so-

lum seipsum totum, id est, corpus, animam & sanguinem, sed etiam spiritum sanctum suum promittat, mãsurum tecum in æternum, ne erres, vel labaris.

Vocem Iucund.

DOMIN. V. POST PASCHA.

Orandum esse Patrem. Ioan. 16.

1. IESVS *dixit discipulis* (*Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*) Considera, quantopere Christus exoptet colloquiũ hominis spirituale, quod fit per orationem, sic vt & præmiũ promittat cũ maxima asseueratione, nempe se daturum quicquid petitur. Longe alius est mos Principum huius seculi, qui ad colloquium suum non solum alios non inuitant, sed neminem ad illud admittunt, nisi diuites, & quidẽ ab aliis multis rogati. Argue & tuam cæcitatẽ, quod pluris facias sæpe colloquium cum Principe terreno, quam cum cœlesti.

2. *Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Considera hinc colligi, quid petendum sit tibi à Deo, nempe vnde haurire possis gaudium plenum & perfectum. cum ergo gaudium perfectum & solidum nõ sit in bonis huius mundi, diuitijs, honoribus, volu-

voluptatibus aliisq; caducis rebus & temporalibus vtiq; petenda non sunt, sed tantum bona æterna, hoc est, salus nostra, & quæ ad illa nos deducunt, vt Dei gratia, solide virtutes, humilitas, caritas, patiẽtia, &c. aliaq; excellẽtia dona: dedecore enim afficit magnum Principem, qui exigua dona ab eo postulat.

In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis; ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis. Considera optimam rationem orandi esse petere à Patre cœlesti aliquid nomine Christi, vel per passionem & merita Christi, quia id indicat his verbis, Patri perinde esse, ac si Christus ipse pro nobis oraret. 2. magno solatio nobis esse debere, quod discipuli Christi tam cari sint Patri cœlesti, vt nec opus habeãt oratione Christi in cœlo; licet Christus, vt homo, etiam nunc ibi interpellet pro nobis, vt docet nõ semel Apostolus Rom. 8. & Heb. 7. & 9 imò S Ioan. 1. epist. c. 2. vocat eum aduocatum nostrum. 3.

IN FESTO ASCENSIONIS.

Marc. 16.

Christus recũbentib. vndecim discipulis exprobrat incredulitatẽ, mittit in totũ orbem 1.

ad prædicandum, promittit credentes signa facturos. Considera clementiam Christi toties quouis tempore, loco, & occasione se videndum exhibentis, vt crederent resurrexisse; dicitur enim duodecies apparuisse variis, & nunc in mēsa, vt discas quouis loco si inuocetur, nobis eum adesse. 2. nota Christum exprobrare incredulitatē, vt discas acri reprehensione dignos, qui vacillant in fide, quia fides est fundamentum totius ædificij Spiritualis, quo nutante omnia vacillant. 3. expende, apostolici spiritus & officij esse, non vno loco, sed vbique Euangelium prædicare: fidelium autem esse signa facere, id est, dæmonia eiicere, linguis nouis loqui, serpētes tollere, ægris manus imponere, hoc est, tentationes vincere, spiritalia loqui, detractores arguere, à peccatis alios auocare.

2. *Dominus Iesus assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.* Considera primo, quanta affabilitate in monte oliueti iam congregatos Apostolos, & imprimis matrem Christus sit allocutus, & benedixerit; illi autem flentes ad eius pedes prociderint, eos osculantes. 2. quomodo eleuatis manibus sensim à terra eleuatus sit, hilari & sereno vultu, corona regali ornatus, sanctorum

rum Patrum è limbo choro stipatus, cantantibus vndique angelis, Apostolisque in genua prostratis benedixerit. quomodo apertis cœlis mox innumera turba angelorũ obuia ei processerit, & ad thronum cœlestis Patris adduxerit. Vide, vt Pater filium se reuerenter inclinantem amanter complexus sit, & ad dextram suam collocarit. vt discas, tecum idem agendum, si constanter in vita pia & sancta perstiteris.

Duo viri in vestibus albis tunc dixere Apostolis. Viri Galilæi, Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, sicut vidistis eum euntem in cœlum. Considera, quomodo Deus per angelos illos statim lætis misceat tristia, vt sicut pij confirmantur in vita sancta, quando cogitant de hac Christi ascensione & gloria, ita mali deterreantur à vita praua, quando audiunt eum cum eadem maiestate non benignum, sed terribilem rediturum ad extremum iudicium. 3. Act. 1.

DOMINICA POST ASCENSIONEM. Exaudi.

Cum venerit Paracletus. Ioan. 15. 16.

DIxit Iesus discipulis: (Cum venerit paracletus Spiritus veritatis qui à Patre procedit 1.

cedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia initio mecum estis.) Considera inde constare, te vel alium Spiritum Dei habere, si, nempe, sit paracletus, id est, cõsolator afflictorũ, verboq; & opere misericordiæ viscera miseris ostendat. 2. si veritatis ita sit amans, vt etiã mendacia iocosa & officiosa, omnesq; fictiones horreat, non aliud corde, aliud ore loquatur, omnis doli expers. 3. si exemplo Apostolorũ posito omni metu, vbiq; veritatem fidei à S. Patrib. acceptã, pro talẽto accepto, dum occasio tulerit, cũ zelo tueatur, nec patiatur iniuriosum aliquid dici in Christũ, Sãctos, Ecclesiã & Christi Vicariũ.

2. *Hæc locutus sum vobis vt non scandalizemini. Absq; Synagogis facient vos.* Considera summam solicitudinem & amorẽ Christi in discipulos, tam sedulo & crebro eos monentis de futuris persecutionibus, & odio summo Iudæorum in eos secuturo, ne ideò vacillarent in fide, vel cogitarent se à Christo deceptos. Vt discas, si quãdo alios vel docebis, vel eorũ curam geres, omnem laborẽ impendere, ne à fide, vel à sancta vita inchoata deficiant. monere et ã, propriũ piorũ esse multa pati, idq; Deũ permittere, vt maior illis cedat corona in cœlo.

Venit

Venit hora, vt omnis qui interficit vos arbi- 3.
tretur obsequium se præstare Deo. Considera, sicut infideles & hæretici putãt se rem gratissimam Deo facere, si occidant Catholicos, cum faciant ingratissimam. ita te velle tendere in contrarium, & petere gratiam à Deo ita proficiendi, vt possis aliquando sanguinem data occasione pro fide Catholica profũdere, quod cõstat sacrificiũ Deo esse gratissimũ, vt Christus in hoc ipso sermone Ioã. 15. declarat dicẽs. *Maiorẽ caritatẽ nemo habet, quam si animam ponat pro amicis suis.*

IN FESTO PENTECOSTES.

De missione Spiritus sancti. Act. 2.

DVM *complerentur, ait S. Lucas, dies Pen-* L.
tecostes erant omnes (Apostoli, B. Virgo & alij) pariter in eod loco. Considera, quã ardẽtes fuerint die quinquagesimo, B. Virginis, & reliquorũ 120. preces, imò Christi in cœlo, qui promiserat se rogaturum pro illis; quanta ipsius Spiritus sancti, qui est ipse amor, propensio, vt totũ se effunderet pleno copiæ cornu in illos innumerabilib. gemitibus à mane vsq; ad nonã horã interpellãtes. 2. quomodo tandem patefactis cœli

cata-

cataractis se cum ingenti vento, tonitru, imbre, luce igneque effuderit, omnesque mox incredibili gaudio gestierint, & igne interno accensi in Dei laudes eruperint. 3. cogita ideo Spiritum sanctum non potuisse diu ab illis abesse, quia pariter erant in eodem loco non solum, sed cor vnum & animam vnam habebāt: Spiritus sanctus enim vti est amor & vnio Patris & filij, ita non potest non amare vnionem.

2. *Factus est repente de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes.* Considera proprium esse Spiritus sancti nō tardè, sed repentè omnia facere. repentè creat animas, vocauit Apostolos, cōuertit Paulum, latronem, S Antonium. *Nescit tarda molimina*, ait Ambrosius, *Spiritus sancti gratia.* 2. vehementer cum sono agere. Post ventū magnum solet sequi, tonitru, fulgur, pluuia. Sic Spiritus sanctus mouet corda ad contritionem, lacrymas, clamorem, pœnitētiam. 3. totam animam, intellectum, voluntatem, potentias cæteras replet, quando vacuæ sunt aliis terrenis desideriis. 4. requiescit super humilem, & quietum Isai. vlt. habentem pacem in conscientia sua, & quasi sedentem.

In c. 1. Luc.

Et

Et apparuerunt dispertitæ linguæ super sin- 3.
gulos tanquam ignis, & ceperunt loqui variis linguis. Considera, sicut quando domus intus ardet, ignis erumpit per feneſtras & tectum, sic, quando cor Apostolorum erat accensū Spiritu sancto, ignis erupit per capita eorum; quia Spiritus sanctus, sicut nec ignis, potest esse otiosus. vt discas, non habere te Spiritum sanctum, nisi quando bonis & sanctis propositis animi, respondent opera. Bonus enim homo de thesauro cordis sui profert bona ait Christus Luc. 6. Et ideo Apostoli igne illo accensi, nō amplius timuerunt, sed egressi cœnaculo palam omnibus Christum annunciarunt, ita vt putarentur ebrij.

II. MEDITATIO DE EVANG.
Si quis diligit me. Ioan. 14.

CHRISTVS *dixit discipulis. Si quis diligit* 1.
me, sermonem meum seruabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Considera miram caritatē Christi, imo totius S. Trinitatis erga nos, licet peccatores & indignos; quod pro exigua dilectione nostra, vicissim velit nos diligere, ad nos quasi cœlo re-

lo relicto venire, nobiscu colloqui, cõuersari; & manere, modo à peccato mortali, quo solo repellitur, abstineamus. 2. incredibilẽ cæcitatẽ nostrã, quod tam facile sermonẽ & mandata eius, cũ grauia non sint
1. Io. 5. teste S. Ioãne, præuaricemur, & calce quasi S. Trinitatẽ ex domo cordis nostri eiiciamus. cum nõ solũ mandata, sed etiã consilia omnia Christi præstare deberemus, vt gratiam tanto beneficio rependeremus.

2. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Considera pacem nato Christo nunciatã ab angelis, nunc verò testamenti loco eam Christũ relinquere discipulis, & post resurrectionẽ eandẽ illis congregatis precatũ. q̃a pax est genuinus effectus caritatis Dei & proximi, ex qua tota lex pendet & prophetæ. 2. Christum relinquere pacem, non mundi, neq; carnis, sed Dei & Spiritus, quæ triplex est. Vna cum Deo, quando cauemus peccata, quæ sola faciunt nos Deo inimicos. Altera, nobiscum, quando caro obedit rationi & spiritui, & conscientia est quieta. Tertia cũ proximo, quando iniurias nobis factas ignoscimus. eiq; facimus, q̃ nobis factũ vellemus. Mũdi pax est cõtraria

3. *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet*

habet quicquam. Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Considera, principē mundi, id est diabolum, qui est princeps omnium malorum nihil potuisse contra Christum, quia nullum in eo peccatū fuit, vt discas eundem minus iuris habere in te, quo purior à peccato fueris. 2. nota Christum loqui de mandato quod habuit redimendi nos per passionem: tantus enim amor fuit in illo obedientiæ, vt non solum voluerit pati pro nobis ex caritate, sed etiam optarit id sibi mandari. Vnde S. Bernard. ait, eum perdidisse vitā, ne perderet obedientiam. *Ad mil. templi c. 13.*

FERIA II. POST PENTECOST.

Sic Deus dilexit mundum. Ioan. 3.

IEsus dixit Nicodemo. (*Sic Deus dilexit mū-* 1.
dum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.) Considera non vulgarem, sed ineffabilē fuisse dilectionē Patris erga nos, quod dederit nobis filiū suū. primò enim hoc ipso dedit donum infinitū, & quo maius dare nō potuit, quia dedit Deū, imò seipsum 2. ita dedit vt nō tantū homo haberet Deū; sicut angeli sancti habent Deū,

sed

sed etiam homo fit factus Deus, omnipotens, sapientiæ & scientiæ infinitæ in Christo. 3. dedit eum mundo, id est, hominibus peccatoribus, suis inimicis. 4. dedit illis, vt pœnas quas luere debebant pro peccatis, in se susceperit, vt paupertatem, famem, sitim, flagella, mortem turpissimam. Quomodo autem tu tantum amorem rependes?

2. *Non misit Deus filium suum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Considera immensam Dei clementiam & bonitatem, vt cum omnes homines à principio mundi nascantur in ira Dei, æterna damnatione digni, & inimici Dei, tamen nevnum quidem velit perire, & iudicari, id est, damnari, sed omnes cupiat saluari, & reuera primum autorem peccati Adamum protoplastum à salute non exclu serit.

3. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem erant enim opera eorum mala.* Considera, quod tam multi homines in mundo è tenebris, id est à peccatis infidelitatis, & aliis non emergant ad lucem, id est, credant in Christum, vel Catholicam fidem suscipiant, non ex Dei voluntate accidere, quasi aliquos re-

pro-

probarit, vel sufficientia ad salutem auxilia non dederit, sed ex peruersa voluntate ipsorum, quia amant magis vel hæresin suam, vel pristinum viuendi modum. 2. considera, hominem esse causam sæpe impœnitentiæ, vt non resipiscat, quando tam diu se assuefecit malis operibus, vt callum obduxisse videatur.

FERIA. III. PENTECOSTES.

Ego sum ostium. Ioan. 10.

DIXIT Iesus discipulis. *Qui non intrat per ostium, fur est & latro: qui autem intrat, pastor est ouium.* 1. Considera, ostium esse Christum eiusque doctrinam & vitam. ouile esse Ecclesiam, religionem, vel sodalitatem aliam piã, oues esse subditos vel discipulos, qui ab alio reguntur vel docentur, qui debent esse simplices, humiles, obedientes, & amore sociis coniuncti. Pastorem esse superiorem præfectum, magistrũ. Fures & latrones, mundum, carnem & dæmonem, qui per ostium non intrant, quia docẽt cõtraria doctrinæ, & vitæ Christi, vt occidãt animã & trahãt ad æternã perditionẽ.

Pastori ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, 2.

& educit eas, ante eas vadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. alienum autem fugiunt, quia non norunt vocem. Considera, quę sint proprietates boni pastoris. 1. vt ostiarius, id est, Spiritus sanctus ei viam aperiat, non caro, non gloria vel vtilitas propria. 2. vt subditi ei obediant 3. vt norit eas extrinsecus & intrinsecus, audiendo cõfessiones, ad se vocet, & alloquatur. 4. vt educat ad pascua concionum, frequentationis sacramentorum. 5. vt exemplo vitæ sanctæ præeat. 6. vt eius doctrinam subditi probent. 7. detestentur contrariam hæreticorum, mundi, dæmonis.

3. *Ego sum ostium, per me, si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Fur non venit, nisi vt furetur, & perdat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Considera, tunc te fore optimam ouem in ouili, si doctrinam, vitam & passionem Christi sedulo expendas, & in omnib. imiteris, siue n. per eam ingrediaris in ouile, vt quiescas, & orationi ac contemplationi diuinarũ rerũ vaces cũ Magdalena, siue egrediaris cum Martha ad iuuandũ proximũ, vberrima pascua inuenies, quibus reficias spiritũ 2. si autẽ aliunde, i. obsequendo suggestionib. dæmo-

nũ

nis, carnis, sociorum malorum irrepas in ouile, spoliaberis omnibus donis, & gratiis, & insuper in anima perderis, quia illi, sunt fures & lattones.

IN FESTO S. TRINITATIS.

De Nicodemo & regeneratione.

Ioan. 3.

NICODEMVS *princeps Iudæorum cognitis miraculis Christi, nocte eum adiit, instruit ab eo desiderans.* Considera, bona fortunæ non esse magnificenda, cum hunc Nicodemum nobilitas generis, & doctrinæ præstantia (erat enim Pharisæus) impedierint, quo minus palam auderet sequi Christum. 2. nota sapientiam Christi, neq; ruditatem eius (quia ex signis factis collegit Christū tantum esse prophetam,) neq; timiditatem statim reprehendentis, sed, post detectam maiorem ignorantiam, cum dixit: *Tu es magister in Israel, & hæc ignorans?*

Dixit ei Iesus. (Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.) Quod natum est in carne caro est; & quod natum est ex spiritu spiritus est. Considera, Christum præcipua fidei capita hic tradere illi vt de baptismo, S. Trinitat. (nominat n. patrē, filiū, & Spiritū sanctū)

de pœnitentia, de incarnatione, de signo crucis & passione, de ascensione in cœlum, de vita æterna. 2. considera te, sicut dum esses infans, non potuisti saluus fieri, nisi per baptismum renascereris ex aquæ elementaris ablutione, & gratia Spiritus sancti; sic neque nunc, postquã relapsus es vel in vnum peccatum mortale, posse te venire ad regnum Dei, nisi renascaris & renoueris per pœnitentiam ex aqua lachrimarum, i. contritionis, & absolutionis sacerdotis, qua confertur gratia Spiritus sancti. Deinde nisi secundum spiritum, & non secundũ carnẽ deinceps vitam instituas. *Quod enim est ex spiritu, spiritus est.* Si spiritu *viuimus*, ait Apostolus, *spiritu & ambulemus.*

Gal. 5.

Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum non pereat. Considera Christum loqui de sua crucifixione futura: nihil enim sæpius vel clarius præfiguratum vel prædictum à prophetis fuit, quã Christi passio. & ideo Eunuchus reginæ Candacis intellecto loco Isaiæ de passione, mox conuersus est, & à Philippo baptizatus. 2. expende, cur Christus in extrema cœna, Eucharistiam etiam confici voluerit in cõmemorationẽ suæ passionis, nisi vt discas, nihil

3.

Act. 8. Is. 53.

nihil æquè ad conuersionem peccatoris, & vitam sanctam instituendam, ad pœnitentiam, ad gratias continenter Deo agendas posse mouere, ac meditationem crucifixionis Christi. Nec mirum, quia per illam omnes prophetiæ impletæ sunt, & ideo dixit. *Consummatum est.* 3. considera, vocem *oportet*. nec enim tantum oportuit, quia prædictum fuit, sed quia ab æterno ita filius Dei decreuerat, & Pater vt fieret, ex mero amore in nos, mãdauerat. O incredibilẽ S. Trinitatis erga nos indignos amorẽ. *Ioan. 19.*

MEDITATIO II.

De mysterio S. Trinitatis.

CONSIDERA cur Deus mysterium S. Trinitatis, & alia nonnulla, vt Incarnationis, Eucharistiæ, resurrectionis, noluerit à nobis intelligi, imo etiam rebus creatis naturales quasdã indiderit proprietates, quæ nullo ingenii humani studio capi in hac vita queãt. Nimirũ, ne si omnia caperemus, animo plus æquo extolleremur; & exẽplo Luciferi, cũ suis, nimiũ de scientia elati, in barathrũ rueremus. vt essemus humiles, & ignorantiã cõfiteremur; vt cognoscceremus nos ipsos, vt captiuãdo intellectũ plus subiiceremur Deo, soli illi tribu- 1.

endo scientiæ, omniúq; rerũ gloriã, illaq; subiectione, credẽdo illi plus mereremur, sicut meruit Abraham: qui quo minus scire studuit, quid præciperetur, vel cur, hoc gratior Deo effectus est.

Hebr. 11.

2. Considera quid credendum sit de S. Trinitatis mysterio, nempe tres esse in diuinis personas, re inter se distinctas. Patrem, filiũ & Spiritũ sanctũ; vnã vero numero naturã Deitatis, ac similiter vnam omnipotentiam, æternitatem, immutabilitatẽ, immensitatem, maiestatem & gloriam, intellectum, voluntatem, sapientiam, bonitatem, & cætera, quæ in Symbolo Athanasii habentur. Quare tota Trinitas potest dici, Vnus Deus in natura, omnipotentia, &c. & Trinus in personis. Vnde discis, quãti faciẽda sit bonorũ societas, nam Deus cũ natura vnus sit, tamẽ societatẽ habuit plurium. 2. societatem eo perfectiorem esse, quo maior inter socios est vnio. Vnde in prima societate Christianorũ post acceptũ Spiritum sanctũ tanta erat vnio, vt omniũ esset cor vnũ & anima vna. At in Trinitate, nõ est solũ intellectus, volũtas, potẽtia, sapiẽtia, bonitas, sed etiã natura vna.

Act. 4.

3. Considera omnes homines creatos esse ad imaginẽ & similitudinẽ Dei, & S. Trinitatis

ratis, quia in omnibus vna est anima spiritualis, & tres spirituales potentiæ, intellectus, voluntas, & memoria, imò in omnib. creaturis vestigium relucet S. Trinit. In omnib. enim est aliqua natura, vis vel potentia, ac operatio. Et quod eo plus est & mirabilius S. Trinitas existit, in omnib. creaturis etiam vilissimis secundũ essentiam, præsentiam & potentiã, & nisi esset, omnes in nihilum reciderent. *in Deo enim viuimus, mouemur & sumus*, vt dicit Apostolus. Quod certe non facit, nisi quia intimo amore omnes creaturas, quatenus bonum aliquod in illis est, prosequitur. Cur ergo vicissim non amabimus, non cõplectemur creatorem S. Trinitatem? Act. 17.

INFESTO CORPORIS CHRISTI.

Ioan. 6.

DIXIT *Iesus turbis. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Considera ineffabilem filii Dei amorem erga hominem. primò factus est homo, vt in vnam hipostasin se illi vniret. Deinde vt singulis hominibus esset arctissimè

coniunctus, excogitauit, carnem suam dare nobis in cibū, & sanguinē in potū. quid autem coniunctius tibi potest esse cibo, cū in substantiam tuam mutetur? 2. nobilitatem huius cibi, nec enim in Eucharistia datur nobis panis de furno, nec panis angelorum manna, sed verè caro Christi, imo totus Christus cū carne, sanguine, anima, diuinitate, & immortalis, vti nunc est in cœlo 3. delitias eius. nam si manna mutabat saporem iuxta cuiusque voluntatem, quid erit in hoc, cuius manna fuit vmbra? In Christo fuere omnes thesauri sapientiæ, ergo & delitiarum.

2. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Cō-sidera eximium sacræ communionis fructū, nempe, vt sicut palmes viti, & mēbra corporis capiti, sic homo adhæreat Christo, & ab eo, sicut mēbra à capite, vitam, nutrimentum, motum & alia auxilia accipiat; imo vt sit velut spongia missa in magnum vas aquæ, vt enim illa intus & extra abūdat aqua; ita qui Christi sanguinē bibit intus à Deo repletur, & foris à Deo protegitur, quia in Deo manet, & Deus in ipso. Ac talis homo meritò nihil cogitare deberet nisi Deū, sicut qui in medio mari est, nihil videt vndique nisi mare.

Non

Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Considera hic modum, quoad dignam communionem parare te debeas. nempe, vt neq; cum nausea, neq; cum murmure, neq; ex consuetudine, neq; coactus ad illam accedas, hæc n. in veterib. sumentibus manna arguuntur, sed magno desiderio & fame imbibendi Spiritum Christi. Quo enim maiori cum fame & siti accesseris, hoc melius sapiet cibus. cibus aũt, quo magis sapit, hoc magis nutrit. 2. Considera, nullã aliã causam ariditatis tuæ, & paruũ profectus in virtute esse, quam quod non accedas cũ hac sancta fame; qui n. dignè accedit, viuet in æternum, i. semper proficiet, & melior euadet. 3.

DOMINICA I. POST TRINIT.

De diuite & Lazaro. Luc. 16.

DIXIT *Iesus turbis. Dives splendidè viuens & nihil mendico conferens, mortuus est, & sepultus in inferno.* Considera diuiti nullum nomen dari, quia impiorum nomina delentur de libro vitæ; & nulla eorum post mortem etiam in mundo remanet memoria 2. tribus vitiis eum deditum fuisse, superbiæ, quia bysso indutus, intemperantiæ; 1.

quia splendidè epulabatur quotidie; & auaritiæ, quia nec micas dedit pauperib. vt discas cauere pretiosas vestes in quocunq; statu, lautitiam in cibo, & crebram ebrietatem, deinde tenacitatem in dando aliquid egenis, vel aliis operib. misericordiæ præstandis, ne periculũ incurras damnationis. 3. fuisse sepultũ in inferno, vt intelligas, infernum esse locum sub terra profundissimum, plenũ tenebrarũ & horroris, ex quo nulla sit redemptio, vel reditus.

2. *Mendicus nomine Lazarus, vlceribus plenus ne micam quidem à diuite exorans, post mortem ab angelis delatus est in sinum Abrahæ.* Considera, nomen piorum mendicorum quos mundus non agnoscit, apud Deum in perpetua vigere memoria, sicut nunc viget Lazari in Ecclesia per 1500. annos. 2. considera, Lazarum hunc non ob miserabilem hanc inopiã & miseriã saluatũ, sed ob patientiam in ea toleranda. vnde discе amare potius paupertatem, quam diuitias, & paupertatem quidẽ voluntariam,
Mat. 5 quia pauperum spiritu Christus ipse dicit esse regnũ cœlorũ. Item vilitatem vestitus, vulgares cibos, ieiunia, aliasq; afflictiones carnis, sanitatẽ nõ pluris facere, quã ægritudinem; quia vlcera plus profuere saluti

Laza-

Lazari, quam sanitas diuiti.

Diuiti ex inferno imploranti opem Abrahã 2.
respondit. Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus mala. nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Considera, sicut nullũ bonũ irremuneratũ manet apud Deũ, sic nullũ malũ manere impunitũ, siue in hac vita, siue in futura. Deus n. est *Gen. 4.* *Ioan. 5.* iustus iudex, reddens vnicuiq; secũdũ opera sua, vt sæpe Scriptura loquitur. Quo sẽsu *Gal. 6.* B. Paulꝰ dicit, quæ homo hic seminat; alibi messurum. 2. neminem posse simul hic lætari, & alibi, vt clare hic testatur Abraham. nam diues hic lætatus, alibi cruciatur; cõtra Lazarus hic cruciatus, alibi consolatione vera fruitur. *Vnde & Dominus* dixit. *Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis.* *Luc. 6.*

DOMIN. II. POST TRINIT.

De cœna magna. Luc. 14.

DIXIT *Iesus discipulis. Homo quidam ad* 3
cœnam magnam per seruũ inuitauit multos. Considera, hominem illum esse Christum Deum & hominem, cœnã vetò gloriã cœlestem. vt enim cœna datur iis qui die laborant, sic gloria illa dabitur illis, qui strenuè in hac vita vsq; ad mortẽ pro nomine Christi sudarunt. Vnde sicut operarii post-

post laborem anhelant ad cœnam, ita nos ad illam anhelare debere. 2. dici magnam, primo ob omnium rerum copiam, delitias & satietatẽ ibi futuram. 2. ob conuiuarum multitudinem, & varietatem, id est omnes angelos & Sanctos, prophetas, Apostolos, martyres. 3. ob durationem perpetuam in omni securitate. 4. ob societatis iucunditatem; erunt n. omnes coniunctissimi, lætissimiq;, anima, & corpore splendidissimi.

2. *Et cœperunt simul omnes se excusare.* Considera triplex hominum genus se excusare. Primi sunt ementes villas, id est, qui magni, potentes, docti videri volunt. Secundi ementes iuga boum quinque, qui plus æquo opibus congerendis, vel eruditione comparanda se occupant. Tertii, ducentes vxorem, qui nimium dediti sunt carnis voluptatib. ebrietati, ludis, suo iudicio & propriæ voluntati. 2. considera felices esse religiosos, qui per tria vota hæc impedimenta tria facile remouere queunt. primũ per obedientiam, secundum per paupertatem, tertium per castitatem.

3. *Tunc iratus paterfamilias iussit seruum ex plateis, viis, & sepibus quoscunque pauperes, debiles, cœcos & claudos conuocare, imò cogere, vt impleretur domus tota.* Considera, sæpe

sæpe valde periculosum esse inspirationi diuinæ, qua aliquando inuitamur ad vitã piam & sanctam, non satisfacere, sed se excusare, quia verendum est, ne alius accipiat coronam nostram, nobis exclusis. 2. considera regni cœlestis conuiuio aptos esse *pauperes*, qui vel nihil proprium habent, vt religiosi, vel diuitias contemnunt, victu & amictu contenti, deinde *debiles*, qui suis viribus non fidunt, sed gratiæ Dei. Tum *cæcos*. qui simpliciter credunt, quod Ecclesia, & suo iudicio nõ nitũtur. Et *claudos* qui nihil boni se posse facere putant, nisi iuuentur baculo diuini auxilii ac denique *qui cogi se sinunt* i. ex alterius arbitrio & sub obedientia viuũt; qui malũt subesse, quam præesse.

NOTA.

Meditationẽ hanc paucis mutatis posse accommodari ad S. Eucharistiam, quæ cœna est, quia vesperi in cœna à Christo instituta, deinde in fine diei, id est vitæ Christi. Magna est, tum quia loco cibi & potus caro Christi & sanguinis, imo totus Christus Deus & homo manducandus proponitur, omne delectamentum in se habens; tũ quia nemo fidelis ab ea excluditur, & vsque in finem mundi vbiq; celebranda est. Excusant

sant autem se ab hac cœna superbiæ, auaritiæ, & luxuriæ dediti, id est omnes, propter hæc & similia peccata indigni. Admittentur autem humiles, qui peccata sua cõfitentur, & vitæ emendationem diuina auxiliante gratia proponunt.

DOMIN. III. POST TRINIT.

De oue perdita. Luc. 15.

1. PHarisæi & Scribæ murmurabant contra Iesum, quod reciperet peccatores & manducaret cum illis. Considera summam caritatem Christi, quod nullũ peccatorẽ quantũuis maxima iniuria ab eo affectus sit cõtẽnat. deinde ad se per pœnitentiam benigne recipiat: receptum etiam ad mensam suam admittat, & cibo corporis & sanguinis sui, velut cariſſimũ, ac cui intime deinceps velit adhærere, reficiat. 2. cõsidera malitiã Pharisæorum, qui bonitate Dei. & aliorũ bono exemplo facti sunt peiores: vt discas ingenium mundi esse, murmurare & detrahere piis, si quid boni agant, eosq; irrisionibus, aliisque modis impedire.

2 *Quidam oue vna ex centum perdita imponit eam inuentam humeris, & alios ad gratulãdum sibi inuitat. Idem facit mulier de drachma vna ex decem perdita & inuenta.* Consi-

dera

sidera, 99. oues esse nouem choros angelorum, quia superant numerum hominum: ouem perditam autem esse hominem, quã Christus inuentam, quando incarnatus est, imposuit humeris, portans iniquitatẽ omnium nostrum. & in cruce expians. Adde tantam fuisse eius caritatem, vt pro te solo perdito paratus fuerit pati. nam Paulus sic loquitur de eo. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* 2. Considera mulierem illam esse B. Mariam, quæ accensa fidei magnæ lucerna, euertit totam domũ animæ suæ, sic vt nullas habuerit peccati sordes, crebrisque precibus pulsans Dei fores tandem inuenit drachmã perditã, i gratiã concipiendi Christũ, qui hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ Dei formatũ & signatũ, liberaret à puluere peccati. Vnde archãgelus dixit. *inuenisti gratiã apud Deum.* *Gal. 2.* *Luc. 2*

Mulier inuenta drachma ad congratulandum conuocat amicas & vicinas Dico autem vobis, inquit Iesus, quòd ita gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Considera B. V. Mariã mox post conceptum Christũ per mõtana cucurrisse ad cognatã Elizabeth, illãq; ei cõgratulatã de benedicto fructu ventris, & inuẽta drachma 2. cogita, ũ Christus & mater eius

voluns

volunt, vt ſibi congratulemur, quando aliquis ad fidem vel bonam vitam conuertitur; ſi angeli gaudent, qui tamen non ſunt eiuſdē naturæ nobiſcū, quanto magis nos debemus gaudere, cum ſit noſter frater, eiuſdē nobiſcum naturæ. 3. conſidera, ex hac parabola ſequi nullum prorſus poſſe deſperare. Si enim gaudent omnes angeli in cœlo, ſi gaudet Deus, ita vt cupiat ſibi etiam ab alio congratulari, de conuerſione peccatoris, tanquam de inuēto theſauro perdito; qua de cauſa poterit quis vel cogitare de deſperatione?

DOMIN. IV. POST TRINIT.

Eſtote miſericordes. Luc. 6.

1. DIXIT Ieſus diſcipulis. *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cœleſtis miſericors eſt. Nolite iudicare & non iudicabimini. nolite condemnare & non condemnabimini.* Conſidera, hic monita valde ſalutaria præſcribi pro dilectione proximi. Primum eſt vt in miſericordia exercenda erga proximum imitemur patrē cœleſtē, qui omnibus ad ſe clamātib. aures præbet, gratiā largitur, ignoſcit, malos & ingratos præuenit, cōuertit & ſaluos facit: vt ſæpe abūdet gratia, vbi abūdauit delictū: Alterū eſt, nō iudicare illū

curiosè in mores eius inquirere, facta eius, cum dubia sunt, in malam partem non interpretari, non malè suspicari, si superior non sis; ne & tu iudiceris à Deo omnium conscio. Tertium, nec condemnare, id est, illum æterna vel temporali pœna dignum dicere, sicut Phariſæi damnabant adulteram, quam Christus absoluit. Luc. 7.

Dimittite, & dimittetur vobis. Date & dabitur vobis, mensuram bonam, &c. eadem enim mensura remetietur vobis. Considera 4. monitum de dilectione, quod est, ignoscere contra nos delinquenti. Si enim dimiserimus hominibus peccata eorum, inquit alibi, dimittet & nobis pater cœlestis delicta nostra. Quintum, est dare libenter eleemosynam aliis. Diligere enim debemus proximum non verbo, sed opere & veritate ait. B. Ioannes, Et vicissim à Deo dabitur nobis, nempe omne bonum corporale & spirituale; *mensura conferta*, id est, bona fortunæ; *coagitata*, id est, gratiæ: *superefluens*, id est bona gloriæ. Merces enim vitæ æternæ longè excedet bonorum nostrorum operum valorem.

Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? Considera hoc ad perfectionem se-

cundi moniti pertinere, vt non occupes te vnquam in inquirendis, notandis, vel arguendis aliorum vitiis & lapsibus, sed per examen quotidianum conscientiæ seuerè inquiras & animaduertas in proprios, qui sunt aliquãdo trabes, id est, mortales: quia non de alienis, sed de propriis reddemus rationem in die iudicii.

DOM. V. POST TRIN.

Christus docet ex naui Petri.

Luc. 5.

1. TVRBA *irruente Christus ascendit in naui Petri, & in ea pusillum à terra reducta sedens docuit turbam.* Considera, quanto feruore turba hæc accurrerit ad audiendum verbum Dei, nos autem non ad audiendas pias exhortationes, sed ad audiendas nugas, & noua huius sæculi pari feruore sæpe feramur. 2. Christum docere è naui Petri, vt ostendat Romanam Ecclesiam variis tempestatibus in mari huius mundi agitandam, vt virtus eius magis eluceſcat, & te idem passurum, si in ea persistas. 3. naui reductam fuisse à terra, quia doctrina concionatoris & vita non debet esse terrena, sed cœlestis.

Vt ces-

Vt cessauit loqui, dixit Simoni. Duc in al- 2.
tum, laxate retia vestra in capturam. Et re-
spondit. Tota nocte nihil cepimus, in verbo
autem tuo laxabo rete, rumpebatur autem
rete ex copia piscium. Considera, Christum in cõcione mouet corda, sed nostrum est cooperari illi, verbo & exemplo. Ducere nempe in altum, aspirare ad cœlestia, & in nullo sibi parcere ad animas lucrãda. Laxare retia, id est, diuinas scripturas breues verbis, sed laxas mysteriis, si explicentur. 2. nullum fructum ex concionibus etiam magno labore factis capi, si fiant nocte, id est, in statu peccati, ad vanam gloriam, frigidè, citra voluntatem Dei & superiorum. Si autẽ fiant in gratia & ad gloriam Dei, & superiorum nutu, maximus est prouentus.

Petro ex stupore in genua lapso, & claman- 3.
ti, Exi à me Domine, quia peccator sum, di-
xit, Noli timere, ex hoc homines eris capiens.
& relictis omnibus eum secutus est. Considera processum Petri in sua conuersione. primò cõmodat ex caritate Christo nauẽ, & recipit piscibus plenã. 2. procidit ex humilitate in genua, & cõstituitur piscator hominũ. 3. cupit exire à se Christum, & eo propius illũ Christus accedit nã relictis retib. secutus est eum, vt nunquam ab illo discederet.

deret. sic ex paruis initiis peruenitur ad summa. 2. quales debeant esse piscatores hominum, nempe humiles, & qui prius se sinant capi à Christo quam alios capiant. Deinde, qui Christi vitam & mores sequãtur contemptis huius mundi rebus, id. est, opibus, honoribus, & voluptatibus.

DOM. VI. POST TRIN.

De iustitia Phariſæorum.
Matth. 5.

1. DIXIT IESVS *discipulis.* (*Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam scribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*) Considera quanta fuerit iustitia Phariſæorum. crebro ieiunabant, orabant in templo & plateis, decimas facultatum suarum dabant, gratias Deo pro beneficiis agebant, legem in fimbriis vestium gestabant. vide an maior tua sit? 2. considera, quam magna sit Euangelicæ legis perfectio, quæ legem Mosaicam quo ad moralia non tollit sed perficit, prohibet enim non tantum externa opera mala, sed etiam internas cordis cogitationes, & affectiones prauas, quia fontes sunt malorum.

Matt. 15.

2. *Audistis quia dictum est, non occides. Ego autem*

rem dico, irascentem fratri reum esse iudicio. qui vero dixerit, raca, concilio; qui fatue, reum gehennæ. Considera in noua lege, eadem pœna digna censeri peccata interna & externa; nam non solum qui occidit, sed etiam qui irascitur in corde ira ad occisionem tẽdente, & multo magis qui verbo probroso iram eandem declarat, mortaliter peccat, licet alius alio grauius peccet, & ideo primus iudicij, secundus concilij, tertius gehennæ reus dicitur. Si quis autem ex passione irascatur, vel asperius verbum effutiat, peccatum veniale est. 2. Considera, ista peccata apud homines quidem leuia censeri sed nõ apud Deum. *Non enim via mea*, inquit ipse apud prophetam, *sunt sicut viæ vestræ, & cogitationes meæ, sicut cogitationes vestræ.* Isa. 55.

Si offers munus tuum ad altare, vade & prius reconciliare fratri à te offenso, & tunc offer. Considera caritatis fraternæ præceptum præponi cultui diuino. Quod si fieri debeat in sacrificio legis veteris, multo magis debet fieri in sacrificio Missæ, & cõmunione Eucharistiæ, quæ est sacramentum vnionis. *Vnum enim corpus sumus*, ait Paulus, *qui de vno pane participamus.* 2. nota, quod bona opera nostra, quæ tamen 3. 1 Cor. 10.

sunt Dei dona, Deus dignetur accipere loco muneris, cum tamen nihil prosint diuinæ eius maiestati.

DOM. VII. POST TRIN.

De septem panibus. Marc. 8.

1. IESVS *ait conuocatis discipulis. Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, & si dimisero ieiunos, deficient in via.* Considera, Christum consilio discipulorum vti, vt discas, siue superior sis, siue non, non spernere consilia subditorum, & simplicium, cum constet Deum respicere humiles, & sapientiam dare paruulis. 2. nota, non doctos, & potentes, sed humilem turbam sequi Christum, & quidem tanto desiderio proficiendi, vt triduo eum secuta sit, non cogitans de cibo. vt discas libenter laborare in institutione populi simplicis & puerorum, & magis anhelare ad cibum spiritualem animæ, quam corporalem, quia si ille desit, verè deficiemus in via spirituali.

Ps 18. Prou. 3.

2. *Christus septem panibus, paucisq; piscibus benedictis quatuor millia hominum pauit in solitudine.* Considera nos huius mundi viam ad æternam patriã securos transire non

ire non posse, nisi à Christo reficiamur 7. Spiritus sancti donis. Mundus enim hic desertum est, quia cogimur eum deserere, non habentes hic manentem ciuitatem; imo solitudo est, in quo nihil veri boni est, sed tantum vmbra, & vanitas vanitatum. Pauci pisciculi, sunt exempla paucorum Sanctorum. 2. considera Christum per manus Apostolorum panes distribuisse, vt scias Deum dona sua nobis per medios superiores communicare. & ideo ad eorum voluntatem & manus nobis, maximè, si religiosi simus, respiciendum est. Hebr. 13. Eccl. 1.

Saturati sunt omnes, & sustulerunt, quod superauerat de fragmentis, septem sportas. Considera liberalitatem Christi, qui ita pascit liberaliter pios, vt semper satier spiritualiter. 2. debere nos reliquias mensæ colligere, ne pereant, sed aliis quoque distribuatur, hoc est, dona spiritualia nobis à Deo collata, etiam aliis communicare. 3. si quid largiamur corporale vel spirituale aliis, non fieri nos pauperiores, sed ditiores, sic vt pro 7. panibus plura panum millia accipiamus. 3.

De falsis prophetis. Matth. 7.

1. IESVS *dixit discipulis. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Considera bonitatē & sapientiam Dei, qui tantum malum, id est, falsos Doctores tot animarum peruersores non permitteret, nisi inde maius bonum colligeret: vt discas ex quouis malo, commodum spirituale colligere. 2. per falsos prophetas non tantum intelligi hæreticos, & hypocritas, sed omnes qui carnalia & suauia obtrudunt sub specie virtutis, vt est caro nostra, mundus. & diabolus. caro enim prædicit, te non diu victurum si durè ipsam tractes, sed falso, quia sancti, qui ieiunia maxima coluere, diutissimè vixere. 3. intrinsecus illos esse lupos rapaces, quia etiamsi extrinsecus ostendant vestem ouilem, id est, promittant incolumitatem corporis, tamen quærunt intus occidere animam.

2. *A fructibus eorum cognoscetis eos. Non potest arbor mala bonos fructus facere, & ideo excidetur, & in ignem mittetur.* Considera, sicut quales hæretici huius temporis sint, opera ostendunt, vtpote quæ prorsus sunt carna-

carnalia, (cum ipsi refugiant omnia quæ carni & sanguini sunt molesta) sic etiam quales prophetæ sint, caro & mundus, ostendunt effectus, reddunt enim conscientiam inquietam, feruorem pietatis tollũt, agent tentationes carnales, creant inconstantiam in vocatione, &c. 2. expende hominem comparari arbori, quia sicut illa in terra plantata fructum cum ramis producit sursum, sic homo, licet in terra sit, conuersationem debet habere in cœlis, & fructus producere cœlestes, alioquin excidendus & in flammas æternas coniiciendus.

Non omnis qui dicit, Domine Domine, intrabit in regnum, sed qui facit voluntatem Patris, qui in cœlis est. Considera neminem ad vitam æternam venturum, nisi fidem, vel vocationem, quam profitetur opere compleat. Deus enim voluntatem suã declarauit immediate quidem in diuinis, mediatè verò in humanis Ecclesiæ, & cuiusque sacræ religionis præceptis, & statutis. 2. Deum non tam ad externas cerimonias & opera, ieiunia, cilicia, cantum in Ecclesia, quam ad cor purum respicere. *Hæc enim est voluntas Dei*, ait Apostolus, *sanctificatio vestra.* 1. Thes. 4.

De villico iniquitatis. Luc. 16.

1. DIXIT IESVS *discipulis. Diues quidam vocat villicum qui dissiparat bona illius iubetq; reddere rationem villicationis.* Considera diuitem illum esse Deum, cuius est *Ps. 49. orbis terræ, & plenitudo eius*; villicum esse quemque nostrum, quia cuiq; villam animæ, corporis, fortunarum, ingenij, doctrinæ, bonorumque aliorum naturalium & supernaturalium colendam dedit, quam si in Dei gloriam & laudem, nostram & aliorum salutem non coluimus, reddemus rationem in die iudicii, quia omnia ista nostra non sunt, sed Dei. 2. tum vocari nos à Domino, cum concionibus, morbis, bonis exemplis, internis inspirationibus monemur strictam aliquando reddendam rationem de villa male administrata, & donis Dei male expensis.

2. *Ait villicus intra se. Quid faciam, fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, debitores mihi faciam amicos detrahendo aliquid de summa debitorum.* Considera, hæc villicum, vel peccatorem dicere, postquam interius commotus est ad pœnitentiam post mortem enim cum reddenda ratio

ratio est, non erit fodiendi vel mēdicandi locus, qa nemo amplius poterit vel bonis operibus, vel precibus tūc quicquam mereri. 2. debitores esse pauperes, & omnes illos, quibus possumus pro talento nobis concredito, siue opum, siue doctrinæ & eloquentiæ, siue alio prodesse: hos enim facimus nobis amicos, cum illis liberaliter quicquid possumus vel ex facultatibus nostris, vel ex doctrina, vel alio auxilio impertimus, quia impetramus remissionem peccatorum, & amici facti meremur vitam æternam.

Et ego vobis dico. Facite vobis amicos de 9. *mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Considera, diuitias dici mammona iniquitatis, nō quod natura sua malæ sint, cum omnes creaturæ Dei bonæ sint, sed quia, Apostolo teste, *qui diuites fieri volunt facile incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desiderta multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum.* 2. quia pauperum piorum est regnum cœlorum Matth. 5. nos debere per eleemosynam, vel vnam magnam, (quam faciunt qui semel omnia dant pauperibus ingrediendo religionem) vel plures minores, à pauperibus emere regnum

1. Tim. 6.

regnum cœlorum. Vnde colligis, quanti faciat Deus paupertatem spiritus, & opera misericordiæ.

DOM. X. POST TRIN.

De fletu Christi super Hierusalem.

Luc. 19.

1. IESVS *videns ciuitatem Hierusalem, flevit super illam, dicens. Quia si cognouisses & tu.* Considera Dominū inter summos honores hoc die (Palmarum) à populo sibi delatos lacrymari de Hierosolym. excidio post multos annos futuro, vt præbeat nobis exemplum, ne rebus prosperè fluentibus obliuiscamur afflictionum proximi. 2. Cor. 12. hoc enim facit societas in vno corpore, vt si vnum membrum patiatur, compatiantur cætera 2. eum fleuisse non ob ruinam materialem vrbis, sed ob peccata, quæ causam ruinæ dederunt; vt nos quoque discamus deflere non temporalia damna, sed peccata nostra. Et recte, quia lacrymis temporalia damna non possumus resarcire. possumus autem damnum spirituale, vt eluto peccato, gratiam Dei recuperemus. 3. considera, omnia mala nostra oriri ex defectu cognitionis, nā dæmon velat oculos pec-

tos peccatoris, ne grauitatem peccati cognoſcat, ita ea ignorata in ſuum exitium ruit.

Venient dies, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt vndique. Considera id quidem ad literam intelligi de obsidione arctissima Hierosolymæ, mysticè autem de morte peccatoris. Dæmones enim morituru̇m tanto numero cingunt, vt spes vix sit euadendi. Coangustant obiectis peccatis præteritis, & futuris pœnis. Prosternũt quoq; in terrã, hoc ẽ, in desperationẽ adducunt, nec relinquunt lapidem super lapidẽ; id est, bonis omnib. quæ vnquã fecit, priuant. Causa est, quia non cognouit, *tempus visitationis suæ*. quod nõ est aliud quam tempus huius vitæ, in qua visitamur & incitamur admonitionibus, exemplis, & legibus ad officium virtutis. 2.

Christus ingressus templum eiecit ementes & vendentes, dicens. (*Domus mea, domus orationis vocabitur.*) Considera Dominum ardentibus oculis seuerè ementes & vendentes obiurgãtem, tum etiam irruentem in mensas & euerrentem, adiuuantibus discipulis, vt discas magno zelo vti, quando diuinæ maiestatis gloria vindicanda est. 2. Si domus illa veteris legis erat Dei domus & 3.

mus & orationis, in qua arca lignea seruabatur; quanto magis domus Dei & orationis erit domus nostra, in qua ipse Christus Deus & homo in Eucharistia est præsens; ac proinde in templis semper cum magna reuerentia est versandum, & orationi, non fabulis vacandum.

DOM. XI. POST TRIN.

De Pharisæo & Publicano.

Luc. 18.

1. IESVS *dixit discipulis. Duo homines ascenderunt in templum vt orarent. Vnus erat Pharisæus sic orans. Deus gratias ago, quod non sim sicut ceteri hominum, ieiuno bis in sabbatho, decimas do.* Considera, quam sit terribilis in consiliis suis Deus. Quis enim nostrum non præferat hodie pharisæum, qui tam multa bona fecit, & de iis Deo gratias agit, publicano, qui multa mala fecerat, & nihil boni? & tamen hic iustificatus est præ illo. 2. nota, in quo peccarit Pharisæus, Primo, quia censuit se iustum, quod solus Deus scit. 2. quia se laudauit: *Laudet te alienus*, ait Sapiens, *& non os tuum* 3. quia ceteros censuit iniustos, contra illud. *Nolite iudicare.* 4. quia cæteris se prætu-

Prou. 27. Matt. 7.

prætulit cum Apostolus doceat, quod in humilitate omnes superiores debeamus arbitrari. *Phil. 2.*

Alter publicanus stans à longe, nec oculos audebat ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens. Deus propitius esto mihi peccatori. Considera, quas Deus veræ humilitatis conditiones in isto notarit. primo, quod non ausus fuerit oculos ad cœlum leuare, reputans se esse nihil & quid est homo licet iustus respectu Dei, nisi puluis & cinis? 2. quia confessus est se nihil boni fecisse, nec habere, nec habiturum, nisi ex mera Dei gratia, dicens. *Deus esto mihi propitius* 3. quia non modo nulli se prætulit, sed indignum etiam censuit, vt prope alios staret. 4. quia se accusauit, vt peccatorem. *Iustus enim sui accusator est,* ait Sapiens. 5. quia & intus suam indignitatem agnouit, percutiens pectus. *Prou. 18.*

Amen dico vobis. descendit hic iustificatus ab illo, quia omnis, qui se exaltat humiliabitur, &c. Considera, quantum malum sit superbiæ respectu cæterorũ vitiorũ, vt nempe simul & semel omnia bona opera destruat; vt nihil sint, nec prosint: cetera enim vitia singulas tantum virtutes tollunt. vt ira patientiam, auaritia liberalitatem. *Luc. 18.*

Con-

Contra humilitas, etsi nulla bona, imo multa mala coniuncta habeat, omne bonum sibi conciliat. 2. considera, quam humiles deinceps esse nos conueniat, animo, verbo & opere, & propter arcanum Dei iudicium semper pauidos, nunquam de bonis operibus gloriantes, sed omnium minimos iudicantes.

DOM. XII. POST TRIN.

De surdo & muto. Marc. 7.

1. QVIDAM *adduunt Christo surdum & mutum, precantes, vt imponat illi manũ.* Considera surdum spiritualiter esse, qui aures claudit concionibus, monitionibus, & inspirationibus Dei & conscientiæ. Mutum, qui os claudit ad agendas Deo gratias, ad confitenda sacerdoti peccata, ad colloquia pia, ad iuuandum proximum. 2. si sanari velimus ab vtroque malo, non debere solum nos ipsos dominum orare, sed etiam sanctis vti intercessoribus, vt multiplicatis oratoribus facilius impetretur venia.

2. *Christus eum de turba seorsum duxit, digitos in aures inseruit, expuens tetigit linguam, suspiciens in cœlum ingemuit, & ait Epheta.*

Epheta, ac sanatus est. Considera, quibus ritibus vsus sit Dominus, vt discas quomodo & tu à peccatis curari debeas. primo enim opus est, vt prauam societaem, & occasiones peccandi deseras. 2. vt gratiam Spiritus sancti, qui per digitum in S. Scriptura, designatur, implores. 3. vt sapientiam ea tantum loquendi obtineas, quæ ad ædificationem sunt. vt enim saliua ex capite defluit, sic sapientia ex intellectu. 4. vt doleas de peccatis, & de cœlo expectes indulgentiam. 5. vt peccatum per confessionem publicam vel priuatam aperias, & opera Dei prædices: sic enim desines esse surdus & mutus. Matth. 12.

Et præcepit illis, ne cui dicerent; illi autem tanto plus prædicabant, dicentes Bene omnia fecit. Considera, primo à Christo hic nos discere, quantum studium ad conseruandam humilitatem conferre debeamus, nempe ex parte nostra bonorum operum, quæ facimus laudem & vanam gloriam fugiendo. Secundo à turba, quod grati esse debeamus pro beneficiis à Deo acceptis, & zelum habere in tuenda Dei gloria, alteriusque honore ac fama bona, nos ipsos potius aliis postponendo 2. Considera, & tecum omnia benefeciisse hacte-

nus Dominum, ideoque ab eo laudan
& benedicendo nunquam cessa.

DOMIN. XIII. POST TRIN

De Samaritano & Leuita. Luc. 10.

1. DIXIT IESVS *discipulis. Beati oculi*
vident, quæ vos videtis, multi enim re
& prophetæ ea voluerunt videre, & non
derunt. Considera, sicut beatiores proph
tis erant Apostoli, quod non solum occ
mentis vel fidei viderent Christum, sed
iam corporis: ita te quoque multis mil
bus fidelium Christi beatiorem esse, q
occasionem non habent tam multa bo
videndi & audiendi, (vt qui inter Turc
vel hæreticos viuunt) sicut tu habes: &
deo p tãto beneficio quotidie gratias ag

2. *Legisperito tentanti Christum, quid fa*
endo vitam æternam possideret, respondit,
Deum toto corde, anima, & viribus diligen
& proximum suum sicut seipsum. Consid
ra tibi quantumuis probo, nunquam de
futuros vel dæmones, vel homines, qui
nistris suspicionibus, vel vexationibus t
probent patientiam. 2. perpende, quan
perfectè, ardenter, & purè excluso om
vano amore rerum creatarum, opum, ho

norum

norum, & voluptatum, diligere debeas Deum. Deinde, an reuera proximum, id est, quemlibet hominem tua ope indigentē, siue fidelis sit, siue infidelis diligas sicut teipsum, non solū corde & verbis, sed opere & veritate, vt exigit S. Ioannes, & S. Iacob. 1. Ioa. 3. Iac 2. 3.

Legisperito quærenti quis esset proximus, Christus respondit Quidam in via à latronibus vulneratus est. Transiens illac Sacerdos & Leuita nihil iuuerunt, sed Samaritanus, infundens oleum & vinum, iumentoq; impositum duxit in stabulum, & stabulario commendauit. Considera quemlibet mortaliter peccantem incidere in latrones, nempe dæmones, & spoliari omnibus gratiæ donis, ac vulnerari etiam in naturalibus, nec posse curari, nisi à Samaritano, id est custode, Christo, qui nec *dormiens, nec dormitans custodit Israhel.* Soli enim Dei gratiæ tribuenda est hominis conuersio. Is autem peccatori non modo oleum misericordiæ suæ infundit, sed etiam vinum iustitiæ mouens ad pœnitentiam, & ita impositum corpori suo. *Deus enim posuit in eo iniquitatem omnium nostrum*, duxit, in stabulum, id est, Ecclesiam, & stabulario, id est, Ecclesiæ ministris, duos denarios, id est, potestatem sacramentum ba- Psal. 120. Isa. 53.

ptiſmi & pœnitentiæ adminiſtrandi, vt c
retur à peccatis, impertiuit.

DOM. XIV. POST TRIN.
De 10. Leproſis. Luc. 17.

1. CHRISTO *occurrente, 10. leproſi ſteti*
runt à longè, & clamarunt IESV *præ*
ptor, miſerere noſtri. Conſidera per leproſo
10. deſignari omnes peccatores, vel tran
greſſores præceptorum Decalogi, vel ce
tè qui incurabiles quaſdam retinent in
perfectiones. Vt enim leproſi ſuo fœtid
anhelitu alios corrumpunt, ita imperfec
& leues ſua conuerſatione aliis obſunt
2. vt in leproſis multa minuta & fœda c
rumpunt hulcera, & ſemper ſitiunt, ita in
imperfectis, noui ſemper defectus oriun
tur, & nullis voluptatibus vel recreationi
bus ſatiantur. 2. Conſidera, vt tales mun
dentur, debere ſtare à longè, id eſt, valde ſe
humiliare, & indignitatem ac fœditatem
ſuam agnoſcere. 2. toto corde auxilium
Dei inuocare.

2. *Chriſtus iuſſit, vt oſtenderent ſe ſacerdoti*
bus, & dum irent, mundati ſunt. Conſidera
Chriſtum mittere leproſos ad ſacerdotes,
antequam eos curaſſet, vt diſcas morbos
animi

animi non tantum confiteri Deo, sed etiã sacerdoti. Curati vero sunt in via, dum irẽt, vt discas quanta sit virtus fidei & obedientiæ, & ideo libenter inspirationi diuinæ parere.

3. *Vnus videns se mundatum, rediit, & voce magnæ supplex Christo gratias egit, & hic erat Samaritanus & alienigena.* Considera, leprosum hunc, quia gratus fuit, maiora dona meruisse, nempe sanitatem animæ, Christus siquidem ei dixit. Vade, fides tua te saluum fecit cæteri nouem, quia ingrati, anima & corpore perierunt. 2 considera vnum tantum ex decem saluari. & veram esse sententiam Christi. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Et saluari quidem alienigenam præ aliis, vt scias Deum non esse acceptorem personarum, sed omnibus gratiam suam impertiri, qui eam non respuunt. *Matt. 20.*

DOM. XV. POST TRIN.
De duobus Dominis. Matth. 6.

1. IESVS *dixit discipulis. Nemo potest duobus Dominis seruire. non potestis Deo seruire & mammonæ.* Considera hic per duos Dominos, intelligi duos contrarios, Deum

& dæmonem, qui dicitur mammon, id e
Deus diuitiarum. Hi enim contraria su
dent. Deus vult cœlestia appeti, carne
domari, superflua nostra dari pauperib
dæmon verò vult appeti temporalia, ca
nem deliciis nutriri, aliena rapi. Si erg
vis Deo seruire, necesse est vt cœlestia qu
ras, non carnis illecebras, non opes, h
nores, voluptates, quas Deus vult co
temni.

2. *Ideo dico vobis, ne soliciti sitis anima v*
stra, quid manducetis, neque corpori vest
quid induamini. Considera hic Christu
quatuor vel quinque argumentis proba
nos debere solicitudinem de rebus ad v
tam sustentandam necessariis reiicere
solum Deum omnium bonorum auct
Ps. 49. rem, iuxta illud. *Iacta super Dominum c*
ram tuam, & ipse te enutriet. Vnde disci
quanta vanitas sit mundanorũ, qui à m
ne ad vesperam nulli rei, nisi victui cura
do student, ac si Deus non esset in cœlo s
licitus de nobis suis filiis. Er contra, quan
ta felicitas religiosorum, qui victu & am
ctu parco contenti, Deo se totos conse
crarunt.

3. *Quærite primum regnum Dei, & iust*
tiam eius, & hæc omnia adiicientur vob

Cons

Considera, cum primo quærere nos regnum Dei, cum operam damus, vt simus in Dei gratia, & mandata eius obseruemus; per hæc enim peruenitur ad regnum Dei. Deinde, cum quicquid cogitamus, loquimur & facimus, ad Dei gloriam, & salutem animæ nostræ facimus. 2. Considera, vbi id fecerimus, nobis etiam in amictu & victu necessaria, (modo solicitudinem aliquam moderadam non negligamus) minimè defutura; nam anxiam tantum & immoderatam solicitudinem rerum temporalium damnat Dominus. Col. 3.

DOM. XVI. POST TRIN

De filio viduæ Naim.

Luc. 7.

CVM IESVS *approquinquaret portæ ciuitatis Naim, ecce defunctus efferebatur filius viduæ.* Considera horam mortis omnibus etiam iuuenibus & sanis esse incertam, & ideo vigilare debere. 2. te tantū in vita mundo gratum fore, post mortem autem foras statim exportandum, & ideo non mundum, sed sanctam vitam, operaq; bona amplecti debere cum Christo: quia illa te post mortem non deserent. 3. de-

functum ſpiritualiter ſignificare peccat
rem ob peccatum mortale defunctũ De
eumque efferri à 4. baiulis; quorum du
antecedunt. nempe conſuetudo peccand
& praua ſocietas; & duo ſequuntur, ſp
ſcilicet vitæ longioris, & præſumptio d
miſericordia Dei.

2. *Dominus viduæ dixit, noli flere, & por-
toribus ſtantibus tetegit loculum dicens. Ad
leſcens, ſurge. Et reſedit, locutus eſt, & ma
redditus.* Conſidera, in hoc exemplo qu
bus modis peccator, vel aliquis multis im
perfectionib. obrutus reſipiſcat. Prim
Deus calamitate vel fletu illius ad miſe
cordiã mouetur. 2. per gratiam & de ſide
um pœnitentiæ tangit eius cor. 3 per con
tritionem ex peccato ſurgit. 4. loquitur
acculando ſe in confeſſione. 5. verbis Chri
ſti & ſacerdotis abſoluentis vitæ gratiæ re
ſtituitur. 6. portatores ſtant, id eſt, deſerũ
tur omnia quæ in peccato eum fouebant
7. matri Eccleſiæ reſtituitur.

3. *Accepit omnes timor, & magnificabant
Deum, dicentes, quia propheta magnus ſur-
rexit in nobis.* Conſidera, ſicut inter mira-
cula corporalia nullũ maius eſt excitatione
mortui, ita inter ſpiritualia nullũ eſſe ma-
ius cõuerſione peccatoris, & ideo ſicut ho-

mines

minesilli Naimitæ hoc facto profecerunt in reuerentia & religione erga Deũ, eumq; laudarunt & glorificarunt, sic angeli in cœlo gaudent super peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.

DOM. XVII. POST TRIN

De Hydropico. Luc. 14.

CVM *introisset* IESVS *in domum Pharisæi sabbatho manducare panem, ipsi observabant eum.* Considera, benignitatem Christi non refugientis consortium hominum improborum, qui ad calumniandum eum observabant, vt suo colloquio possit eos ab errore & peccatis deducere: vnde disce, non esse semper eorum conuentum fugiendum, sed laborandum, vt nostro exemplo, verboq; meliores fiant; & si pusillanimis sis, ora Deum, vt audeas ex zelo coram talibus aliquid boni dicere. 2. nomine panis indicari sobria debere esse conuiuia. Certe scriptura panem & aquam appellat initium vitæ hominis & experientia docet 100. annis vixisse, qui sobriè pænè solo pane contenti vixere. Quod si tibi non liceat per superiores sic viuere, saltẽ paucis cõtentus viue, & respue ferculorũ copiam. 1. Ecc. 29

Hydropicum ibi præsentem sanat, & probat 2.

sanari posse sabbatho, sicut asinum in foueam lapsum licet extrahere. Considera rursus Christi caritatem, quod quauis data occasione etiam tempore prandii sanet hydropicum, etsi sciret pharisæis illud displicere. 2. quod argumentis conatur probare, se posse illis benefacere. 3 quod occultè conatur eorũ hydropisin, id est, inflationem & fastũ mentis sanare, & ideo de humilitate exemplum subiungit. Considera secundo pharisæos nihil respondere potuisse, quid ergo respondebunt in die iudicii, quando strictissimè omnia inquirentur?

3. *Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe nouissimo loco. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur.* Considera, Christiani hominis esse, non solum ciuiles mores seruare, sed etiam alios, quamuis prandii tempore, docere. 2. etsi hæc regula, quod humilis exaltandus sit, fallax sit in mundo, vbi humiliantes se sæpe manent in glorii & contempti, infallibilis tamen est in conspectu Dei

1. Pet. 5. quia Deus, ait B. Petrus, *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* 3. considera neminem dignius interesse conuiuio cœlesti S. Eucharistiæ, quam qui humilis est,

Luc. 18. dicens cum publicano, *Domine propitius esto mihi peccatori.*

DOM

DOM. XVIII. POST TRIN.

De mandato magno in lege.

Matth. 22.

LEGIS *Doctori roganti, quod est mandatum magnum in lege, respondit* IESVS. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, anima, mente hoc est maximum & primum mandatum.* Considera tunc ex toto corde diligi Deum, quando omnes cogitationes in eum reflectimus: tota anima, cum affectiones omnes in eum conuertimus; tota mente, cum omnes quinq; sensus facimus ei seruire, & denique cum nihil diligimus, nisi propter ipsum. 2. Considera, cum aliquem diligis te libenter cum eo colloqui, eius domum adire, secreta patefacere, cum eo commedere, & munera donare. Sic fac cum Deo. Libenter in oratione & meditatione cum eo colloquare, templum, quæ est eius domus, crebro accede, peccata tua eius vicario confitere, sæpe communica, & teipsum, quo munus ei gratius dare non potes, omniaque opera bona offer, ad eius gloriam; & vicissim maiora recipies. 1

Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Considera proxi- 2.

proximum non esse tantum amicum, vel Christianum, sed omnes homines tam notos, quam ignotos, amicos quam inimicos, fideles quam infideles: omnes enim ad imaginem Dei creati sunt, & vnius parentis nostri Adæ filii. Pro quibus omnibus orare debemus, offensas condonare, bona temporalia & spiritualia precari, quia pro omnibus, etiam crucifixoribus suis Christus mortuus est. Expende, quam longè abs is à pfectione huius dilectionis. 2 Considera, tam necessariam esse istam dilectionem, vt sine illa nec Deus rectè diligatur. *Qui enim non diligit fratrem, quem videt, Deum, quem non videt*, inquit B. Ioannes, *quomodo potest diligere?*

1. Ioa. 4.

3. *In his duobus mandatis tota lex pendet & propheta.* Considera, id à Christo dici, non quod alia præcepta & documenta non sint, sed quod omnium quæ præcipiuntur, consuluntur, prohibentur, promittuntur & docentur in prophetis, totaque Scriptura finis sit dilectio Dei & proximi, vt si illa à quibuscumque tandem operibus etiam optimis absit, nihil prosint ad salutem. Qui finis, quo facilior est, & naturæ humanæ conuenientior, (amanti enim nihil difficile) eo studiosius eum propositum habere

habere debemus. Quid facilius, & iucundius quam diligere?

DOM. XIX. POST TRIN.

De paralytico. Matth. 9.

CHRISTVS *paralytico in lecto iacenti ob fidem dipertantium eum dixit, (Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.)* Considera Christum non rogatum, primo ei remittere peccata, vt discas prius in te aliisque sanitatem animæ quærere, quam corporis. Deinde, peccata sæpe esse causam morborum. 2. Considera bonum esse te versari in societate multorum piorum, vt si non tua fide & operibus, illorum saltem pietate & precibus sanitatem spiritualem impetres, maximè si paralyticus sis, id est, multis imperfectionibus obnoxius. 1.

IESVS *videns cogitationes blasphemas scribarum ait: Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge & ambula?* Considera, exemplo Christi nos docere, vt quoties praua menti obrepit cogitatio, debere reprehensione nostri ipsorum mox repelli, dicendo. Vt quid cogitas, malum in corde tuo? 2. seruum Dei contra maledicos & detractores non aliis armis 2.

armis vti, quam boni operis exemplo, vt hic Christus fecit, sanans paralyticum, vt ostenderet se posse remittere peccata, quod scribæ putabant blasphemum.

3. *Tunc ait paralytico. Surge, & tolle lectum tuum & vade in domum tuam.* Considera per paralyticum intelligi spiritualiter peccatorem, operibus meritoriis destitutum vel otio turpi in sua vocatione marcentem. Is primo Deo confidens à vitiis vel imperfectionibus antiquis debet surgere per bonum propositum vitæ emendandæ. 2. tollere lectum, id est, corpus suum cogere, seruire iustitiæ, quod prius seruiuit iniquitati, castigareque illud ieiuniis, disciplinis, &c. 3. vadere in domum suam, id est, bonorum operum exercitio de virtute in virtutem proficere, donec perueniat domum, id est, ad patriam cœlestem.

Eph. 5.

Ro. 6.

DOMIN. XX. POST TRIN.

De veste nuptiali.

Matth. 22.

1. DIXIT IESVS *discipulis parabolam: Rex ad nuptias fili sui inuitauit multos, sed quidam se excusarunt, alii vero inuitatores occiderunt.* Considera, Deum fecisse nuptias

ptias filio suo, quando carnem humanam ex B. Virgine assumpsit, ad quas & tu es inuitatus. His qui intersunt, id est, Christum per fidem viuam recipiunt, ii fiunt filii, amici & domestici Dei, heredes regni, fratres & socii individui, donorum Spiritus sancti & omnium charismatum cœlestium participes. *Qui enim adhæret Deo*, ait Apostolus, *vnus Spiritus est cum eo.* 1. Considera duo genera hominum se excusasse, visentes villam, & negotiatores, id est, homines superbos & auaros, qui aucupandis honoribus, vel cumulandis huius sæculi opibus sunt addicti. 1. Cor. 6.

Rex vero iratus perdidit homicidas, & ex viis publicis alios, tam bonos quam malos, inuitari iussit, donec impletæ essent nuptiæ discumbentium. 2. Considera quis sit exitus eorum, qui ad has nuptias venire negligunt, vel etiam inuitatores suos re ipsa occidunt, vel saltem molestè ferunt; vt sunt omnes concionatores, qui ad pœnitentiam, & sacramenta alia homines inuitant. post breues enim huius sæculi voluptates æterna eos manet damnatio & perditio. Mali in mundo rident & vexant pios crebro cœlestes has nuptias per

sactam

sacram communionem frequentantes, sed postea ipsi vexabuntur à dæmonum exercitu in inferno. 2. considera, in locum illorum, alios inuitari ex publicis viis, id est, pauperes spiritu & humiles, qui locum superborum & locupletum suppleant, quia ad has nuptias nulli aditus datur, nisi veram colat humilitatem, & fidei coniunctam retineat caritatem.

3. *Rex videns hominem non vestitum veste nuptiali; ait, Amice, quomodo huc intrasti? at ille obmutuit. Tunc Rex dixit ministris: Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.* Considera, eum qui veste nuptiali caruit, licet interfuerit nuptiis, damnari. Sunt enim aliquando hypocritæ, qui videntur foris pii, cum aliis orant, confitentur, communicant, sed sine veste nuptiali, id est, non syncerè, & cum pura intentione Deo placendi, viramque emendandi, sed fictè, vt tantum placeant hominibus, vel vt nequitia eorum non patefiat. Vt discas talis semper intus esse in conscientia, qualem exterius verbis & operibus te esse ostendis. tunc enim eris non tantum inter multos vocatos, sed etiam inter paucos electos.

DO

De Reguli filio. Ioan. 4.

REGVLVS *rogat Iesum vt descendat, sanetque filium suum incipientem mori.* Considera vanitatem omnium quæ in mundo sunt; quid enim nobilitas, & opes profuere regulo, vt à morte liberaret filiũ? 2. Dei sapientiam tam variis, mirisque modis homines pertrahentem ad salutem. occasione enim huius lethalis morbi factum est, vt & regulus quæreret Christum, & tota eius familia conuerteretur. Vt meritò morbi inter dona Dei sæpe sint reponendi, & optandi potius, quam horrendi. 1.

Dixit Iesus ad eum, nisi signa, & prodigia videritis non creditis. Considera Christum duriuscule alloqui regulum, tum quod fides eius esset imperfecta; credebat enim ab eo quidem filium sanari posse, sed præsente; & ideo secundò petiit, vt descenderet: tum di. & vites in hoc mundo suas habent cõsolationes, & sæpe tantas, vt nõ nisi increpationibus excitari queant ad curandam salutem, 2. expende, num aliquid tuæ quoq; fidei desit; si enim verè crederes Dei promissionibus de vita æterna, & commi- 2.

nationibus futuri iudicij, purgatorij, & i
ferni, longè ardentior esses in exercitatio
ne pietatis, omniumque bonorum ope
rum.

3. *Dixit ei Iesus. Vade, filius tuus viuit. Cr
densq; regulus sermoni ibat; & postquam e
obuius seruis cognouit filium reualuisse eade
hora, credidit ipse & domus eius tota.* Consi
dera, te esse illum regulum; quia regenda
habes potentias animi tui internas & ex
ternas, omniaque membra vt subsint De
& rationi. Filius tuus est anima tua, qu
dum lapsa est in peccatum mortale, aut l
psui proxima est, mox clamare debes a
Dominum, & si firmiter credideris, quo
solo nutu te iuuare queat, non solum ani
ma à peccato liberabitur, sed etiam grati
consequere alios conuertendi.

DOMINICA XXII. POST TRINIT.

De rege rationem ponente cum seruo. Matth. 18.

1. R*Excuidam seruo suo, 10. millia talentu
remisit, eo quod procidens in terram de
cens. Patientiam habe in me, & omnia red
dam tibi.* Considera regem esse Christum,

ser-

seruum esse quemuis hominē, quia à Deo creatus est, Christi sanguine redemptus, & in vineam vitæ præsentis conductus, vt Christo seruiat. Hic autem 10. millia talē-ta debet, quando 10 præcepta transgreditur, quia nullo modo homo satisfacere potest vel pro vnius præcepti transgressione, sed eget mera Christi regis misericordia, quam cōsequetur, si ex parte sua humiliarit se, pœnitētiam egerit, & proposuerit emendationem. 2. cogita, quoties per relapsum homo debitum illud decem millium talentorum renouarit, & tamen ex ineffabili misericordia Dei, nō dimidiam, sed integram veniā impetrarit, quo ad culpæ offensam, & aliquando etiā quoad pœnam, dum fuit contritio vel indulgentia plenaria pœnitentiæ coniuncta. 2.

Ille seruus abiens, consorto suo debitum 100. denariorum licet hic procidens rogasset pro patientia, non dimisit, sed in carcerem misit. Quo cognito rex iratus tradidit seruum suum tortoribus, donec vniuersum debitum redderet. Considera, crudelitatem serui, nolentis dimittere debitum; cum hoc, nē-pe 10. coronatorum, nullum fuerit respectu prioris, quod erat 120. vasorum auri. vt discas, te quoque crudelem fore, si

iniuriam non remittas proximo, cum hæc nulla sit, respectu iniuriæ per peccatũ Deo factæ. 2. Considera, quid mouere te debeat, vt libenter iniuriam illatam remittas proximo. primò, quia Deus præcepit diligi proximum. 2. Dei longanimitas in tolerandis impiis & inimicis, donec se emendent, idq; in annos multos. 3. quia efficeris hoc actu filius Dei. *Diligite*, inquit Christus, *inimicos vestros, & eritis filij altissimi.* 3 perpende ingratitudine, iram Dei prouocari, & pœnas peccatorum augeri.

Mat. 5.

3. *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Considera, quanti faciat Deus dilectionem proximi, quo ad condonationem iniuriæ, vt suam scilicet dilectionem & misericordiam ei neget, ac præterea in æternas flammas eum detrudat. 2 non sufficere illi, vt ore tantum fiat remissio, sed ex corde, vt nullam aversionem sentiat in animo, nec recordetur amplius iniuriæ. Nam etiam in vet. lege scriptum est.

Leu. 19. 89.

Non quæres vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.

DO-

DOM. XXIII. POST TRINIT.

De numismate census. Matth. 22.

1. *PHarisæorum discipuli cum Herodianis missi vt Christum caperent in sermone, aiunt. Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces. nec respicis personam hominum.* Considera, quod sit ingeniũ improborum hominum, nempe alios malos sibi asciscere: 2. quod per se nequeũt, id per alios moliri. 3. consilia inire contra bonos, 4. fictè agere. 5. adulari & laudare. 2. Contra nota, piorum, & Christi imitatorum esse, vt sint Magistri, id est, auctores bonorũ operum aliis verbo, & exemplo. deinde veraces, nõ ficti, qui scilicet promissa præstent. 3. viam Dei docentes in veritate, non tractando nugas, sed pia colloquia vsurpando, solidas virtutes, proponendo & exercendo. 4. neminem timentes, nisi solum Deum, ac omnibus liberè veritatem prædicantes, landando bonos, increpando malos.

2. *Petentibus an census dandus esset Cæsari respondit Iesus. Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. Et obtulerunt denarium signatum imagine Cæsaris,*

Considera, Dominum adulatoribus non abblandiri, quia solent, non laudati, sed suam quærere vtilitatem; vt discas non diligere fauores humanos. 2. fictos. & fraudulentos non posse diu latere. 3. recte non facere, quãdo ex ipsorum verbis eos redarguimus; nam quia dixerant Christum non esse acceptorem personarum, illis non pepercit, sed hypocritas vocauit. 2. considera, contra tentationes dæmonis, carnis & mũdi, quæ sit imago impressa animæ nostræ, nempe Dei, ad cuius imaginem creatus es, & in baptismo reformatus adiuncto signo crucis, cum superscriptione, *Declina à malo, & fac bonum.* quod in baptismo promisisti. Et si religionem ingressus es, cum inscriptione *Seruа paupertatem, castitatem, & obedientiam*, quia vouisti.

3. *Tunc ait illis Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Cõsidera, nos per libertatem à peccato & dæmone, quam habemus per Christum non eximi ab obediẽtia superiorum, tam secularium, quam spiritalium, tum quia illi vigilant pro nobis in temporalibus & spiritualibus, tum quia Christus, licet verè Dominus & superior omniũ, eximi noluit: iussit enim didrachma pro se & Petro dari, ne scandaliza

lizaret. 2. hic Cæsarem anteponi Deo, quia Deo obedire nequit, qui rebellis est Imperatori, vel superiori suo immediato; sicut neq; Deum diligere potest, qui proximum odit.

DOM. XXIV. POST TRINIT.

De principis filia, & hæmorrhoiss. Mat. 9. 1.

PRinceps Synagogæ *cum adorato Christo petiisset manum imponi filiæ defunctæ, ad domum eius secutus est. & eiecta turba cum tibicinibus, manum apprehendens eam excitauit.* Cōsidera tria feciſſe principem illū. primo se publicè ad pedes Christi abiecit. 2. impensè eum rogauit pro filia 3 credidit tactu manuum posse sanari: sic si quid exorare velis à Deo primò valde humilia te coram Deo. *Oratio enim humiliantis se penetrat nubes.* Eccl. 35. 2. ora non cepidè, sed cum affectu. 3. cum fiducia te impetraturū, nihil hæsitans, vt docet B. Iacobus. 2. considera, Iac. 1. Christum omissa concione mox surrexisse, vt promptè operam cum exigitur proximo accommodemus etiam in temporalibus. Magdalena enim & Martha sunt sorores. 3. considera per eiectā turbā moneri nos si velimus à praua vita resurgere, malā societatē deserendam, & desideria inutilia.

2. *Mulier sanguinis fluxum diu passa, ve tetigit fimbriam vestis Christi, dicens int se. Si tetigero, salua ero* Considera ex mul Christum secutis, hanc mulierem tantu fuisse sanatam, quia non pari fide & deu tione cum hæc secuti sunt. Nos ergo, q toties adimus altare Domini sanctum, deamus vt debita deuotione adeamus, tangendo Christum nullum referam fructum. 2. hanc mulierem non sanata cum proposuit tangere vestem Christi, s cum tetigit, vt discas, non satis esse prop situm facere vitæ emendandæ, sed reipsa mendandam 3. eam fimbriam, id est, e tremam tantum partem vestis Christi a tigisse. Fimbria illa est Christi passio respe ctu totius vitæ, quam si solam humilit meditando & imitando tangamus, val bit ad omnes infirmitates nostras curan das.

3. *At Iesus conuersus dixit illi. Confide fili fides tua te saluam fecit.* Considera, Christi sanitatem restitutam non suæ virtuti, se fidei mulieris tribuere, vt doceret nos, i bonis operibus nostris non quærere lau des nostras, sed solam Dei gloriam. 2. ha amabili loquendi formula eum declara voluisse, quam benigne non vt iudex seue

rus,

rus, sed vt clemens Pater peccatorem humilem & compunctum recipiat. Deinde vt nouum solatium illi afferret, intelligeretque ipsa se etiam spiritaliter in anima sanatam; ideo enim vocat filiam.

DOMINICA XXV. POST TRINITATIS.

De abominatione desolationis. Matth. 24.

Dixit Iesus discipulis. Cum videritis abominationem in loco sancto, tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non descendant: & qui in agro, non revertantur tollere tunicam suam. 2. Considera, nos hic doceri, quid agere debeamus, quãdo est talis desolatio, hoc est, cũ sacra negliguntur, imagines deiiciuntur, Missa aboletur, Catholici expelluntur, vt nunc fit toto fere Oriente, & magna parte Europæ. Primò enim qui in Iudæa sunt, id est, constantes manent in cõfessione fidei Catholicæ debent fugere ad montes, id est, contemplari cœlestia, & in bonis cœlestibus spem suam figere. 2. manere in tecto, id est, omnia terrena calcare, & contemnere, nec solliciti esse de temporalibus, 3. ina-

gro manere, id est, in agro & vinea Domi
excolenda persistere, & alioquos saltem
fidem conuertere.

2 *Væ prægnantibus & nutrientibus in il
diebus. Orate autem ne fiat fuga vestra hy
me vel sabbatho. Erit tunc tribulatio magn
sed breuiabuntur dies illi* Considera, quae
periculosè multi hoc tempore fideles, v
inter Turcas, vel hæreticos versentur, ma
ximè qui infantulos nutriunt; id est, in fi
non sunt fortes, vt pro Christo ferant le
dibtia & verbera: quotidie enim videmu
quam multi eam ob rem leuiter defician
2. orandũ esse sæpe Deum, ne in isto frigo
re exercitiorũ pietatis, ieiuniorũ aliarũq
pœnitẽtiarũ, vel in Sabbatho, id est, negli
genti frequentatione concionũ, & officio
rum diuinorũ in templis, multi fugiant, &
à vita sancta desistant. 3. considera, magni
quide persecutionẽ hactenus passam Ec
clesiã Catholicã. sed sperãdũ, nõ diu dura
turã, propter electorũ preces & opera bona.

3. *Si quis dixerit, Ecce hic est Christus, aut
illic, in deserto, vel penetralibus, nolite crede
re. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & pare
usque in occidentem, ita erit aduentus filij
hominis.* Considera, hinc manifestum signũ
dari Ecclesiæ hæreticæ, si in aliquo angu-

lo or-

lo orbis esse dicatur, vt in Germaniæ parte, vel Angliæ, sordes enim sunt in angulis. Catholica Ecclesia autem toto orbe spargi debet, & sicut lumen, ab Oriente in Occidentem tendere. vnde & nostro seculo, in vtraque India orientali & occidentali viget, vbi nullus est hæreticus 2 Considera, aduertũ Christi ad iudiciũ subito futurũ, & ideo cõueniens esse, vt omnes vigilemus, (nihil enim illo est incertius) & in Ecclesia Catholica, sanctaq; vita perseueremus.

DOM. XXVI. POST TRINIT.

De extremo die iudicij. Matt. 25.

DIxit Iesus discipulis. *Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos, sicut Pastor segregat oues ab hædis.* Considera in extremo die iudicij, præuio signo triumphali crucis, cubis clangentib. è cœlis apparituru inter angelorũ exercitus filiũ Dei medium incredibili maiestate fulgentẽ; tum ad magnã vocem. *Surgite mortui, venite ad iudicium*, resurrectionem omnium secuturam. angelosque separatiuos bonos, quorum splendidæ erũt corpora, à malis, quorum erunt obscura & terra; his ad sinistram, illis ad dextram loca-

locatis. 2. Considera, quanto pudore afficiendi sint mali, cum omnia illo scelera occultè licet & cogitatione tum commissa, omnibus patefient. C tra verò, quanto cum gaudio & secu iudici se sistent, qui peccata sua co sunt.

2. *Tunc dicet Rex stantibus ad dexteram nite benedicti Patris mei, possidete pa vobis regnum à constitutione mundi. E enim, &c. Quod uni ex minimis fecistu, feciſtis.* Considera bonitatem & amo iudicis erga saluandos. primò enim i eos *possidere regnum*, velut illud, quo tione hæreditatis filiis debetur. 2. dic lud iis ante mundum conditum, id est, æterno præparatum. 3. pro minimis op bus vt visitatione infirmorum, & vinct 4. quod sibi reputet factum, quod paup rimis & vilissimis factum est. 5. quod mi mos illos vocat fratres suos. 2. consid iudicem tantum facere mentionem o rum misericordiæ, non quod alia quæd præstantiora non sint, sed quod homi ista magnificiant, & Deus maximè il moueatur, ad misericordiam aliis præs dam.

3. *Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt. D*

cedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi mand. &c. Considera, quonodo iudex post electos tam copiosa mercede remuneratos, terribili vultu in sinistrum conuerso, hæc dicturus sit, quantus que terror, & confusio omniũ consecutura, clamantium ad montes. *Cadite super nos à facie sedentis in throno*: acrius certè vox illa eos cruciabit, quam ipse infernus. Quid enim infelicius excogitari potest, quam diuelli à Christo vnico summo bono, & in æternum ardere tartareis flammis? 2. considera, cur dicat flammas paratas diabolo & angelis eius. nẽpe, quia hominibus parauerat regnum æternum, pro illis passus & mortuus, solisque angelis malis, nunquam cõuertendis ignem æternum. 3. Considera, ex verbis illis *Esuriui, & non dedistis*, &c. colligi, reprobos non solum condemnandos ob patrata mala opera, sed etiam omissa bona, quæ poterant & debebant facere, iuxta illud Christi. *Omnis arbor, quæ non faci fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Apoc. 6.

Mat. 3.

DOMI-

DOMINICA I. AD VENTVS DOMINI.

De ingressu Christi in Hierusalem. Matth. 21.

VIDE Meditationem Dominicæ I marum.

DOMIN. II. ADVENTVS

De signis iudicij extremi. Luc. 21.

1. DIXIT *Iesus discipulis. Erunt signa in luna, & stellis, arescentibus homin prætimore &c.* Considera superiore Do nica propositum esse aduentum Chr humilem & iucundum, nunc vero alter in fine mundi futurum glorioſum & te bilem ad iudicium. vt tam amore, qu timore stimulemur ad bonum; & vt dis mus non posse nos venire ad glorios Christi aduentum, vt cum illo contegn mus, nisi in hoc mundo prius nos humil mus, & cum eo compatiamur. 2. Consid adeo hic astrorum cœlestium mutat

nem dici præmittendam iudicio, imo dissolutionem orbis totius; vt omnes clarius intelligerent, quã horribile id sit futurum: Multi enim cogitatione hac territi à peccatis abstinẽt, vt Hieronymus, qui dicebat, auribus suis semper insonare vocem. Surgite mortui, venite ad iudicium.

His fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Considera primò, quod boni tunc monentur sperare & gaudere, quãdo maximæ sunt afflictiones, quia illorum est per multas tribulationes intrare in regnum Dei. 2. quo impij magis dolent de futuris imminentibus malis, eo piis magis esse gaudendum de impendentibus bonis. & ideo iudicij dies piis non erit horribilis, sed iucundissimus, quo pro certamine coronabuntur. 3. Considera, quod tunc incredibile gaudium eis afferet redemptio ipsorum, hoc est, liberatio corporis a morbis, inordinatis passionibus, omnique corruptione, deinde ab omni tentatione dæmonis & mundi, metuque damnationis. 4. illud gaudium venturum de cœlo, vt scias nullum solidum gaudium esse expectandum in terra. 21. Actor. 14.

3 *Et dixit illis similitudinem. Videte ficu*
neam, & omnes arbores, cum producunt fru
ctum scitis, quoniam prope est æstas. Et v
cum hæc fient, scitote quia prope est regnu
Dei. Considera Dominum præcedentia
gna conferre cum arboribus pullulan
vt discas tanto pulchriores fore cre
post iudicium, quanto arbores in æsta
florentes, sunt aridis in hyeme nuditor
2. nota, tum nos esse regno cœlorum pro
ximos, cum instar arborum bonarum flo
remus, & fructibus abundamus.

DOMIN. III. ADVENTVS.

De S. Ioanne Baptist. in vinculis
Matt. 11.

1. IOANNES *in vinculis auditis Christi operi*
bus, mittens duos de discipulis ait illi. Tu es
qui venturus es, an alium expectamus? Con
sidera Ioannem licer nctum, non de sua
liberatione, sed discipulorum salute solici
tum, recte in fide, & vita sancta instituá
tur; vt discas in afflictionibus nihil de con
suetis precibus aliisque officiis pietatis de
trahere. 2. Ioannem non misisse, quod ipse
dubitaret de Christo, an esset Messias, sed
vt ignorantiæ missorum consuleret, & per
con-

conſpecta miracula eos ad Chriſtum traheret, ſciens ſe breui moriturum; vt diſcas, cum per te non potes, vel audes monere vel docere, debere ſaltem per alium.

Ieſus reſpondit. nunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis, cæci vident. &c. pauperes euangelizantur, & beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Conſidera, Chriſtum non fateri palam, ſe eſſe Meſſiam venturum, ſed tantum ſe opera facere, quę in Scriptura tribuuntur Meſſiæ, vt diſcamus neminẽ facilè ſe debere commendare; ſed id tantum dicere ad Dei gloriam, quod ſatis eſt ad ſalutem alterius promouendam. 2. decere quemuis ſuperiorem, & magiſtrum, vt prius facto præſtent, quod volunt ſubditis mandare per verba. Chriſtus enim hic maluit factis, quam verbis reſpondere. 3. nota, Chriſtum occultè corripere diſcipulos Ioannis, cum ait: *Beatus qui non ſcandalizatur in me.* nam ob zelum in magiſtrum, nondum credebant in Chriſtum. vt nunquam palam occultos peccatores confundamus, ſicut & aliàs Chriſtus cum Iuda fecit, quem tecte arguit. 2. Iſa. 28. 31.

Illis abeuntibus, Ieſus dixit ad turbas. Quid exiſtis videre, Arundinem vento agitatam, mollibus veſtitum? Prophetam? imò plusquã 3.

Prophetam. Considera Christum non l
dasse Ioannem coram discipulis tum v
tam adulatoris effugeret; tum vt ne ex
dibus occasionem raperent, licet sine c
sa, eum Christo præferendi. vt discas c
hæreticis & improbis, pudenter & pa
de laudibus Sanctorũ loqui ne calumn
di ansam arrpiant, 2. considera, hic au
ritatem vestitus laudari & eremitarum,
liorumq; religiosorum duram vitam p
bari: cõtra verò improbari molles & p
tiosas vestes. 3. constantiã austeritati & p
pertati coniungi, quia nulli constantio
sunt in fide & veritate tuenda contra
dum. eiusq; principes, quam qui mund
eiusq; opes & pompam seriò contem
runt. 4. turbis & simplicibus hominib
sæpe vitas quoq; aliorum Sanctorum p
na tim & publicè recensendas.

DOMIN. IV ADVENTV

De Iudæorum legatione ad Ioannem, Ioann. 1.

1. *Miserunt Iudæi Sacerdotes & Le
ad Ioannem, vt interrogarent eum
quis es?* Considera cur tanti nominis fue

S. Io

S. Ioannes, nempe quia eius natiuitas fuit admiranda, quia à puero in eremum secessit, ibiq; duram vitam, soli Deo vacans vsque ad virilem ætatem egit, quia pœnitentiam prædicabat, veritatis & iustitiæ amãtissimus, vt discas tales virtutes imitari, si ad perfectionem christianæ vel religiosæ vitæ aspiras. 2. Considera vitæ sanctitatem non solum apud Deum, sed etiam apud improbos & hæreticos suspici, & in honore haberi, erant enim isti legati ex Pharisæis, vt paulò inferius dicitur, qui erãt inter Iudęos quasi hęretici.

Et confessus est, quia non sum ego Christus nec Elias nec Propheta. Ego sum vox clamãtis in deserto. Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias. Considera summam humilitatẽ Ioannis: nam cum potuisset si voluisset reputari Christus noluit tamen id fieri, imò noluit haberi Elias & Propheta, cum verè posset, nam Christus Matt. 11 vocauit eum Eliam. & Ioan. 1. plus quam Prophetam, vt discas humilis esse, nec de iis quæ verè habes, vt nobilitate generis, doctrina & sanctitate, te iactare, sed hæc omnia celare, quamdiu sine mendacio fieri potest, Secundó: considera eum importunitate missorum coactum, indicare, licet

valde obscurè, se esse eum, de quo locu
esset Isaias. Sed quantus erat ille? *Vox*, i
quit, *clamantis in deserto*, noua humilit
Quid enim vanius vel fragilius voce, q
statim maximè in deserto loco prolata
uanescit? Veré autem erat vox, quia to
corporis habitu, totaq; vitæ conuersa
ne nihil aliud quam clamabat, & inui
bat homines ad pœnitentiam, & dirige
viam ad Christum. Hinc discimus non
tantum, sed vitæ piæ exemplo etiam p
dicari veritatem,

3. *Quid ergo baptizas, instant illi, si no
Christus nec Propheta; Respondet. Ego ba
zo in aqua, medius autem vestrùm stet
quem vos nescitis, cuius ego non sum dig
corrigiam calceamentorum solucre.* Consi
ra S. Ioannem perstare in humilitate, sec
dum illud Eccles. 3. *quanto magnus es, h
miliate in omnibus, & corã Deo inuenies g
tiã.* sciens inter virtutes, vt alicubi Aug
docet illam esse primam, mediam, & vl
mam, ac ideo maximè imitandam. 2. co
sidera, sicut Ioannes humili responsio
insidiosas istorũ quæstiones euasit, & C
sti gloriam defendit, sic sola humilitate l
queos omnes dæmonis te posse euade
vt docuit S. Antonius. 3. etiamsi non co

Ep. 56.

Athan. in vita eius.

temus vel nesciamus, tamen in medio nostrũ stare Iesum obseruantẽ quid agamus.

IN FESTO NATIVITATIS. CHRISTI:

De Christi Natiuitate. Luc. 2.

B MARIA *cum Ioseph sponso suo è Nazareth proficiscitur Bethlehem. (descendit autem & Ioseph à Galilæa in Bethlehem, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante.)* Considera vtriusque obedientiam & humilitatem. Maria enim existens mater regis regum, non dedignatur cum tanto periculo (sciebat enim se proximam partui) obedire regi terreno & genrili, deinde patientiam in ferendis itineris longi laboribus, & quam pia inter se misceant colloquia. 2. considera eos in Bethlehem id est, domum panis ex Galilæa, id est, volubilitate profectos, vt inscriberentur in catalogum familię Dauid: vt discas tibi desertis transitoriis & volubilibut huius mũdi deliciis sæpe adeundam mensam panis viui, qui descendit de cœlo, quo nomen tuum inscribatur catalogo Sanctorum in cœlo. 1.

Factum est autem, cum essent ibi, impleti 2.

Iunt dies vt pareret, & non erat ei locus in [illegible]
uersorio. Considera quomodo B. Ioseph cum sub vesperam Bethlehem intrassent obeat domos, vt locum quietis inueniat quanto angore percellatur, dum non inuenit, cum ab omnibus repellitur. Videt B. Virginem per cæcas tenebras errantem partim, partim præ defatigatione in [illegible] aliquo sedentem & dolenter expectantem quis forte misereatur. 2. considera quomodo post plateas omnes angulosq; decurso cogantur in semirutum stabulum. vel spelunCam obscuram, in qua noctu à pauperibus locari solent bestiæ, diuertere. 3. c pende, B. Virginem simulatq; stabulum intrauit, mox aduertisse hunc esse paradisum secundo Adam præparatum, hoc regiũ esse palatiũ Christo nascituro erectũ, hic esse thronum regiũ, ex quo verus Salomon veram sapientiam in humilitate & inopia fundatam docere debuit.

8. *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eũ inuoluit, & reclinauit in præsepio.* Considera, B. Virginem cũ magnã partem noctis orationib· & sanctis suspiriis cõsumpsisset, tandẽ stupore sapientiæ Dei & gaudio incredibili abreptã ex purissimis [illegible] viscerib⁹, sine vllo dolore, saluis virgini-

tat

tatis clauſtris infãtulum Ieſum genuiſſe. 2. conſidera conſpecto infantulo, quanta lux mox oborta ſit in ſtabulo quam ſuauis angelorum concentus auditus, quanta lætitia ſecuta B. Virg & Ioſeph quomodo certatim in oſcula puelluli irruerint; quã ſuauibus viciſſim ocellulis puer eos aſpexerit. Quam prompté B. Virgo materna officia mox exhibuerit panniculis pauperculis eũ inuoluendo pectori aſtringẽdo, puriſſimo lacte nutriendo. 3. Conſidera, non in puluino molli non in cunis, ſed in vili duro & frigido præſepi infantẽ collocatũ: Hæc q; omnia non alia de cauſa à Deo facta, quã vt confunderet ſapientiã huius ſeculi, doceret q; non eſſe vera bona quæ mũdus admiratur ſed paupertatis amorẽ perpeſſionẽ afflictionũ & omniũ rerũ deſpicietiam.

II. PARS MEDITAT.

De Paſtoribus. ibid.

PAſtoribus reuelatur Chriſti natuitas per angelum. (Euangeliżo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Saluator) &cæt. Conſidera, angelum Domini accepta licentia à puerulo Ieſu, non ad reges vel ſapientes, ſed ad ſimplices & vigilantes ſuper gregem, paſtores mitti,

Prou. 3. qui sua humilitate & vigilantia id meruerunt: *Cum simplicibus enim*, ait Sapiens, *est sermocinatio eius*. Et. *Qui mane vigilauerit ad me, inueniet me*. 2. Considera, Christum summum pastorem prius sua luce illustrare superiores & pastores aliorum, quam subditos, vt subditi libentius sinant se eorum nutu dirigi, maximé noctu, id est, in maioribus fidei & morum difficultatibus.

Prou. 8

Esai. 9. 3. perpende quod dicit, *Natus est* VOBIS *Saluator*, puer enim natus est nobis, ait Isaias & filius datus est nobis. Quo dono quod potest esse præstantius?

Et hoc vobis signum, inuenietis infantem pãnis inuolutum & positum in præsepio. Considera quod signum angelus det, vt Christus inueniatur in corde nostro, nimirũ vt sicuti infantes, simus expertes peccati & doli. 2 si necessariò tantum amictu & victu cõtenti simus, 3 si duritiem lecti, & alias austeritates non refugiamus. 2. Considera quanto gaudio pastores perfusi fuerint hoc nuncio, quam cito desertis ouib. in Bethlehem se contulerint, quam humiliter Christum natum adorarint, quam pie manus pedesq; ejus osculati, quæ munuscula pastoritia obtulerint, quantum puerulus simplicium hominum consuetudine

quo

quo potuit modo illis arridens, oblectatus fuerit. O felices pastores, quibus fas fuit videre, quod tot Reges & Prophetæ optarunt videre, & non viderunt.

Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Cõsidera, quid glorioſius esse potuerit, quam in loco tam vili & abjecto triumphum agere cœlites, & aurem suauissimo concentu complere. Sed si expendas, quantæ dignitatis persona sit infantulus iste pauperculus, nempe filius altissimi, facile intelliges eum dignũ omni veneratione & gloria: si verò cogites causam huius abjectionis, nempe peccata nostra, non miraberis hanc humiliationẽ. Per hanc enim, & aliam longe maiorem secutam, vsq; ad mortem crucis, reconciliati sumus Deo, & pax æterna donata omnibus hominibus bonæ voluntatis, hoc est, qui voluntatem suam parati sunt conformare diuinæ, ejusq; præceptis obedire. 2. Consídera, quanto cum gaudio angeli reuerterint in cœlum, totamq; Hierusalem cœlestem nouo nũcio exhilararint: ac deniq; quomodo anima B. Virginis his omnibus notatis & auditis tantũ non lętitia liquefacta fuerit.

DOMINICA INTRA OCTAVAM NATIVITATIS.

Erant Ioseph & Maria mirantes, Luc.

1. ERANT *Ioseph & Maria mater Iesu mi-*
rantes super his quæ dicebãtur de illo. Con-
sidera miraros fuisse parẽtes tam mira di-
cta & facta circa puerum, cum in puero ni-
hil viderent singulare, quod non omnibus
infantibus commune esset; ad te docendũ
quod etsi corporeis oculis nihil videas eo-
rum quæ credis esse tamen fidem adhibẽ-
dam Ecclesiæ, hoc est, tot S Patribus testi-
ficantibus, quid sit credendum. 2. considera,
mores Christi infantis, & ad eos tuos
quoque compone, quia infans factus, non
fuisset nisi aliquid in eius infantia imitatio-
Matth. one dignum foret. Et dictum Christi est
18. *Nisi efficiamini sicut paruuli non intrabitis in*
1. Pet. 2. *regnum cœlorum.* Et B. Petri. *Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.*

2. *Simeon dixit ad Mariam. Ecce positus est*
hic in ruinam, & resurrectionem multorum,
& in signum cui contradicetur, & tuam ani-
mam transibit gladius. Considera, Simeo-
nem hic inter summa gaudia vaticinari de
afflictionibus futuris tum Christo, tũ ma-
tri, vt intelligamus in hoc mundo non esse

pura-

pura gaudia, sed multas tribulationes expectãdas, si velim esse veri discipuli Christi, 2. hoc nuncio & excitatam fuisse B. Virginem ad multa cum filio suo perferenda, & participem gloriæ illius factã, quæ erat pati & mori ex obedientia Patris. Tam nobiles enim sunt afflictiones pro Christo toleratæ, vt Christus, sicut eam maximè dilexit, ita etiam voluerit eam præ omnibus hominibus affligi, ac gladium crucis trãsire animam eius. Vnde & martyr martyrũ à sanctis vocatur.

Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat cum illo. Considera, in puero Iesu quatuor hic laudari primò, quod plenus esset sapientia rerum omnium diuinarum & humanarum, & ideo Doctore non egebat. 2. quod plenus esset gratia apud Deum & homines, quippe ab omni macula peccati immunis, & omnibus virtutibus donisq; cœlestibus ornatus 3. quod quotidie crescceret vt corpore ita variis sapientiæ effectibus prodẽdis. 4. quod maiores semper vires spiritales accipere videretur. Vt discas & tu quotidie in his virtutibus progressum facere, quia in virtute non progredi est regredi, & deficere.

MEDI-

MEDITATIONES

DE FESTIS SANCTORVM

Toto anno secundum ordinem mensium Calendarij occurrentibus,

2. Februarij. INFESTO PVRIFICATIONIS B. VIRG,

De Purificatione B. Virginis & pueri IESV præsentatione,
Luc. 2,

2. *Detulerunt (parentes) puerum in templum, vt præsentarent eum Deo, tanquam primogenitum, offerentes pro eo consuetum munus, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Considera pueri Iesu humilitatem semper credere

scere. natus erat vt pauper, circũcisus quasi peccator, nunc offertur vt seruus quinque siclis redimendus 2. parentum paupertatẽ, qui quoniam agnum emere & offerre non poterant, offerunt par columbarum. Sed sine mysterio id factum non est, quia vmbræ & typo præferri debuit veritas, puer enim erat verus agnus qui tollit peccata mundi, & seipsum tunc Deo offerebat pro salute nostra, paratus suo tempore pati. 3. expende quid duo pulli significent: nempe nos, qui Deo nos sæpe offerrimus, debere esse simplices, omnis doli expertes, caritate magna præditos, (sunt enim columbæ sociales) & fœcundos in bonis operibus.

Simeon veniens eadem hora in templum, 1.
accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit. Nunc dimittis seruum tuum Domine. Considera, quanta reuerentia puerum in medio templi à B. Virgine exceperit, quam deuotè, manantibus præ gaudio lacrymis, illum sit osculatus, & pectori suo applicuerit, quot laudes de eo dixerit, quod eo viso paratus fuerit mori. Qui enim Christum diligit, facilé vitam hanc & omnia temporalia cõremnit. 2. ob quas virtutes meruerit videre & recipere, 1. quia

erat

erat in eo Spiritus sanctus, cui parens v
nit in templum. secundó quia iustus id e
ab omni peccato liber, & omni virtu
ornatus, tertió, quia timoratus timore
liali. præsentem enim quasi DEVM se
per cernens timebat peccare. quartò, e
pectans consolationem Istael, id est, a
uentum Christi. Non potest enim De
iis deesse, à quibus auidé expectatur. H
virtutes & tu sequere, si quando cum fr
ctu vis Christum non in vlnis, sed ore
corde recipere in S. Eucharistia.

3. *Anna (superueniens confitebatur Domi
& loquebatur de illo omnibus, qui expect
bant redemptionem Israhel.*) Consider
Deum nullam habere acceptionem per
sonarum, sexus, ætatis, conditionis, se
tantum virtutis. secundó, ideo senes duc
hic in exemplum proponi, vt discas in
virtutum studio perseuerandum vsque in
finem vitæ, quo dignus sis recipere Chri
stum, & in æternum retinere. tertió, vid
ob quas virtutes meruerit videre Christū,
Primó, quia annis ferè octuaginta casté
vixerat, Secundó, quia non discedebat
de templo. tertió; orabat die ac nocte,
Quartó, ieiuniis, aliisque pœnitentiis af-

flige-

fligebar corpus suum. Quinto, omnib⁹ laudes Christi annunciabat.

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI. 24. Februarij

Matth. 11.

1.

IESVS *dixit. Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & revelasti ea parvulis.* Considera, Iesum exultasse spiritu, cum hæc verba proferret vt refert Beatus Lucas, id est, ingenti spirituali gaudio æterno Patri, qua homo erat, egisse gratias, quod fidei christianæ mysteria, non huius seculi sapientibus qui omnia ratione & intelligentia metiuntur, neque prudentibus, quinon quærunt nisi quæ sua sunt, id est, opes, honores, & voluptates carnis patefaceret, sed tantum parvulis id est, humiliter de se sentientib. & iudicium suum Deo subiicientibus, vti erat B. Virgo, quæ licet esset mater Dei, tamen se vocabat ancillam: vti S. Matthias, cæteriq; apostoli, qui gloriabantur se non aliud scire, quam Iesum & hunc crucifixum. 2. Considera, primariam quidem

Luc. 10.

1. Co. 2.

dem huius rei causam non esse aliam, q
diuinam voluntatem: subiunxit enim
Christus. *Ita pater, quoniam sic placitum*
ante te: tamen quia illa voluntas non p
test non esse sapientissima, & rationi
ximè congruens, potest & illa addi ca
quoniam homo, sicut & Lucifer ange
per fastum & superbiam salute excide
debuisse contrario antidoto humilita
saluti restitui.

2. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & o*
rati estis; & ego reficiam vos. Considera D
mini bonitatem neminem omnino à g
tia & salute excludentis, si paruulus in o
1. *Tim.* lis suis & humilis esse velit. Vult enim
2. mnes homines ait B. Paulus, saluos fie
& ad agnitionem veritatis venire. 2. cons
dera, inuitari maximè eos, qui laborés
stinent & difficultatē, in superandis tenta
tionib. dæmonis, mundi & carnis: & one
rati sunt vel pondere grauiū scelerum, v
magnarum multarumq; imperfectionum
omnes n. paratus est reficere, vel liberando
eos à dictis laboribus & oneribus, vel cō
municando gratiam, vt tribulationes for
titer ferant. 3. considera nos quoq; debe
cooperari Christo, nempe venire, no
corporeo motu, sed spirituali, vtpo
pe

per mẽtis conuersionem, desiderium Deo placandi, dolorem de peccatis, propositum emendendæ vitæ, & imitationem virtutum, humilitatis & mansuetudinis, nam subdit.

Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus leue Considera, non satis esse; vt credamus in Christum, & onere peccatorum liberi simus, sed opus esse non tam onus, quam iugum doctrinæ Euangelicæ, & diuinorum præceptorum, acsi religiosus sis, etiam consiliorum in humeros nostros suscipere quod non graue est, sed leue, non amarum, sed suaue, sicut auiculis suaue leueque est iugum alarum, quia earum ope volant: Vnde S. Ioannes disertè dicit. *Mandata eius grauiaon sunt,* & rex Dauid. *Quam dulcia faucibusmeis eloquia tua?* considera, leuia & suauia reddi omnibus, qui verè Deũ diligunt & in eius gratia sunt. Amanti enim nihil difficile. 2. qui spiritum sequuntur non carnem. Spiritus enim promptus est, caro autem infirma. 3. qui cogitant quanta merces parata sit in cœlis. 4. qui oculos in Christi vitam & passionem con-

Mat. 11. 29

1. Ioa. 5.

Ps. 118.

1. Ioa. 5.

Matt. 26

iiciunt. 5. qui cum Christo humiles sunt & mites corde.

IN FESTO ANNVNCIATIONIS B. V. MARIÆ.

25 Martij.

Angelus nunciat B. Virg. ipsam concepturam filium. Luc. 1.

1. ANGELVS *Gabriel B. Virginem in Nazareth salutans, diuiniq; Verbi conceptum ei nuncians dixit, Aue gratia plena & Ecce concipies in vtero & paries filium,*

Considera Angelum B. Virginem non in publico sed domi in cubiculo recluſam, & in rerum diuinarum meditatione ſuſpenſam inueniſſe, vt diſcas, ſi angelica conſolatione frui velis cõtinere te domi, & orationi vacare. 2. conſidera, quanto ſplendore angelus complerit virgineum cubile, quanta ſubmiſſione & reuerentia eam ſalutarit dicens. *Aue gratia plena*, nec mirum quia alios ſanctos tantum Deus ornarat quibuſdam donis gratiæ, hanc autem compleuit omnibus. Si autem gratia plena erat ante Chriſti conceptionẽ, quantum gratiæ poſt conceptionem acceſſerit? 3. conſidera, vocari plenam gratia apud Deum. vt nos ad eam tanquam patronam aduocatam, & mediatricem perfugium habe-

haberemus vt ſicut per eam Chriſtum habuimus, ita ſciremus & cætera dona per eius interceſſionem deinceps obtenturos.

MARIA *turbata eſt hoc ſermone, & cogitabat qualis eſſet ſalutatio addens. Quomodo fiet illud, quoniam virum non cognoſco?* Cõſidera eã turbari, quoniã ꝓprium eſt caſtarũ virginum ad p̃ſentiam virorũ turbari. Deinde quia tanta laude ſe indignã putabat. Sancti enim & humiles, quo plus laudantur, hoc magis pudeſiunt. Solent enim inquirere nõ in virtutes ſuas, ſed in defectus, vt eos emendent. Turbata eſt, ſed non perturbata; nam cauta & prudens expendere cœpit qualis eſſet ſalutatio, antequã reſpõderet. 2. Cõſidera zelum caſtitatis B. V. licet enim firmiter crederet perfici debere, quicquid Deus ꝓ angelum promiſiſſet, nẽ pe ſe parituram, tamẽ modi ignara percũctabatur, quomodo cũ voto ſe obſtrinxiſſet de ſeruanda virginitate, parere poſſet; nec ante mater Dei eſſe conſenſit, quã inviolatam fore virginitatẽ ſuam cognouit.

Cũ angelus dixit, Spiritus S. ſuperueniet in te &c. & Maria reſpõdet. Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuũ. Conſidera, [illegible] angelo quaſi aſſiſtere S. Trinitati, & expectare dilectæ filiæ ſuę reſpõ-

sum, obseruareque humilia verba ex eius ore egressura, ipsam verò post sermonem angeli positis humi genibus manibus ver oculisque in cœlum sublatis humiliter cum lacrymis respõdisse. *Ecce ancilla Domini &c.* vt discas quam primum ad diuinum seruitium vocaris, & re sedulo discussa, aduertis vocationem esse à Deo non dif cunctari. 1. considera, B. Virgo paucis his verbis magnas virtutes nobis imitandas expressisse primo obedientiam promptam in re ardua, dum ait *Ecce*. 2. humiliratem, dum sciens se electam in Dei matrem, vocat *ancillam*. 3. charitatem ardentem & zelum pro salute aliorum, dum ait, *fiat mihi* 4. fidem cum ait *secundum verbum tuum*, firmissimè enim credebat, promissum angeli complendum. Et vere prolatis his verbis ilico concepit in vtero Deum & hominem.

IN FESTO SS. PHILIPPI IACOBI MINORIS Apostolorum.

Ioann. 14.

IESVS *dixit discipulis. Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite.* Considera, hominem in fide vera, & cultu

cultu pietatis constantem nullam habere causam tristitiæ vel perturbationis. *Hæc enim est victoria, quæ vincit mundum. fides nostra.* ait B. Ioannes. Et ideo B. Philippi, & S. Iacobi, alorumque Apostolorum in summis tribulationibus, adeó nõ sunt animi turbati, vt etiam gauderent, quod illis digni facti essent. Imó S. Iacobus ex pinnaculo templi deiectus pro suis interfectoribus orabat. 1. Io. 5.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt Si quo minus dixissem vobis. Vado parare vobis locum. Considera Christum his verbis Apostolos, & nos animare ad multa pro ipso perferenda, q.d. Estote bono animo, nihil frustra pro me patiemini, siquidem tam varia in cœlo parabo vobis præmia, quam fuerint vestra merita, quia ibi quisque recipiet secundum sua opera. Vnde teste B. Paulo, Sicut Sol claritate à Luna & aliis stellis differt. sic & sancti different inter se. 2. Cõsidera. si velis ad locum beatitudinis ante constitutionem mundi imo ab æterno tibi, aliisque electis paratum venire, necesse esse, vt illum cum Christo tibi præpares. Christus eum præparauit sua passione, ascensione & missione Spiritus Sancti, tu vero similiter bonis 2. 1. Cor. 15.

operibus & passione *Christus enim passus* 1.Pet.2 *pro nobis, nobis relinquens exemplum.*

Considera virtutes Apostolicas Iacobi fratris Domini, imitatione dignas? Vinum & siceram ab infantia non bibit, carnibus & piscibus abstinuit, lintea tantum vestis vsus, non oleo vnctus, non balneo vsus, ita saepe in genua procumbens, vt callum obduxerint ad modum cameli, ram sanctum vt fimbriam vestis populus conaretur attingere, vt solus intraret sancta sanctorum nonagenarius pro Christo lapidatus, & fullonis fuste enectus.

3. Maij. INFESTO INVENTIONIS S. CRVCIS.

VIDE Meditationem in Euangelium I. Dominicæ S. Trinitatis.

24. Iunij. IN FESTO S. IOANNIS BAPTISTÆ.

De S. Ioannis Natiuit. Luc. 1.

ELISABETH *impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Vicini autem & cognati congratulabantur ei.* Considera nullum sanctorū esse post Christum & B. Virg. in quem æquè oculos cōjicere debeamus, ac in S. Ioannem Baptistam, cuius laus nō

solum

solum est crebra apud S. Lucam & Euangelistas, verum etiam apud sanctitatis omnis auctorem Christum; nūc illum præferentem inconstanti populo, nunc Patribus & prophetis nunc omnium mulierum filiis nunc inter angelos ponentē vt dubitare non debeas laude dignissima, quæ de eius virtutibus scribuntur. 2. congratulati sunt B. Elisabeth amici & cognati ꝙ tandē eius voto satisfactū esset vt sterilis pareret filiū secundum angeli prædictionē, & quidem prædictionē tam magnificā; Dixerat enim eum fore magnū corā Domino, non coram mundo, replēdum spiritu sancto ex vtero vinum & siceram non bibiturum filios Israel conuersurum, &c. vt discas gratulari proficienti in virtute, non autē proficienti in opibus & vanitate seculi.

Die octauo circumcisus est puer, & cum cognati vellent eum vocare Zachariā, mater & pater Zachariæ ex instinctu, angeli vocari iussere Ioannem. Considera Ioannem fuisse circumcisum non quod opus haberet (erat enim in vtero sanctificatus) sed vt exemplo Christi obsequeretur legi, nulliqúe offendiculum præberet. Considera 2. nō esse illi impositum nomen paternū, sed Ioannis, id est, gratiæ Dei, quia ipse præcursor

erat futurus auctoris legis & gratiæ, & d
gito eundem demonstraturus. *Lex enim*
Mat. 11 *Prophetæ vsque ad Ioannem.* 3, illud inci
cumcisione impositum vt intelligamus
gnum esse gratiæ Dei in nobis habitant
si à corde nostro omnes carnales cupidit
tes rescindamus. eo quod in vno cor den
possit simul versari Christus & mundus.

3. *Et factus est timor super omnes vicinos e*
rum in corde dicentium, quis puer iste erit; E
Zacharias repletus est Spiritu Sancto pr
phetans. Benedictus DEVS *Israhel.* &c.
Considera populum propter mirãda, qu
acciderunt in natiuitate B. Ioannis ment
scisscitari, qualis tandem futurus sit? Sc
angelus id aperuit, fore scilicet magnum
coram Deo, seueram vitam acturum, ma
gno zelo improbos reprehensurum, & ad
pœnitentiam adducturum, alios etiã per
tracturum ad vitam perfectam; vt scias ha
virtutes esse imitatione dignissimas, 2. Za
chariam patrem S. Ioannis post linguam
solutam, mox erupisse in laudes Dei, vt di
sceremus, cum gratia eliqua spiritali vel
temporali donati sumus, stati m nos debe
re suæ diuinæ maiestati ore opereque gra
tos exhibere: sic enim gratiam acceptam
conseruabimus augebimusque.

MEDI.

MEDITATIO II.

De vita & virtutibus in Euangelio expressis.

1.

CONSIDERA, cũ Christus clarè dixerit Matthęi 11. *Inter natos mulierum non surrexisse majorem Ioanne Baptista*; ob quasnam virtutes tantum præconium meruerit, & inuenies præcipuè tres, humilitatem scilicet, vitæ seueritatem, & charitatem in Deum & proximum, propter hæc enim tria pii etiam apud vulgus hominum sanctitatis opinionem conciliare solent: Primó ergo expende in quo declararit humilitatem. Declarauit autem primó in eo, qnod cum multi etiam Pharisæi & Sadducæi baptismi ab eo suscipiendi causa confluerent, palam fassus sit post se venturum alium, cuius non esset dignus corrigiam calceamẽtorum soluere: cogitarãt enim multi in corde suo, forté ipsum esse Messiam, deinde cum Christus ipse aduenisset, humiliter restitit dicens. *Ego à te debeo baptizari & tu venis ad me?* 2. cum Iudæi ad eum misissent legatos, Sacerdotes & Leuitas, rogatum, an esset Messias; Elias, Propheta, negauit se esse: cum tamen sine mendacio potuisset se Eliam & Pro-

Mat 3.

Luca 3.

Ioan. 1.

phetam vocare. nam Christus ita eum v
cauit. Cum rerò iidem vrgerent, quis e
Ioan. 3. esset, respondit, se esse *vocem clamantis*
deserto. qua nihil fragilius. 3 cum eius d
scipuli rursum iactarent, respondit? *Ch*
stum oportet crescere me autem minui. Qui
cœlo venit, super omnes est. Qui de terra e
de terra loquitur. Ecce ex humilitate voc
sua dicta terrena, Christi cœlestia. 4. hu
militatem etiam vili victu & amictu, cu
tamen nobili stirpe esset oriundus; decl
rauit.

2. Considera vitæ austeritatem. Primò i
habitatione quia à prima pueritia in sol
Mat. 3. tudine vixit vsque ad annum ætatis trigesi
mum, 2. in victu, quia cibus eius fuit lo
Luca 1. custæ & mel syluestre, potus aqua. Vinum
enim & siceram non bibit, teste angelo,
3. in vestitu, qui fuit ex pilis camelorum,
cum zona pellicea. Adiunge diritem lecti
nempe terræ, continuas quasi vigilias,
preces, & meditationes rerum diuinarum
noctu diuque, Vnde S. Patres eum vocant
Principem, & Patriarcham eremitarum &
omnium monachorum. nam egressus è so-
Mat. 9. litudine discipulos, quos collegit, docuit
ieiunare, cum tamen Christus id non exi-
geret à suis discipulis.

Con-

Considera charitatem & zelum, quod omnes hortaretur ad pœnitentiam, confessionem peccatorum baptismum & fructus pœnitentia dignos, id est, ad bona opera. 2. quod milites, publicanos, mulieres, & alios quosuis homines instituere ret quomodo viuere deberent. 3. quod discipulos collegerit, eos vt postea mitteret ad Christum, vti misit Andræam Apostolum. 4. quod vbique non tam sui, quam Christi honoris rationem habuerit. & illi testimonium præbuerit. 5. quod libeté Saducæos & Pharisæos hypocritas arguerit, & progeniem viperarum vocarit, & ignem inferni veram non agentibus pœnitentiã, minatus sit. 6. quod Herodem regem reprehenderit, & pro veritate sanguinem fuderit

Mrt. 3

Ioan. 1

Ioan. 1.

IN FESTO APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI.

Iuñ.

De remuneratione confessionis Petri. Matth. 16.

CHRISTVS *quærit ex discipulis. quem dicant homines filium hominis? Respondent, alij Ioannem Baptistam, alij Eliam.* Cõsidera humilitatem Christi, quod dum scit Petrum confessurum se esse filium Dei viui,

viui, vocat se filium hominis: vt discam semper submissè de nobis sentire & loq si quam autem meremur laudem, illam aliis potius enunciandam, iuxta illud. *Prou. 27* *det te alienus & non os tuum.* 2. Consider ideo varias fuisse opiniones de Christo turba hominum, quia inter se erant div & nullum certum caput vel Doctorem quebantur. Apostoli vero quia ducem caput habebant Petrum in opinione Christo consensere. vt discas si errare lis, libenter subiicere iudicium tuum E cleſiæ, ſummo Pontifici, ſuperiori.

2. *Vos autem quem me dicitis esse?* Respo *dens Simon dixit. Tu es Christus filius D viui. Tum Iesus. Beatus es Simon Bar na, quia caro & sanguis non revelauit tibi.* Considera, quod Dominus in quæstion posita discrimen faciat inter homines, & discipulos, quasi non homines essent, inquit Hieronimus, sed Dii quidam, vt ostendat, honorificé loquendum de ministris Ecclesiæ, deinde plura exigi ab his, & religiosis qui maiora dona à Deo accepe- *Luca 12.* runt quam à plebeis, iuxta illud. *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* 2. considera, dum Christus laudans Petrũ ob professionem fidei, vocat beatum simul

occa-

occasionem præbere non efferendi se quia addit: non carnem & sanguinem, sed Patrem cælestem id ei reuelasse: vt discas moderate semper cum opus est, homines laudare, ne locus sit vanæ gloriæ.

Ego dico tibi. quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Et dabo tibi claues regni cœlorum. &c. Considera Christum hìc Simonis nomen mutare in Petri, & cum nomine nouo facere prius petram, ac deinde fundare super eum Ecclesiam, vt vtraque re moneretur constantia in confessione fidei facta tuendæ & cæseruandæ, ac vt sine trepidatione primatum, licet rem arduam in se susciperet sciens; nec inferni portas contra petram prævalituras. Quo discas cum arduum ali quod officium tibi a superiore imponitur, non defutura præsidia dininitus, quibus illud sustineas cum fructu. 2. Consideres, summum Christi amorem in nos & Ecclesiam, quod Apostolis, eorumq; duci & capiti imprimis, tam admirandam reliquerit potestatem in terris, vt scilicet in potestate eorum esset aperire & claudere cœlum, ac quod proprium est Dei solius, remittere & ligare peccata. Et, quod amplius est, eandem potestatem ratam esse voluerit etiam in sim-

in simplicissimis sacerdotibus, licet ma
Quid hoc cogitari potest mirabilius.

MEDITATIO II.

De S. Petri vita,

CONSIDERA, cum Sanct. Petrus p
ceps Apostolorum fuerit, cui à Chr
sto illi principatus fuerit delatus, nec dub
um, quin ob eximias virtutes, quas depl
des inprimis tres, fidem humilitatem &
Mat. 16 dentē charitatē. Fidem ostendit excell
tem in eo quod Christo rogante di
los, quid de se sentirēt, ipse solus mox d
rit: *Tu es Christus filius Dei viui*. obqua
professionem ei promissum est, quod
Matt. put Ecclesiæ esset futurus. Deinde Chris
14 ambulante super aquas & ipse insiliit
aquas fidens potentiæ Christi, & super
ambulauit. In quem locum scribens Hie
Luc. 5. ronimus. In omnibus locis, inquit, arden
tissimæ fidei inuenitur Petrus. A
tota nocte laborans nihil cepisset pisciu
In Verbo tuo, inquit ad Iesum, *laxabo re*
& tot capti sunt vt ruptum sit rete Post re
surrectionem verò, cum eo stante in lit
Ioa. 21. re, Ioannes diceret, *Dominus est*, Petrus tu
nica succinctus abiecit se in mare.

Consi-

Cõsidera eius humilitatem. Nam apud Lucam conspecto miraculo capturæ piscium, in genua procidens se Christi præsentia indignum censuit, & dixit: *Exi à me quia homo peccator sum.* In lotione etiam pedum horrore concussus: *Domine*, inquit *tu mihi lauas pedes?* Post ascensionem Christi scilicet iam pastor summus, & passus est se mitti ab aliis apostolis in Samariam, & apud Simonem coriarium hospitatus est, & palam à B. Paulo reprehendi sustinuit, memor scilicet dicti Christi. *Qui major est in vobis, fiat sicut junior, & qui præcessor est, sicut ministrator.* Deniq́ue crucifigendus ex humilitate capite in terram verso petiit affigi, ne æquaretur Christo.

2. Luc. 5. Ioan. 13. Actorũ 4 & 9. Gal. 2. Luc. 22.

Considera, summum eius amorem in CHRISTVM & zelum, nam Ioan. 2. cum CHRISTVS tertio ab eo rogasset. *Diligis me plus his?* respondit, *Domine tu scis, quia amo te.* Declarat autem sæpius, vt cum relictis retibus secutus esset CHRISTVM: 2. cum CHRISTO narrante se occidendum, eum increpauit. & dixit *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* 3. cum nocte qua captus est CHRISTVS, dixit *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor in te.* cum pro defen-

3

Matt 4. Luc. 9. Matth 16. Matth 18.

sione

sione Christi Malcho resecuit aurem. c
captum vsque in atrium principis Sac
tum secutus est, cum post negatum Ch
stum fleuit amarè. Clemens Romanus
bit eum quoties gallum cantantem au
ret in genua procidisse, & fleuisse. 4. c
Christo dicente, *non habebis partem*
Io. 13. *cum*; si non lauero pedes tuos, obtulit
manus & caput. 5. cum expiscatus est
Ioanne, quis traditurus esset Christu
Nam si sciuisset, ait Chrysost. dentibus
Act. 2. cerpsisset. 6, cum ex zelo post accepti
4. 5. Spiritum Sanct. primus prædicauit Ch
stum, & initio 3 millia post 5 millia c
uertit, Ananiam & Sapphiram, quia p
missa non seruarant, extinxit, claudum
nauit, Cornelium gentilem baptizauit
tota domo. 7. cum passus est pro Christ
Io. 15. *Maiorem enim charitatem nemo habet, qua*
qui animam dat pro amicis suis.

MEDITATIO III.

De S. Paulo Apostolo.

2. CONSIDERA, quænam præcipuè
tutes eminuerint in Sancto Paulo Ap
stolo quod post B. Petrum tanti fiat in Ec
clesia & inuenies ternas maximè eminuis

Humili

Humilitatem Amorem erga ſalutem proximi, & deſiderium ardens patiendi pro Chriſto cum fortitudine ſingulari coniunctum. Humilitatem oſtendit ſtatim in cõuerſione ſua, cum de cœlo vocatus, dixit, *Domine quid me vis facere*, diuinæ voluntati ſe ſubiiciens, & Ananiæ inſtitutioni. *Act. 9.* 2. cum ad Corinthios ſcripſit. *Non iudicaui me ſcire aliquid, niſi* IESVM, *& hunc crucifixum*. Et: *nouiſſime omnium Chriſtus tanquam abortiuo viſus eſt & mihi. Ego enim ſum minus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus. Gratia autem Dei ſum, id quod ſum.* Et, *Nihil minus fui ab ijs, qui ſupra modum ſunt Apoſtoli, etſi nihil ſum.* Et ad Timoth. *Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.* 3. cum vocat ſe *ſeruum & vnctum Ieſu Chriſti*. 4. cum, licet à Deo doctus, poſt annos aliquot prædicationis venit Hieroſolymã ad Apoſtolos, vt cõferret cum illis Euangelium, ne forte in vanum curreret, *1. Co. 2.* *1. Co. 15.* *2. Cor. 12.* *1. Ti. 1.* *Eph. 3.*

Conſidera flagrantem amorem erga ſalutem proximi, quem oſtendit ita ſcribens Romanis. *Veritatem dico in Chriſto. Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Et ad Corinthios. *Cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt* *Rom. 9.* *1. Co. 9.*

2. Cor. 12. *plures lucrifacerem : omnibus omnia fact*
sum, vt omnes facerem saluos. Et. *Ego libe*
tissimè impendam, & superimpediar ipse
animabus vestris, licet plus vos diligens, m
nus diligar: Vnde cum nullam mercede
1. Co. 6. ab illis ob prædicationem recipere velle
sed propriis manibus nocte laboraret, i
scripsit. *Bonum est mihi magis mori, quã*
vt gloriam meam quis euacuet. Deinde
carcere scribit Philemoni pro Onesim
seruo furace, vt eum recipiat in gratiam
Tu, inquiens, *illum vt mea viscera susci*

3. Considera amorem eius in Christum,
ardens desiderium p eo patiendi, quod d
Ro. 8. clarat, ita scribens Romanis. *Quis nos sep*
rabit à caritate Christi. Certus sum quia n
mors, neq; vita, neq; angeli, neq; instãtia, n
futura, neq; altitudo, neq; profundum, n
creatura alia, poterit nos separare à charit
Gal. 6. *Dei, quæ est in Christo Iesu*. Et Galatis. *M*
absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Ie
Christi, per quem mihi mundus crucifixus c
& ego mundo. Ego stigmata Domini Iesu
corpore meo porto. Christo confixus sum cru
Gal. 2. Et Corinthiis. *Placeo mihi in infirmitat*
bus, in contumeliis in necessitatibus, in perse
cutionibus, in angustijs pro Christo. Ter virg
casus sum, semel lapidatus sum, ter naufr
gium

gium fici. &c, Et tandem pro Christo passus est.

2. Iun.

IN FESTO VISITATIONIS B. V. MARIÆ.

De Maria cognatam suã visitante. Luc. 1.

EXVRGENS *Maria, abijt in mõtana cum festinatione, & intrauit in domũ Zachariæ, & salutauit Elisabeth.* Cõsidera ardentem B. Virg caritatem, postquam Christũ in vtero concepit, quod cum sola inter domunculæ suæ secretum viuere consuesset, nunc eam nec ætas tenella, nec virginalis verecundia, nec montium asperitas retardarit, qno minus inuiseret cognatam Elisabeth. 2. profundam humilitatẽ, quod cum esset facta mater Dei, ac ideo digniſſima quæ visitaretur, nõ verita est se demittere, inster ancillæ, ad visitandam Elisabeth lõgè se inferiorem. 3. diligentiam in itinere perficiendo, & feruorem, qui cum magna festinatione & pedes in comitatu aliquot pauperum virginum, imó angelorũ multorum, cum summa modestia & alacritate per aspera montium cucurrit. *Nescit enim tarda molimina*, ait S. Ambrosius, *Spiritus sancti gratia.*

Vt audiuit Mariæ salutationem Elisabeth 2.

exultauit infans in vtero eius, & repleta Spiritu sancto, exclamauit. Benedicta tu inter mulieres. Vnde hoc mihi, vt mater Domini veniat ad me? Considera quam beati sint qui visitantur à Maria, nam eius præsentia & S. Ioannes in vtero existens repletus est Spiritu sancto, & ipsa Elisabeth ac Ioannes quidem rationis vsu diuinitus in eo accelerato, præ gaudio exultauit, tentans ex vtero egredi, vt Christum cum matre videret. 2. Considera, quomodo S. Elisabeth ruat in amplexus B. Virg. dicens. Benedicta sis arbor, benedictus & fructus ex tali arbore productus. Vnde ego merui, vt mi Dei mater venires ad me, cum ego potius vtpote serua & ancilla tua debebam venire ad te. Sed humilitas tua voluit præuenire me, sicut postea est præuenturus filius tuus, filium meum, cum petet ab eo baptizari. 3. Considera, si Elisabeth ob aduentum B. Virg. exclamat. Vnde hoc mihi? quid nos dicere debeamus, qui sumus pleni peccatis, cum toties domum animæ nostræ ingreditur filius Dei in S. Eucharistia.

3. *Et ait Maria. Magnificat anima mea Dominum, & mansit cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.*

Consido-

Considera quanto hoc laudum præconio Maria rubore suffusa fuerit, quomodo se contra deiecerit, & cum ignem cordi incluſum amplius coercere non posset, oculis in cœlum sublatis, gloriam omnem in Deum transtulerit, dicens. *Magnificat anima mea Dominum*, à quo omnia bona sunt mihi hactenus collata. Infantulus quoq; Ioannes ob meam præsentiam exultat, at spiritus meus exultat in Deo salutari meo. 2. Considera, quantis lætitiis incesserint duæ illæ beatæ matres, quibus laudibus, qua gratiarum actione Deum pro sue cõceptionis beneficio sint prosecutæ, quanta caritate & studio B. Virgo omnia serui lia ancillarum officia per totos tres mer ses ibi exhibuerit, quomodo se mutuo h... militate & caritate præuenerint, ac de que, quanta cum consolatione B. Vir tandem domum, vt concursum homin in natiuitate Ioannis futurum fugerot, uenerit. O anima mea, vtinam comi... potuisses Mariam per illos montes, nam licuisset videre suaues illos sãctarũ matrum amplexus, inaudire mutua salutationis officiosæ verba, non dubito quin cum sacra virgine accinuisses sacrum canticum, *Magnificat*. Nunc autem, quia cor-

pore non potes, ſpiritu ſaltem te miſc
tantis gaudiis, abiice te ad pedes nun
huius, nunc illius, & in vtero B. Mariæ al
ora ſponſum: in vtero vero B. Eliſabeth
ſponſi amicum.

22. Iul. IN FESTO M. MAGDALENÆ

De conuerſione eius. Luc. 7.

1. CHRISTO *inuitato & accumbente*
Phariſæi domo, ingreſſa eſt mulier, q
fuerat in ciuitate peccatrix, deferens alab
ſtrinum vas vnguento plenum. Conſider
bonum IESVM ex ſumma benignitate, &
ardenti animas iuuandi zelo nunc inuita
tum adire conuiuia, nunc ſe vltro inuitan
vti fecit bono Zachæo, nec aliam ob cau
ſam, quam ad conuertendos peccatores
Et quamuis Phariſæi criminati illum eſ
ſent, quod pranderet cum peccatoribus,
nunc tamen & Phariſæum adire vt eius re
dargueret ſuperbiam. 2. conſidera diſcum
bente IESV Mariam Magdalenam pecca
tricem omni abiecto pudore irruere in lo
cum conuiuii, omnia gemitibus complen
& iucunda turbare colloquia, quod graue
quidem fuit Phariſæo, ſed non Chriſto: fe
rebat enim in vaſe ſui cordis vnguentum

odori

odoriferum humilitatis & contritionis, valde Deo gratũ, quia cor cõtritum & humiliatum, ait Dauid, Deus non despicies. Ps. 50.

2. *Stans vero, cœpit pedes eius rigare lacrymis, & capillis suis abstergere, deosculari, & vngere.* Considera eius humilitatem retro stantis, quia non audebat se in cõspectum Christi dare, sed nec mutire, quia crebri singultus vocem intercludebant. Silentium certè non ad cœlum solũ pertingens, sed & cor Dei penetrans. 2. nota, quomodo tacta dolore cordis distracto capitis ornatu ruat ad pedes licet ex via sordibus; quãto imbre lacrymarum perfundat, quam extergat capillis sedulo, quoties oscula cum suspiriis imprimat, quanta copia vnguenti tingat. 3. considera, quam patienter Christus toleret omnia, quanta cum voluptate aspiciat, quam efficaciter radiis suæ gratiæ illustret eius animam, & lauet, quantum conuiuarum silentium, quam angeli gaudeant ibi præsentes, super peccatrice pœnitentiam agente.

3. *Criminatã eam à Pharisæo defendit Christus, & ait ad ipsum. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Et ad ipsam. (Fides tua te saluam fecit, vade in pace.)* Considera bonitatem IESV, quod cum

Phariſæus iniuriam fecerit, & Chriſto, in
dicans eum non eſſe prophetam, & mulie
ri, vocans peccatricem, Chriſtus neglecta
ſua iniuria, patrocinium ſuſcipiat fam
mulieris. concipitque eum, ſe plus à mu
liere ob officia amoris præſtita diligi. qui
ab ipſo, qui nec caput ſuum vnxiſſet, quod
tamen hoſpitibus fieri non ſolebat. 2. Co
gita quantam lætitiam pacem & tranquil
litatem animi ſenſerit Magdalena, auditis
verbis Chriſti. *Remittuntur tibi peccata
tua, & fides te ſaluam fecit.* Tanta enim
conſolatione cor eius colliqueſcere cœpit
vt ſtatim ſe è conſpectu Chriſti proripue
rit. 3. Conſidera in hoc conuiuio tria fu
iſſe conuiuia. Primó Phariſæus pauit Chri
ſtum, vt diſcas & tu eum paſcere ſanctis
deſideriis & piis operibus. Secundò, Ma
gdalena pauit eundem corde contrito, vt
tu quoque dicas. *Cor mundum crea in me
Deus.* Tertio, Chriſtus pauit Magdalenam
pane gratiæ & amoris diuini, vt deinceps
ſorderent illi mundi illecebræ: quo
& tu quoque talem panem de
cœlo poſtules.

IN PL

IN FESTO S. IACOBI APOSTOLI

25. Iul.

De petitione matris filiorum Zebedæi. Matt. 20.

MATER *filiorum Zebedæi, cum à Christo petiisset, vt vnus filiorum ad dexteram eius alter ad sinistram sederet, Respondit. Nescitis quid petatis.* Considera cæcitatem discipulorum Christi, qui cum omnibus relictis illi adhæsissent, & eo ipso puncto temporis de passione sua loquentem audissent, iam per matrem petitionem proponunt ambitionis & proprii amoris plenam: vt scias ne in religionis quidem statu te à talibus cogitationibus & tentationibus fore securum, si carnem & sanguinem consulas & non alios spiritu Christi præditos. 2. Considera quam benignè & sapienter Christus eis respondeat. *Nescitis.* benignè, quia texit turpem lapsum pallio ignorantiæ, verè, quia pompam externam tantum temporalis regni præ oculis habebant & non aduertebant, quot curæ, pericula & labores sub eo delitescerent: deinde quia eorum petitio cum Christi doctrina & exemplis è diametro pugnabat. Vere nescit quid petat qui extra Deum aliquid

quærit, quia deserto fonte claro accedit turbidos riuulos, relictis æternis qua fluxa. Deum amare, illique perobser tionem mandatorum & consiliorum uire, veré regnare est.

2. *Christo rogante, possentne secum cali bibere, Respondere. Possumus. Tum Chri Bibetis quidem, sed sessionem petitam d non est meum, sed Patris. Et audientes cem, indignati sunt.* Considera, quanta vis affectuum humanorum, vt quando offert spes alicuius dignitatis, non expe virium imbecillitate, contemptis om bus impendentibus periculis, ad eam mo adspiret, & dicat, possum, cum non fit, 2. Considera quam prudenter, ne ca sam mœroris daret aliis discipulis, petiti nem eorum, nec probet, nec renuat, sed respondit, vt sperare potuerint se sessio illa non temporali, sed spirituali potiu ros, 3. considera, ideo reliquos decem dignatos, quia vtique res odiosa est, re anteponi & imperare aliis, indeque di turius esse versari in loco humili, in qu nullus est inuidiæ locus.

3. *Dixit Christus discipulis. Principes gen tium dominantur eorũ. Qui autem inter vo vult fieri major, sit vester minister: sicut fil homin*

hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam. Considera, munus eorum, qui ad dignitatem prælati, & superioris, vel magistri vocati sunt, esse, vt ipsi non tam dominentur, quam seruiant subditis, eorum bonum anteponendo proprio: ac ideo maiores esse, quo plus se submittunt, & maiores labores & afflictiones pro salute subditorum vsque ad mortem sustinent. 2. considera quomodo Christus tota vita sua ministerii, & se demiserit, ac animam suam posuerit pro tua salute, & inuenies exemplar perfectissimum, quod imiteris, si velis esse eius discipulus 3. considera, quã longè discedant à spiritu Christi, qui non alia de causa ad Prælaturas & dignitates aspirant, nisi vt aliis imperent, magnas opes congerant, & lauté viuant.

IN FESTO S. LAVRENTII MARTYRIS.

10. Augusti

De grano frumenti. Ioan. 12.

1.

IESVS *dixit discipulis. Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. si autem mortuũ fuerit, multum fructum affert,* Considera, licet nomine huius grani primario designetur Christus, granũ purgatissimũ ab omni pec

cato

cati palea, quod mortuum in terra cru
salutis æternæ fructum peperit; secund
rio tamen designari ab Ecclesia mystic
eius membrum S. Laurentium, qui sic
granum, concussione flagelli persecu
nis, purgatus est ab omnibus terrenis a
ctionibus; vt discas non spernere tribul
ones, quia purgant sæpe nos à mul
peccatis. 2. Considera, mortuum fuisse
terra, tum quia carnem suam in hac v
prorsus spiritui subdidit, & mortificau
contemptis omnibus mundi delitiis, te
quia constanter per atrocissima licet t
menta, pro Christo mõrtẽ oppetiit. 3 m
tum fructum attulisse, tum quia sua p
sione maximam gloriam in cœlo & inte
ra obtinuit, tum quia suo exemplo & co
stantia plurimos ad Christi fidem conuc
tit, & vt similia paterentur, autor fuit.

2. *Qui amat animam suam, perdet eam, q
verò odit in vitam æternam, custodit eam*
Considera eum amare animam, qui ama
huius mundi commoda, opes honores, vo
luptates præ Christo: odisse autem, qu
contemnit, vti fecit S. Laurentius, qui de
sertis omnibus opib⁹, deserta Hispania li
cet iuuenis seruiuit Xisto Papæ Roma
3. Xisto ad supplicium rapto, exclamauit

Qu

Quo progrederis sine filio pater, cui respondit. *Maiora tibi debentur certamina. Post triduum sacerdotem sequeris Leuita*. 3. omnes facultates Ecclesiæ distribuit in pauperes, Christianis ante passionem suam latentibus in cryptis pedes abluit, cæcum sanauit multos cõuertit & baptizauit, craticulæ affixus tortores irrisit, tyranno dixit: *Assatũ est satis, versa & manduca*, quia segnior erat ignis, inquit B. Leo, qui foris vssit, quã qui intus accẽdit. Flãmis corporeis superati caritatis Christi flamma nõ potuit.

Si quis mihi ministrat; me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus. Considera, illum ministrare Christo, qui eius mandatis & monitis tanquam obediens famulus obedit. 2. qui eius vices si sacerdos vel superior sit, sedulo obit. 3. qui pauperibus & afflictis, operibus misericordiæ, vel corporalibus vel spiritalibus subuenit. Testatus est enim sibi fieri, quod vel minimo in eius nomine fiet: quæ si nos quoq; faciamus, verè Christum velut ducem & magistrum nostrum sequimur. Perfectissimè autem sequutus est S. Laurentius, qui tam fidelis fuit minister, vt etiam sanguinem pro eo profuderit &

rit, & exemplum eius in passione sect
sit. 2. considera, quantum præmium
cœlo S. Laurentio & omnibus qui alic
pro Christo patiuntur, aut Christi me
bris per caritatem serio ministrant, p
tum sit, quantus honor & gloria sine
bio maior quam mens nostra excogit
queat.

15. Aug.

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. V. MARIÆ.

De Christo recepto in domum Marthæ. Luc. 10.

1. MARTHA *excepit Christum in dom*
suam, cuius soror Maria sedens s
pedes Domini, audiebat verbum illius. C
sidera, Mariæ Magdalenæ non tribui
mum, quia qui contemplatiuæ vitæ se
dicant in religione, debent aspernari
mnes huius mundi possessiones & cura
soliq́ue Christo adhærere. 2 Christum
eam recipi domum, vbi Maria coniunc
est Marthæ, vt significetur pfectiorem
tam eos profiteri, qui non solum vitam
templatiuam in meditando orandoq
sequuntur, sed etiam actiuam iuuando
ximum anima vel corpore, concionibu
lectio

lectionibus confessionibus, visitatione infirmorum & vinctorum. 3. considera, quo quis humilior est, & ad Christi pedes se abiicit libentius, hoc magis cœlestis doctrinę eius reddi capacem.

Marthæ conquerenti, se solam in ministerio relinqui, dixit Dominus. Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. Considera Marthæ ministerium & sollicitudiuem, licet duplici nomine sancta fuerit, tum quia erat virtutis caritatis & hospitalitatis, tum quia erat sollicitudo de ipso sancto sanctorum pascendo, tamen reprehensiuncula non caruisse, quia nimia erat, & mentem inquietam reddebat; vt discas, si secularis sis, ita rei domesticæ curandæ inuigilare, ne turbes mentem, & negligas officia pietatis: si vero religiosus, ita circa profectum in literis sollicitus sis, vel aliam rem, vt ne tuam salutem negligas. 2, Cõsidera, Marthæ spiritalem aliquam inuidentiolam obrepsisse, quasi molestè ferret sororem solam diuino Christi frui colloquio, vel etiam siniſtrum iudiciũ, quasi otiosa esset, præstareque eam secum laborare, quã Christũ molestare: vt discant omnes pietatis studiosi verum q; virtium carere: facile enim solent peccare seculares,

vt pu-

vt putent clericos & monachos esse hom
nes otiosos. Et religiosi, qui laborant
proximis iuuandis, vt putent contem
tiuos, quales sunt eremitæ Benedictini
Carthusiani, parum esse Ecclesiæ viles

3. *Porro vnum est necessarium. Maria o*
mam partem elegit, quæ non auferetur a
Considera vnum simpliciter nobis om
bus esse necessarium, vt primum qua
mus regnum Dei, id est, salutem ani
nostræ, vti quæsiuit Magdalena; ceter
nim omnia non absolutè, sed secund
quid sunt necessaria, vt victus, amic
eruditio, &c. quatenus promouent a
Matt. lutem. *Quid enim prodest homini*, ait C
16. stus, *si vniuersum mundum lucretur, an*
vero suæ detrimentum patiatur? 2. Consi
ra, bonam quidem partem cum Mar
eligere seculares, qui ita domesticas
curant, vt Christo seruire suo tempore
negligant; Cleris autem meliorem, q
rum cura præcipua est diuina peragere
ficia: Religiosos optimam, qui omnia
rerum temporalium abiecta diuinis pre
bus & contemplationibus pro sua alio
rumque salute promouen-
da, vacant.

MED

MEDITATIO II.

De dormitione & assumpione B. Virginis.

CONsidera quanto gaudio B. Virg. exultarit cognita hora dormitionis: vixerat enim in terra, velut in longo exilio. 2. quomodo ante mortem miraculosè Apostoli adfuerint, quanto honore eam affecerint, quam ardentes preces cum ea fuderint, quantum vtrinq; ex mutuo conspectu gaudium exortum. 3. quanta pace & vultus serenitate inter angelicos concentus & Apostolorum gemitus anima evolarit quanta cum gloria filii sui brachiis infonibus cœli excepta. & ad thronum Patris cœlestis delata.

Considera, quanta cum gloria & splendore, iussu Patris cœlestis comitãtibus angelis, paulo post de cœlo delapsa sit, vt omnium laborum socium, corpus suum assumeret. 2. cogita quantus mox B. Virginis splendor, venustas, gloria apparuerit: si enim alii iusti splendebunt sicut Sol, quantũ splendebit omnium iustorum Princeps mater Dei, quæ nullo vnquam peccato animam obscurauit. 3: perpende, quam mirabili angelorum aliorumque sanctorum

comitatu in cœlum euecta sit, qui con
tus angelorum, quę laudes animarum
ctarum, quam gloriosus in cœlum ing
sus fuerit.

3. Considera, quantum gaudium fu
Christo videre & complecti carissimā
matrem, quam amanter manu appreh
sam in lucem cœli inaccessam introd
rit, quomodo supra omnes thronos a
lorum & sanctorum euexerit, & sāctiss
Trinitati præsentarit, 2. Quomodo be
gnè recipiat eam Pater cœlestis vt fil
Filius vt matrem, Spiritus S. vt spons
quomodo in splendidissima sede ad de
ram filii eam omnes tres collocent, & p
tiosissimam coronam 12 stellis, quasi m
garitis fulgentem eius capiti iidem tre
mul imponant, tota cœlesti curia fau
acclamationibus, hymnisque suauissi
applaudente.

24. Augusti.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

De oratione Christi in monte. Luc. 6.

1. CHRISTVS *exijt in montem orare, &*
rat pernoctās in oratione Dei. Et die fa
eleg

elegit ex discipulis duodecim quos & Apostolos denominauit. Considera admirabilem deuotionem. & profundam reuerentiã, qua cum multis lacrymis, nunc genibus flexis nunc pronus Deo Patri pro nostra salute & Apostolis eligendis supplicarit: vt discas multò magis tibi pro eadem salute tua esse feruenter supplicandũ, nec magnũ aliquod opus aggrediendũ, nisi rẽ Deo prius cõmendaris, & maxime si quis tua opera in Prælatũ & ministrũ Ecclesiæ, vbi respectus humani facile hominem fallunt, sit eligendus. 2. Considera 12 electos à Christo vocatos Apostolos i. nuncios, quæ vox est humilitatis & obedientiæ, vt velut Dei legati humiliter & promptè quæ à Christo didicissent, annunciarent.

Cum autem de monte descendisset, multos sanauit à languoribus suis, & qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Et quærebat turba eum tangere, quia virtus de illo exibat. Cõsidera, Christum post electos Apostolos statim descendisse de monte, vt discas ea, quæ in monte contemplationis & rerum diuinarum meditatione in cubiculo didicisti, & facere proposuisti in opus conuertere. 2. vt operam tuam strenuè communices omnibus, qui morbo aliquo 2.

corporali ſpiritualiuè laborãt, ac pii
ribus rationeq; viuendi tota tam bo
exemplum præbeas, vt tua conſuetu
oblectentur, & intelligant virtutem
exire, id eſt, ſibi tuam doctrinam & c
ſationem ad ſalutem animæ prodeſſe

3. Conſidera S. Bartholomęum du
maximè virtutibus nunc commem
excelluiſſe. nam primó centies inter
centies noctu ſcribitur flexis genibus
orare ſolitum. Deinde in citeriore
Lycaonia & Armenia Euangelium
dicauit, & virtutes ſuas omnibus, d
ſanguinem pro Chriſto profunderet,
bauit.

IN FESTO NATIVITAT
B. V. MARIÆ.

De Genealogia Chriſti. Matth.

1. LIBER *Generationis Ieſu Chriſti fil*
uid, filij Abraham. Abraham genu
ac. Iſaac genuit Iacob. Conſidera quan
erit B. Virg. nobilitas, maiores enim
fuerũt, & ſplendore generis inde à Pa
cha Abraham, & veræ ſapientiæ ac re
onis opinione, & ſanctitate ac virtutũ
ſtantia in toto mundo illuſtriſſimi,

bus Deus visibiliter legem dedit, & familiariter locutus est, & in omnibus rebus semper auxilio fuit. 2. considera B. Virginē suis virtutibus progenitoribus maiorem conciliasse splendorem, quam ab illis acceperit, vnde sicut prætiosa gemma annulo aureo inserta, auget eius splēdorem, sic naturæ gratiæque dotes totam eius stirpē clariorem reddiderunt.

Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. 2. consídera Euangelistam post tot Patriarchas, Prophetas, & Reges nominatos (vt indicaret omniū virrutū & perfectionū summam) nominasse Mariam Virginem Dei matrem, qua nihil sublimius dici potuit. Quid enim sanctius illa esse potuit vel debuit, ex qua prodiit Sanctus sanctorum Iesus, conditor & saluator mundi? 2. considera eam non solum esse natam matrem Iesu, sed etiam nostram: nam postquam Iesus ex illa natus, nascendo fuit factus noster frater, illa pariter facta est nostra mater, mater inquam gratiæ, quia nobis per filium suum esse spirituale gratiæ comparauit. mater misericordiæ, quia materno pietatis affectu conatur nobis in omnibus ærumnis, & maxime in hora mortis adesse

1. Considera quantam lętitiam eius ort attulerit toti mundo Et primó angelis vident natam illam quæ eorum ruinas restauratura 2 hominibus tunc limbi ceri inclusis, dum intelligant aliquan finem fore suæ captiuitatis. 3. eius pare tibus Ioachim & Annæ, quod filium e dissent, q̃ futura erat mater Dei. 4. om bus peccatoribus, nonsolum quia ipsa p ma fuit quæ nasceretur immunis ab om peccato etiam originali, sed quia patro & aduocata futura erat omnium pecca rum. 5. toti Ecclesiæ sanctæ, quia spo eius paren s nata est, regina mundi, fen stra cœli, porta paradysi, scala ad cœli pertingens stella maturina: stella illa, d qua dixit Propheta. *Orietur stella ex Iac*

Num. Exultemus ergo & dicamus cum Eccle

24. NATIVITAS *tua Dei genetrix Virgo gaud annunciauit vniuerso mundo, ex te enim o tus est Sol iustitiæ Christus Deus noster, q soluens maledictionē & confundens mortem, donauit nobis vitam sempiternam.*

IN

IN EXALTAT. S. CRVCIS. 14. Septemb.

De crucifixione Christi. Ioan. 12.

DIxit Iesus turbis. *Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eijcitur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Considera summam sapientiam & potentiam Dei, quod ea re, qua nihil erat contemptius & infirmius in mundo, nempe patibulo crucis, omnẽ potentiam diaboli principis mundi i.e. peccatorum fregerit, & mundũ totũ à peccato & faucibus inferni & diaboli vindicaue rit, i.e. iudicando liberauerit: vt discas humilitate & contemptu sui omnes tentationes dæmonis & mũdi frangi. 2. Cõsidera tantum esse beneficium nobis præstitum p exaltationem Christi in crucem & mortem, tantamq; caritatem demonstratã, vt non modo allici, sed etiam trahi quodammodo, licet inuiti, in eius amorem debeamus. Et tanta est vis passionis, si serio perpendatur, vt non tam moueat, quam impellat hominem peccatorem ad conuersionem, & pœnitentiam, ac mortem etiam, dum opus est, vt accidit martyribus, libenti animo perferendam. 1.

2. *Respondit turba, audiuimus ex lege, qu*
Christus manet in æternum, & quomodo
dicis. Oportet exaltari filium hominis? Co
sidera turbam, id est, homines mundi, m
danarumque rerum, vt opum, honorum
voluptatum, & vitæ carnalis amantes n
intelligere, quæ sunt spiritus Dei, paupe
tatem contemptum sui, passiones, mort
& ideo non potuerunt capere hæc in Chr
stum conuenire: at qui Christi sunt disc
puli illi sciunt per paupertatem opprobr
& multas tribulationes perueniri adve
opes honorem, vitam ipsamque æternit
tem. Si enim granum frumēti cadēs in te
rā mortuū fuerit, multum fructum affer
Sic Heraclius imperator hoc die, non cu
gemmis & auro splendidus esset, sed cu
vili habitu, nudisque pedibus indutus e
set, meruit crucem ipsam Christi à Per
recuperatam, in montem Caluariæ, re
ferre.

2. *Adhuc modicum lumen in vobis est. Am*
bulate dum lucem habetis. vt non vos tene
bræ comprehendant, & qui ambulat in tene
bris, nescit quo vadat. Considera modicum
lumen in iis esse, qui non cum Apostolo
1.Co.2. Paulo dicere possunt. *Non iudicaui me scire*
aliud, quam Iesum & hunc crucifixum. sicut
mod

modicum erat in dicta turba, quomodo enim sequetur Christum clamantem. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*: Ideo solere nos frontem, totumq; corpus sæpe insignire cruce, vt hoc lumen in omni actione nostra præferatur: alioqui enim facile nos tenebræ, & tenebrarum Princeps suis tentationum laqueis esset comprehensurus.

INFESTO S. MATTHÆI APOSTOLI. *21. Septemb.*

De eius vocatione ad Christum. Matth. 9,

IESVS *videns Matthæum sedentem in telonio, ait: Sequere me, & surgens secutus est eum.* Considera potentiam & clementiam eximiam Dei, quod hominem immersum peccatis, & huius mundi curis, (vt sunt telonarii) dignetur extrahere tam subito ex peccatorum luto, & ad summam vitæ Apostolicæ perfectionem vocare, ab vno extremo ad alterum: vt discas, nullum esse peccatum vel imperfectionem, nullum etiam peccati statum, ex quo Deus, si eũ vocantem sequi velis, non possit velitque te 1.

extrahere. 2. Considera promptam obedientiã Matthæi, omnibus opib. negotiis posthabitis Christum insequentis. Cogita quoties te Christus vocet, vt eũ sequâtur, in hac illaue virtute te exerceas, hoc vel illud bonum opus facias, & tamen sanctam eius inspirationem respuis, vel si admittas tamen exequi differs. Ora ergo Deum, vt semel perfectè omnib. cupiditatib. præ renuncies, & Christo soli aurem præbeas.

2 *Discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores discumbebant cum Christo & rogabant discipulos, cur cum peccatoribus manducaret eorum Magister.* Considera tantas fuisse Christi virtutes cũ summa humanitate coniunctas, vt etiam mali homines sponte se ei adiungerent. Instrue & tuam vitam, vt nonsolum scandalo nulli sis, sed etiã modestia, pietate & comitate ad tuũ colloquiũ alios allicias, & conuersationem tua meliores reddas. 2 disce non curare obloquutiones, sicut nec Christus curauit, nam detractor sibi soli nocet, sicut qui candelã emungit, digitos suos tantum vrit, & alius ꝓdest. 3 disce eos qui cum Matthęo sequũtur Christum, & deserunt mundum, lautũ apponere conuiuiũ Christo. quia nulla re magis delectatur, quam ꝓfectũ sui & mũdi contemptu.

Eius

Euntes discite. Quid est? misericordiam volo & non sacrificiū. Non enim veni vocare iustos sed peccatores. Considera rursum ineffabilem Christi clementiā & charitatem, q̄ ei quasi gloriæ suæ oblito, potius cordi sit erga peccatores misericordia, quā fuerint omnia sacrificia in honorem eius oblata, imò non propter iustos, quos tamen inprimis complecti deberet, sed propter peccatores de cœlo descenderit, humanam naturam assumpserit & contumeliosissimam mortem oppetierit. Considera, quam caritas & passio Christi efficax fuerit in cōuersione peccatoris Matthæi, vt & ipse Christi discipulus insignis, Apostolus & Euangelista factus sit, & postquā in Æthiopia longé lateque fidem Christi propagasset, vicissim pro Christo, tempore sacrificii incruenti in ara peracti sanguinem profuderit.

3. Ose. 6.

IN FESTO MICHAELIS ARCHANGELI.

29. Septemb.

De imitandis paruulis. Matt. 18.

ROgantibus *discipulis, quis esset major in regno cœlorum. Christus statuit paruulū in medio illorum, dicens, nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

1.

Con-

Considera quam congruenter in hoc festo præsens legetur Euangelium, quia sicut superbus Lucifer ob vsurpatum diuinũ honorem ex paradyso præceps ruit in profundum inferni: sic humilis S. Michael cũ toto bonorum angelorum exercitu, subiiciendo se creatori suo ad summam beatorum gloriam est euectus, vnde æternũ decretum Dei est, neminem venturum ad angelorum gloriam, nisi eandem cum illius humilitatis viam calcauerit. 2. considera, si angeli, licet beati, non dedignantur se ad ministerium hominum dimittere, velut
Heb. 1. paruuli. (*Omnes enim*, teste Apostolo, *sunt administratorij spiritus*) & societatem nobiscum inire, vt restaurẽt suas ruinas, quãto magis homo homini se debet submittere, fraterné vnicuiq; seruire.

2 *Quicunq; humiliauerit se sicut paruulus ille, hic est major in regno cœlorum.* Considera bonitatem Domini, tam facile medium præscribentis, vt simus in regno cœlorum maiores, quia vt scribit S. Bernard. sermone 2, de Quadrages. *Nihil est facilius volenti quam humiliare seipsum.* 2. nota parvulorum proprium esse, vt sint malitiæ doliq́ue expertes, corpore menteq́ue puri, non vindicare iniurias, omnibus cedere,

ſubmittere ſe maioribus, eosque reuereris id imitare, & humiliaueris te ſicut paruulus.

9. *Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis, quia angeli eorum in cœlo ſemper vidēt faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Conſidera quam graue peccatum ſit, parui facere puſillos, maloque exemplo offendiculum illis prębere: ſi enim ea re offenditur angelus eorum cuſtos, qui ſemper verſatur in conſpectu Dei, verendum eſt, ne non aduocatum tuum, vt ſolet, ſed accuſatorem agat. 2. conſidera, angelos etſi continenter in nobis cuſtodiendis & miniſtrandis ſint occupati, nō ideo abſtinere ab aſſidua diuinę faciei contemplatione: vt diſcas licet aliquando litterariis, vel aliis occupationibus ad ſalutem proximi ſpectantibus ſis diſtentus, non debere tamen obliuiſci orationis, & contemplationis rerum cœleſtium.

IN FESTO SIMONIS ET IVDÆ APOSTOLORVM. 28. Oct.

De dilectione mutua & perſecutione.

Ioann. 19.

DIXIT Ieſus diſcipulis. *Hæc mando vobis,* 1. *vt di-*

vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret. Considera, cur Christus tam sedulo mandet & commendet discipulis suis dilectionē mutuā; quia videlicet, inquit B. Gregorius, omnia alia præcepta in sola caritate solidantur. Vt enim multi rami ex vna radice prodeunt, sic multæ virtutes ex vna caritate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis. 2. Cōsidera; magno solatio esse debere pietatis studiosis, si ob pietatē videat, se multis malis hominib. exosos, quia ea in re ducē & antesignanū habēt Christū saluatorē suum & cōditorē, quo aūt miles tam vecors sit, qui nō velit similis ēē suo Imperatori? deinde ponere etiam in lucro, quia si patienter odiū istud ferāt, certum argumentū habent, se nihil habere cum mundo commune, quia mundus nihil suum, id est, nullam cupiditatem opū, honorum & voluptatum inuenit in illis.

Homil. 27. in Euan.

2. *Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonē meū seruárunt, & vestrū seruabunt.* Considera, multis modis te esse seruum Christi: 1. qua homo es, & ad imaginem Dei creatus. 2. qua christianus, quia te pretioso san-

guine suo ex seruitute peccati & dœmonis redemit. 3. quia sponte te ab iurata pompa Sathanę in baptismo ei consecrasti. 4. quia totum te si religionem es ingressus, in holocaustum, ei & superioribus obtulisti, ac ideo plusquã alii obligatus es eum imitari etiã in patiendo. 2. Considera ideo Christũ præmonere de persecutionib. suos discipulos, vt intelligãt tũc veros discipulos & seruos Christi se futuros, si Christũ maximé in passiõe imitẽtur, *Omnes n q piè viuere volũt*, vt docet Apostolus, *pſecutionem patiẽtur*; à mundo sc. dœmone & carne. 2. Tim. 3

Si non veniſſem & locutus eis non fuiſſem, 3. *peccatũ nõ haberent: ſimiliter ſi opera nõ feciſſem in eis, q̃ nemo alius fecit. nunc autem excuſationẽ nõ habent.* Cõsidera, cũ Christus per sua beneficia spiritualia toties nos visitarit, vt quod Christianis parentib. orti à Catholicis præceptorib. instituti simus, & quotidie tot diuinas inspirationes, cõciones & exhortationes, sanctissimaq́; exẽpla Sanctorũ miraculis illustriũ, vel sanctitate conspicuorũ, habeamus & videamus, inexcusabiles nos fore in die iudicii; si de fide Catholica aliquando dubitemus, aut vitam Christiano homine dignam non instituamus. 2, Considera, cum Iudæi, quibus locutus est CHRISTVS, & coram

quibus miracula fecit, ideo inexcusabi
sint, quia pertinaces in sua sententia ma
serunt, & putarunt messiam non posse
tam pauperē & abiectum, vt ille erat q
tum à pertinacia, & proprio iudicio
horrere debeat, maximé cum periclita
fides vel caritas.

1. Nouemb. IN FESTO OMNIVM SA
CTORVM.

De octo Beatitudinibus. Matt. 5.

1. IESVS *in monte sedens, eleuatis oculis in discipulos ait. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorũ est regnum cœlorum.* Cõsidera, Ch
stum ideo in mõte istas beatitudines d
cuisse, vt indicaret eas capi non posse, n
ab iis, qui perfectionis maioris desider
desertis vitæ sacularis vallibus, sectan
Iesum per iuga virtutum. 2. considera
vt bonum architectum perfectionis C
stianæ altissimum ponere fundamentu
nempe Paupertatem spiritus, in qua d
principes virtutes continentur, contem
ptus opum & illicebrarum huius seculi
contemptus sui; vel paupertas voluntar
& vera humilitas. 3. cogita paupertatis v
luntariæ præmium esse regnum cœlorum
qu

quia merito cœlestia debentur illis, qui contemnunt terrena: & certe qui ob Christum bonis terrenis se exuunt, vt religiosi, etiam in hac vita incipiunt possessores esse cœlestium delitiarum.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Considera, rectè paupertati addi mānsuetudinem, quia proprium est pauperum pati iniurias & opprobria, & ideo homini pio mansuetudo necessaria est, qua mala omnia sustineat, & vincat in bono malum 2. Considera, si pauperibus spiritu, id est, humilibus promissum est cœlum, & mitibus possessio terræ, superbis & iracundis quid aliud super est, nisi infernus? 3.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Considera, non esse beatos, qui lugēt rerum temporalium iacturam, sed qui lugent pro suis vel aliorū peccatis. 2. ob diuturnum huius vitæ exilium. 3. ob pericula varia salutis. 4. ob dilationem gloriæ, hi enim & in hac vita, & in futura solidam consolationem percipiunt. 2. Considera, si qui in hoc mundo tristes sunt, gaudent in altero, quem exitum habituri sint, qui risui & recreationibus per omnem vitam dediti sunt. *Extrema gaudii, ait Sapiens, luctus occupat,* Prou. 14.

4. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam quoniam ipsi saturabuntur.* Considera, postq. peccata nostra luximus, proximum esse, magno desiderio aspiremus ad diuinorum præceptorum obseruationem, & virtutum omniũ studiũ; neq; enim satis est declinare à malo, sed opus est quoq; facere bonum. 2. considera non satis esse nos velle iustitiam, sed esurire & sitire illam, id est acri cupiditate, & magno feruore promouere illam in nobis & aliis, *vt qui iustus est iustificetur adhuc.* Apoc. vlt. Sic enim futurum est, vt Deus vicissim nos esurientes impleat omnibus bonis & dona nõ in hac vita solum, sed etiam in cœlesti

5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Considera, misericordes cum nomen habeat à corde, tum verè nos esse misericordes, cum ex animo compatimur miseriis proximi 2. misericordiã Christianam laté patere: est enim exercenda non in corporalibus tantum, sed etiam spiritualibus bonis communicandis, nec tantum erga amicos, sed etiam inimicos & persecutores. hæc enim facit nos similes Deo, qui solem suum oriri facit super bonos

dicii illis dicet Dominus. *Venite benedicti Patris mei. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* Matt. 25.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Considera, quam bene munditia cordis iungatur misericordiæ, si enim pura intentione non des eleemosinam, vel in peccato mortali existēs amittis misericordiæ meritū *Si enim in pauperes*, ait Paulus, *distribuero omnes facultates, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 2. Cōsidera, Deū aliis virtutib. alia ꝓmittere præmia, at puritati cordis ꝓmittere pręmium sui ipsius, nec.n aliud est, videre Deū, quā frui illo, & illum possidere. Nec mirum. cum n. sit ipsissima puritas. libenter se cōmunicat mētibus verè puris, id est, à peccatis & prauis cupiditatibus seculi, quales inprimis sunt eorum qui castitatem Deo vouerunt. 6. 1. Cor. 13.

III. PARS.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Considera, puritati cordis rectè subiungi pacem, quia quando cor purgatum est à sordibus peccati, mox experitur in se *pacem* quæ, iuxta Apostolū, *exuperat omnē sensum*, & præsentis gratiæ manifestum est signū. 2 considera, pacem esse animorum & voluntatū coniunctionē. Pacifici ergo erunt, 7. Phil. 4.

qui hanc coniunctionem procurant c
Deo cum proximo, cum cõscientia
4. cum passionibus, cum quib. non es
ta pax, nisi subigantur. 3. hos filios De
ci, quia similes sunt Christo, qui est D
pacis. 2. quia Dei officio fungũtur, & C

Ephes. 2. sti: *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utr vnum*, id est, hominem cum Deo vniu nihil aliud quam concordiam, dilectio que mutuam discipulis commendauit

8. *Beati qui persecutionem patiuntur pr iustitiam, quoniam ipsorum est regnum c rum.* Considera, merito hanc beatitu omnium esse vltimam, quia est omniũ tutum, omnisq; perfectionis fastigiu velut gemma, & crux aurea appensa næ aureæ ex multis annulis conflatæ enim pro Christo est donum supra c donum, quod Deus non impercit nil

1. carissimis. Vnde B. Iacobus scripsit, p *tiam opus* perfectũ habere 2. Consider circo sanctos homines, nõ in aliis virtu & donis, quæ possunt hominẽ inflare in contumeliis & persecutionib. perp

Gal. 6. gloriari. *Absit*, inquit Apostolus, *m riari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Chri*

9. *Beati estis cum maledixerint vobis ho nes, & persecuti vos fuerint, & dixerint o*

malum aduersum vos, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Considera nihil piis maiorem lætitiam afferte, quam dum multa & grauia patiuntur pro Christo, tum quia sciunt se fieri Christo simillimos, tum quia copiosissima remuneratio illis in cœlo parata est. Vnde de Apostolis dicitur in Actis. *Ibant gaudentes à conspectu Concilii, quia digni habiti erant in nomine Iesu contumeliam pati.* Act. 5.

MEDITATIO II.

De Festo omnium Sanctorum.

CONSIDERA quanta gloria fruantur Sancti in cœlo quorũ festũ hodie agitur, quę solet distingui in pręmiũ accidentale, & essentiale. Accidentale consistit in possessione omniũ bonorũ, quæ non sunt Deus, vt nihil desit, quod oblectare queat. Quicquid enim homo optare potest, illic plenissimè habebitur. Primo quoad cibũ & potum plena satietas. 2. vestitus lumine glorioso refulgens. 3. palatia ex gemmis & margaritis constructa. 4. summus honor & gloria. 5. perfecta omnium rerum cognitio 6. ciues & socii nobiles, diuites, & nostri amãtissimi. 7 plena victoria dæmonis, mundi &

di & carnis, nullũ incõmodũ, nulla tri-
tia. 8occupationes iucũdiſſimę, colloq
cõtinua cũ Deo, Dei matre, omnibus
Sãctis. diuinas laudes & hymnos cũ m
da vocũ harmonia cõcinere, mundum
Chriſto adminiſtrare, imò regnare. Et
quidẽ erunt omnib. ſanctis cõmunia, p
terquę quædã peculiaria gaudia & trio
cedunt Martyrib. Virginib. & iis qui a
ſalutis viã docuerunt iuxta cuiusq; me

2. Conſidera prædicta omnia nihil eſſ
cõferantur cũ præmio eſſentiali, q cõ
ſtit in immediata Viſione Dei. Ex hac
ſione multa in anima fiunt. 1. plena
poſſeſſio, vt omnia ſint plena Deo cũ
corpore. 2. ſimilitudo Dei, vt potius ſa
dicãtur Dii, quam homines: ſicut carb
gnitus vocatur ignis. 3. perfecta viſio e
quæ in Deo ſunt, vt ſapientiæ, iuſtit
bonitatis, caritatis, omnipotentiæ, p
chritudinis, licet non poſſint cõprehe
4. ſumma dilectio Dei, & intima adha
5. ineffabile gaudium & ſpiritualis delec
tio 6. plena ſatietas, & ornatus in omn
animæ potentiis, & corporis membris.

3. Conſidera, cum ſancti ad tantam eue
ſint gloriã, quãta veneratione ſint ano
colendi, & inuocandi, vt pote nõ de ſua ſ
noſtr

nostra tantũ salute loqueiri. 2. quantũ in nobis desideriũ excitare debeamus, vt aliquãdo ad illos perueniamus, & tantis bonis fruamur. Sed quia ad tãta præmia nõ peruenitur nisi per magnos labores; iamnunc statue vestigiis Christi & sanctorum insistere, licet mundus rideat, caro reclamet, dæmon rugiat.

IN COMMEMORATIONE ANIMARVM. 2. Nou.

Considera, quã graues pœnas sustineãt animæ fideliũ defunctorũ in Purgatorio, nã S. Scriptura vocat pœnã ignis. & Patres, vt Aug Greg Beda, dicũt pœnã esse intolerabiliorem quauis pœna huius vitæ, quæ Martyribus vel latronib infl cta fuit, vt S. Laurentio, S. Vincentio, S. Bartholomeo, & aliis. 2. considera diuturnitatẽ in pœnis, quæ non ad vnũ diẽ, sed ad multos annos sæpe durant. Beda indicat quasdã animas vsq; ad diem iudicij in ijs manere. Et Eccle sia anniuersaria sacra celebrat etiã pro ijs, qui ante 100 vel 200 annos obierunt.

Cõsidera vt in fide Purgatorii firmior sis, & in pietatis studio cõstãtior. 3. coinquinatũ nihil vel immũdũ siue lethali siue leuio re peccato posse intrare regnũ cœlorũ, vt est in Apoc. 2. quã pauci sint, qui peccatorũ

venialium expertes sint, aut pro pecc
lethalibus & venialibus licet remissis sa
fecerint. 3. quanta Dei sit misericordi
patientia, quod post hanc vitã (cũ nec
rendi, nec peccandi amplius tẽpus est
luerit nos purgari ab his maculis, & pre
bus viuentium iuuari 4. quis status tuæ
cõsciẽtiæ, an syncerè omnia peccata m
talia & singula confessus fueris, an vt debe
de eis doloueris, an satisfeceris, an in h
genere orationib. & aliis bonis operibus
nimas defunctorũ iuueris? ijsq; meruer
tibi post hanc vitam etiam auxiliũ alio

3. Cõsidera, quare tenearis merito anim
bus illis hoc die & alias subuenire 1. q
seipsos iuuare nequeũt nisi solutione p
acta vsq, ad vltimũ quadrantẽ. 2. quia s
in carcere, quos Dominus iubet visitari
quia lex naturæ postulat, vt quod no
fieri vellemus aliis faciamus. 4. quia s
omnes nostri fratres, & filij Dei, sunt en
in gratia & iusti. 5. quia implorant opẽ
stram iunctis manibus, vti quibusdam s
ris apparuere. 6. quia multa præsidia n
bis suppetunt, quibus iuuari queunt. Pr
mum est sacrificium Missæ. 2. orationes
eleemosynæ. 4. ieiunia, disciplinæ, peregr
nationes, si hæc faciamus in gratia.

IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI.

11. Nouemb.

De lumbis præcingendis. Luc. 12.

DIXIT *Iesus discipulis. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus. vestris.* Considera lumbos præcingere eum, qui tam mente, quam corpore alienus est á carnalibus desideriis, & carnem suam, vt loquitur Apostolus, crucifigit cum vitiis & concupiscentiis. Lucernas verò ardentes gestare in manibus, eos qui & in bonorum operum exercitatione sunt seduli & ardentes, & aliis suo exemplo, quasi luce prælata autores sunt, vt ea imitentur, *prouidentes bona*, vt suadet B. Paul. *non tantũ corã Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.*

L

Gal. 5

Rom. 12.

Beati serui, quos Dominus innenerit vigilantes: præcinget enim se, & faciet illos discũbere, & transiens ministrabit illis, Considera, non satis esse colere puritatem mentis & corporis, bonisq; operibus vacare, & alios ad eadem incitare, sed etiam perseuerare, idq; continenter, vt cum Domino placuerit venire, & nos ex hac vita euocare siue per repentinum, siue diuturnũ morbũ, parati simus. Si enim paratos nos inuenerit, ad vitæ æternæ nuptias euocabit, & nobis o-

Z

bis omnia delitiarum genera, quæcunque mente excogitare poterimus, affatim subministrabit.

3. Considera S. Martinū verè fuisse lucernam ardentem & lucē; Primum n. quod ad virtutes eius toti orbi notas, eminuit in eo Humilitas, quia adolescens miles famulo suo sæpe inseruiit, & calceos detraxit, leproso in porta Parisiensi oscu lum dedit, & moriturus, nec vilia quidē stramenta sibi passus est supponi, dicens. *Non decet filium Christianum nisi in cinere mori. Si aliud exemplum vobis relinquo, ipse peccaui.* 2, caritas, quia in porta Ambianensi, nudo pauperi mediam chlamidē discidit, in qua Christus ei nocte apparuit In patriam abiit, vt parentes conuerteret & incidens in latrones, quia contempsit mortem, vnū latronum conuertit. 3 Zelus fidei Catholicæ, nam decennis inuitis parentibus ad Ecclesiam confugit, vt baptizaretur. deinde adolescens miles factus, cum soli Christo militare statuisset, nec Cæsaris Iulianiirā, nec aulicorum curans irrisiones, sæculari militiæ renunciauit. tantus Arianorum hostis fuit, vt virgis aliquando ab vrbe pulsus sit. duodennis eremum petiisset, nisi ætas obstitisset. Oculis ac manibus in cœlum

Sculp. in vita

semper

semper intentus, inuictum ab oratione Spiritum non relaxabat. Dum sacrum faceret, globus igneus apparuit super caput eius In mensa Cæsaris, prius suo sacerdoti socio poculum obtulit, quam Cæsari. Cũ dæmon purpuratus ei quasi Christus appareret, respondit Dominus non dixit se purpuratum, vel diademate renitentem venturum. Et in morte astanti ait. Quid hic astas cruenta bestia nihil in me funestũ reperies. Cum discipuli dicerent. cur nos pater deseris: Domine, inquit, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. V. MARIÆ. 21 Nouemb.

Meditatio de Euangelio eadem cum festo Natiuitat. B. Virg.

De historia Præsentationis B. V. à Ioachimo & Anna parentibus facta.

CONSIDERA, quomodo sapiẽs & humilis virgunculasin qua ratio ætatẽ, erat n. trimula, præuenerat) oculis humi defixis cõplicatis in pectus manib. desiderio adeũdi tẽpli Hierosolymit. ardẽs in viam accelerauit, & celerrimè 15. gradus à nullo adiuta, stupe-

ſtupentibus omnibus aſcenderit: Vt diſcas bonum eſſe à prima ætate ſeruire Deo, & de virtute in virtutem aſcendere, hoc eſt, quotidie proficere, in ſtudio bonorum operũ feruere, fortiter omnes difficultates ſuperare, amare templũ & ſocietatẽ piorũ.

8. Conſidera, qua deuotione pii parentes B. Virginem totam hilarem vultu obtulerint Deo & Sacerdotibus, eam in altare ſublata: quam gratũ diuinæ maieſtati munus fuerit. Si enim ſacrificia taurorum & vitulorum grata fuere Deo, multo gratius fuerit huius puellæ, quæ omnes homines gratia & ſanctitate ſuperauit. Omnes fere qui in infantia à parentibus Deo oblati ſunt, magni ſancti poſtea facti ſunt, nec alia de cauſa puto, quam quia Deo gratiſſima fuit eorum oblatio.

9. Conſidera, quomodo B. Virgo flexis genib. cũ lacrymis in ara obtulerit ſeipſam, quam grata fuerit Deo & angelis talis oblatio. Si enim angeli gaudẽt ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quanto magis ſuper hac ſeipſam in holocauſtum offerente, quę nunquã peccauit? Obtulit autem ſe perfectè, nempe mundo prorſus renuncians, & totam ſe ad nutum diuinę voluntatis reſignans, parata reliquum vitę in pau-

paupertate, nihil proprium habendo trãsigere: offerens quoq; se in minimam ancillulam matris Messiæ venturi. Deinde considera quomodo dimissis parentibus cum summo suo gaudio inclusa fuerit cubiculo templi, & per vndecim annos in eo noctu diuq; seruiés Deo inter angelos vixerit.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRG. ET MARTYRIS. 25. Nouemb.

De decem Virginibus Matth. 25.

9.

DIXIT Iesus discipulis. *Simile est regnũ cœlorum 10. virginibus, quæ cum lampadibus obuiam exierunt sponso & sponsæ.* Considera, si clericus vel religiosus sis, primo quam grata sit virginitas vel castitas, quã Deo vouisti, quia eam Christus & B. Virgo coluere, aliisq; suasere, vnde & agnus immaculatus in Apocalypsi dicitur versari in comitatu virginũ. secundo te debere gestare lampadem, id est, cor habere apertũ adcogitãda cœlestia, clausum vero ad terrena, lampas enim supernè patet, infernè clausa est. *Virgo*, inquit Apostolus, *cogitat quæ Dei sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* 1. Cor. 7. Tertio obuiam ire sponso Christo, cui animam tuam per votum irreuocabile desponsasti, & sponsæ B. Virgini, vel religioni tuæ.

tuæ obuiã ibis, si omnes cogitationes, desideria, & actiones ad eius honorẽ & gloriam, animæq; tuæ salutem dirigas, & semper quasi præsentem cernas.

4. *Prudentes virgines acceperũt oleum secum in vasis suis cum lãpadibus, fatuæ secus.* Considera ad concinnandã rectè lampadẽ ne facile extinguatur, requiri primo vitri claritatem & nitorẽ 2. ellychnium sufficiens. 3. vas oleo plenũ. 4. flammę ardorẽ. 5. splẽdorem. Sic Virgo, vel religiosus debet primo esse mente & corpore purus. 2. animã suam pia aliorum exhortatione, lectione, crebraq; cõmunione pascere, vas cordis sui habere plenũ oleo caritatis & deuotionis in Deum, nam vt oleũ flammã efficit & fouet in lampade, sic oratio deuota diuini amoris flammã excitat & conseruat iuxta illud Prophetæ. *In meditatione mea exardescit ignis.* 4. debet ardens esse in omnibus operibus bonis: nam tepidi ex ore Domini euomuntur. Apoc. 3. 5. bono exemplo aliis prælucere, vt videant opera eius bona, & glorificent patrem cœlestem.

Ps. 33.

8. *Eadem sponso veniente, quia paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.* Cõsidera tres esse ianuas, quas Dominus in hoc mundo apertas reliquit homi-

nibus, vt ingredi cœlum possint, quæ post iudicii diem omnino claudentur, vt nulli amplius pateat in eas ingressus. Prima est misericordiæ & veniæ, quæ patet omnibus habentibus lampadẽ fidei cu oleo pœnitẽtiæ Secunda est gratiæ, ad merendũ & proficiendũ in virtute, quæ etiam patet omnibus iustis se exercentibus in bonis operib. Tertia est gloriæ, quæ patet omnib. quidẽ, sed in gratia, & bonorũ operũ exercitio vsque ad aduentum sponsi, qui est in cuiusq; morte, perseuerantibus *Qui enim perseuerauerit vsq; in finem hic saluus erit. 2.* Cõsidera claudi ianuã omnib. qui licet fidẽ in Christum habuerint, castitatẽ Deo promiserint multos annos in religione transegerint, & multis bonis operibus illustres fuerint, nõ tamen vsque in finem perstiterunt. *Matt. 10,*

IN FESTO S. ANDREÆ APOST. *De Vocatione Apostolorum. Matt. 4.* *30. Nouemb. 1.*

AMbulans Iesus iuxta mare vidit duos fratres, Petrũ & Andream mittentes rete in mare: Cõsidera quod viderit eos nõ tã corporaliter quã spiritualiter, diuino nẽpe oculorũ cõiectu, quo eos ab æterno ad Apostolicũ munus elegerat. Verè felix cõiectus qui ex peccatorib. fecit iustos, & ex homi-

[illegible]

Apostolos. considera, illos fuisse fratres quia capita Ecclesiæ suæ esse noluit, nisi fraternæ caritatis vinculo colligatos, nec voluit suos esse discipulos, nisi se mutuo
Io. 15. diligentes. *In hoc cognoscentes omnes*, inquit alibi Christus, *quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Vis ergo Deũ in te oculũ defigere, cura vt colas cõcordiam & vnionem fraternã. considera eos vocatos ex mari, vt exemplo Domini discerent animas ex tempestuoso huius seculi naufragio extrahere. Vnde nõ deserũt piscãdi officiũ, sed melius reddiderũt.

2. *Ait illis. Venite post me, vt faciam vos fieri piscatores hominum, & illi continuo relictis retibus sicut postea Iacobus quoq; & Ioannes, secuti sunt eum.* Considera subito secutos relicto opere imperfecto, vt videas quã obedientiã exigat à religioso Deus qui Apostolicã perfectionẽ sequi conatur, nẽpe vt nulla interposita mora pareat superiorum mãdato. 2. considera horũ exẽplo tria esse relinquenda sequẽti Christũ. 1. retia, i. opera peccatorũ, quibus homines velut funibus & retib. illaqueantur. 2. naues, i. possessiones mundi, & omnia tẽporalia. 3. affectũ erga parẽtes & cognatos: q̃ significatũ est hic, cũ Ioannes & Iacobus patrem

Zebe

Zebedeum reliquerunt. O quam felix est relictio & desertio, quæ cum tanto bono imò cum thesauro omnium bonorum commutatur.

Vidit alios duos, fratres reficientes in naui retia sua, qui & secuti sunt eum. Considera, hoc exemplo moneri concionatores, qui sunt hominum piscatores, vt aliquando relicta nonnihil piscatione animarum, vacent retibus reficiendis, id est, colligendo spiritui & emendandis defectibus, vt renouato spiritu, postea maiore fructu redeant ad piscationem animarum. 2. Considera Petrum, qui designat feruentem actionem prius vocatum quam Ioannem, qui significat contemplationem: vt discas non peruenirì ad perfectionem contemplationis, nisi per antegressionem sedulam sui mortificationem. 1.

IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI. 7. Dec.

De lumbis præcingendis. Luc. 12.

DIXIT IESVS *discipulis. Sint lumbi vestri præcincti.* Considera, S. Nicolaum exemplo prius quam sermone supra naturam docuisse, quomodo præcingendi sint 1.

lumbi. Nam cum infans adhuc sugens el
ser, in cunis iacens, quartis & sextis fer
ac semel tantum sub vesperam vbera ma
terna suxit, qua infantuli sobrietate do
cuit, quam castus, quam magnus in Eccl
sia Dei esset futurus. Eandem enim ieiu
nandi consuetudinem tota vita tenuit. Se
& quotidie semel tantum comedit, idq
vesperi, & vno contentus ferculo, à carn
bus quoque semper abstinuit, Lectione
item sacram mensæ adhibuit. 2. Consid
ra, hoc exemplo eum docuisse, quam s
lutare sit pueros ab infantia bonis assuesc
re operibus, tum quia opera illorum,
mundiora, ita sunt chariora, tum quia pl
runque durant in senium. *Quod* enim *no*
vesta capit, vulgo dicitur, *inueterata sapit*,

Et lucernæ ardentes in manibus vestris
Considera, per lucernas intelligi exempl
virtutum, quibus B. Nicolaus præluxit, i
quibus eminuit exemplum caritatis ard
tissimum, nam auro multo clam in domi
cuiusdam noctu proiecto, patris inopiá, &
trium puellarum virginum opprobrium,
quæ per prostitutionem corporis coacta
fuissent nefandum quæstum facere, sustu
lit. Deinde Episcopus factus, pauperib
viduis & orphanis, aliisque consulo, p

nia, & labore nunquam defuit, nihil sibi reseruans nisi vitæ necessaria, & supellectilem opportunam. Imò adolescens adhuc, facultates omnes in pauperes erogauit. Deinde fuit lucerna ardens ratione humilitatis singularis. Nam ideo noctu aurum in alienam domum iniecit, vt opus tam præstans omnibus ignotum maneret. Adhæc, tatione religionis & deuotionis singularis. Nam Hierosolymã causa visendorũ locorũ sacrorũ peregtinatus est Primus in templum orandi causa se cõferebat, postremus exibat, eoq; iudicio Myreæ in Lycia ab Episcopis cõgregatis electus est Episcopus, cum diuinitus moniti essent eligẽdum eum, qui primus templũ mane iniret.

Vide Meditat. in festo S. Martini.

IN FESTO CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ.

8. Dec.

De immaculata eius conceptione.

1. CONSIDERA, quomodo B. Virgo ante constitutionem mundi à Deo electa fuerit, & prædestinata, vt esset Dei mater, & tam excellenti puritate niteret, quanta nulla ante ipsam creatura nituisset, aliisque innumeris dotibus ornaretur, quæ variis vaticiniis, in veteri lege

2.

sunt præmonstratæ, vt intelligeremus eam super omnes alios sanctos colendam & ad eam in omnibus necessitatibus corporalibus & spiritalibus refugiendum. 2. Considera si hæc ab æterno de ea facta & dicta sint, eo quòd in vtero filium Dei esset deportatura, quanta puritate, quibus virtutum dotibus & nos ornati esse debeamus qui eundem Dei filium in sanctissimo sacramento toties realiter in ore & vtero recipimus, imò quotidie, si sacerdotes simus manibus tractamus.

Considera, cur parentes B Virginis Ioachim & Annam licet iustos tamen permiserit esse pauperes & steriles, ac ideo coram mundo contemptos. Nempe, quia conueniebat nihil cum mundo commercii habere eos, ex quibus nasci debebat virgo cuius fructus futurus esset ipse Magister & Doctor paupertatis, humilitatis & contemptus sui. Sic enim radix germini & fructus arbori respondit. 2. considera, quanto gaudio hac cõceptione affecti sint angeli in cœlo, Patres sancti in lymbo, parentes B. Virginis Ioachim & Anna; intellexerunt enim hoc ipso spem iniectã breui restituendas angelorum in cœlesti Hierusalem ruinas, & totius humani generis li-

bera-

beratione m à tyranni dæmonis, & peccati seruitúte secuturam.

Considera, conceptionem fuisse singularem & nunquam à cõdito mundo auditã nempe omnis peccati etiam originalis expertem. Si enim B. Virgo concepta fuisset in peccato, aliquando serua fuisset diaboli, & rea æternæ damnationis: Quis autem credat filium Dei purissimum, in cuius potestate erat eligere & condere matrem, qualem vellet, voluisse concipi à matre, q̃ aliquando dæmoni infestissimo suo hosti fuisset subiecta? 2. considera, ideo ab Ecclesia sancta hanc conceptionem B. Virg. solemniter celebrari: atque vt pluris meritum passionis Christi faciamus. Meruit enim Christus, vt mater sua contra cursũ ordinarium humanarum generationum, sine peccato conciperetur, ac vt nos indies maiori puritati operam daremus, & per crebras confessiones aliaque præsidia quadantenus eius puritatem imitaremur. 1.

INFESTO S. THOMÆ APOSTOLI. 21. Dec.

Vide meditationem in 8. Paschæ.

De conuersione eius ab incredulitate. Ioann. 20.

1. THOMAS *vnus ex duodecim, non* [erat] *cum eis, quando venit* IESVS. *Dixerunt ergo alij Discipuli ei. Vidimus Dominum.* Considera, Thomam non potuisse vi[dere] Christum post mortem rediuiuũ, quia [non] erat à domo in qua congregati erant Ap[o]stoli, vt intelligas multis consolationi[bus] donisque spiritualibus destitui eos, q[ui] bonorum Societate se temerè segreg[ant]. 2. considera Thomam, licet ad Apost[olos] tandem rediisset, ne quidem ipsis affirm[antibus], se vidisse Dominum voluisse cred[ere], vt discas quantum damnum spiritu[ale] profectus homo faciat, si vel ad breue t[em]pus in mundo vel societate carnalium h[o]minum versetur, nempe vt plane impu[dens] & arrogans reddatur, & iudicia aliorum de dignorum contemnat, ac tandem f[ides] excidat.

2. *Nisi videro in manibus eius fixuram cl[a]uorum, & digitum mittam in eam, non credam.* Considera, Thomæ similes in h[ac] parte esse, tum seculares tum religiosos. [Il]los quidem, quando in pietate constant, manẽt, donec prosperè eis omnia ced[unt]

cum vero perperam, à pia vita desciscunt. Hos vero quando in officio manent, quãdiu consolationes spirituales affluunt, iis autem sublatis te pescũt, sicut accidit huic Apostolo Thomæ. Nam ante passionem cum cæteri Apostoli dissuaderent Christo ne in Bethaniam iret, ob periculum lapidationis, Thomas spiritu ardens dixit. *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Et tamen Ioa. 11. cum aliis capto Christo aufugit, & forte longius, quam alii, quia tardius compauit.

Considera ex commemorato iam dicto 3. apparere, quanto amore erga Christum flagrarit, eoque exemplo nos doceri oblata occasione libenter pro Christo, eiusque fide & Euangelio mori, sicut & ipse tandẽ mortuus est, idque in locis totius orbis remotissimis, vt in India orientali extrema quod forte factum fuit, tum vt maiorem caritatem erga Deum demonstraret, tum vt lapsum suum hoc labore accuratius deleret. 2 considera, cum Christus post vltimam cœnam dixisset. *Vado parare vobis locum,* & addidisset: *Quo vado scitis, & viam scitis.* Thomam respondisse. *Domine nescimus quo vadis.* vnde intelligis eum tam humilẽ fuisse, vt nõ erubuerit palam ignorã-

tiam suam fateri, deinde exemplum dedisse, vt non oscitanter, sed diligenter sensum verborum Christi scrutemur, & è peritioribus percontemur.

25. Dec

INFESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Christus prædicit occidendos Prophetas, Matth. 23.

1. DIXIT *Iesus turbis & Principibus Sacerdotum. Ecce mitto ad vos Prophetas, sapientes & scribas, & ex illis occidetis.* Considera ineffabilem Dei bonitatem erga suos, quod cum sciret se, Stephanũ, Apostolos paulo post talia passuros, (non enim p̃dixisset, nisi sciuisset) tamen & ipse prædicare perrexerit, & Apostolos miserit; vt discamus, dum docemus, concionamur, vel aliud bonum opus aliis præstamus, nõ statim despondere animum, vel prouinciam docendi relinquere, si fructus non respondeat. 2. Considera eiusdem sapientiam, cur sciens prudens tanta mala permiserit, vt videlicet Iudæi, suum Messiam, imó ipsum creatorem suum, (quo nullum atrocius malum excogitari potest) in crucem agerent, Stephanum lapidarent, Iacobum

Aposto-

Apostolum gladio trucidarent, Apostolos flagellarent. permisit autem, quia maxima bona inde elicere norat. Diligẽtibus enim Deum omnia cooperantur in bonum, Ex Christi enim morte secuta est salus mundi ex morte reliquorum conuersio multorũ. magnum meritum ipsorum, ædificatio posterorum, & multitudo miraculorum, & nominatim ex oratione S. Stephani pro lapidantibus facta, teste S. Augustino, conuersio B. Pauli.

Hierusalem Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. Considera incredibilem caritatem Christi erga Hierosolymitanos, quod eos tum, cum omni amore essent indignissimi, imo capitales sui inimici, vocet filios; quod se non patrem vel dominum eorum, sed matrem vocet, & talem quidem matrem, quæ perinde eos amet, ac gallina pullos, (nihil enim intensius & tenerius amare solemus, quam fœtus paruulum hominum & bestiarum.) Vt inde discant omnes superiores quanto amore subditos interius & exterius prosequi debeant, licet malos & immorigeros, vt eos iuuent. 2. Considera, gallinam in eo maximé amorẽ erga pul-

los ostendere quod clamore, & rostro defendat cum periculo vitæ suæ contra paces miluos, deinde quod vt illos alat fame conficiat, & macie consumatur, mum & alis contra æstum, frigus, aliaq commoda contegat. vt discant, qui regendos & erudiendos habent, sæpe nere, vt caueant à laqueis dæmonis, lab non parcere, vt illi proficiant in liter virtute, duabusque alis veritatis, & d plinæ eos in officio continere.

3. *Ecce relinquetur vobis domus vestra serta.* Considera, quam graui pœna tã mulctentur à Deo, qui postquam mu beneficiis affecti sunt, tamen iis conte ptis, in sua improbitate obstinatè pe stunt, vt scilicet non solum deserantur sed etiam posteri eorum, & é medio to tur domus orationis, nẽpe templum, h est, omnis cultus diuinus tollatur, ac p inde & omnia spiritualia subsidia. Cog si magnis multisq; ne beneficiis à Deo h etenus affectus sis, & maxime si ad Ecc siasticum, vel etiam religiosum statum vocarit, quo maius beneficium nullico tingere potest, an vocationi tuæ facias tis, si enim secus fiat, verendum erit, n domus tua, id est anima, quæ est templ

Spiritu

Spiritus sancti omnibus spiritualibus præsidiis, propter ingratitudinem destituatur.

IN FESTO S. IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ. 27. Dec.

Christus Petrum vult se sequi, & Ioannem manere. Ioan. 21.

DIxit *Iesus Petro, sequere me. Petrum autem secutus est & discipulus, quem diligebat Iesus, qui & recubuit in cœna super pectus eius.* Considera Christum simul atque Petrum summum suæ Ecclesiæ Pastorem præfecisset, ab eo exigere, vt etiam in anima pro ouibus ponenda se sequatur qui & paratum se ostendit, mox Christum discedentem è loco secutus: vt discant, qui ad prælaturas & regimen aliorum vocãtur non ad quietem & honores, sed ad labores & passionem se vocari 2. Considera, Ioannem si non reipsa quoad mortẽ, saltem voluntate & opere citra mortem secutum Petrũ & Christum: nam in actis Apostolorũ incarceratus & flagellatus est, Romę etiam à Domitiano in feruentis olei dolium iniectus, calicem veneno infectum ebibit, in Pathmo exulauit, cum matre Dei

metu mortis posito, sub cruce Christi fi
tit, Christus matrem ei sub cruce cõme
dauit. Deniq; carissimus Christo fuit d
castitatem & caritatẽ, quam vnam omn
bus vsq; ad mortem commendauit, &
cens. *Filioli, diligite inuicem, & sufficit.*

2. *Cum vidisset Petrus Ioannem sequentẽ*
dicit IESV. *Domine, hic autem quid?* Et
spondit. Sic eum volo manere, donec veniã
Luc.10. *quid ad te? tu me sequere.* Considera, h
Luc.9. Christum curiositatis vitium, vt alias
Martha, Ioanne & Iacobo, reprehende
in S. Petro, quod plus æquo sollicitus sit d
obitu S. Ioannis; id enim pendebat ex iu
dicio solo diuino, nempe in hanc lingua
intemperantiam lapsus, quod plus æquo
amaret S. Ioannem, optaretq; eum sua
passionis socium. Vnde disce, si curiositati
vitio deliquerit in hoc genere, is qui iam
erat summus Pontifex constitutus, & eo
ipso curã susceperat S. Ioannis velut ouis,
quantum delinquant illi, qui aliorum ce
ram non gerunt. 2. considera modestiam
S. Ioannis, nihil de suæ vitæ exitu solicit,
nihil ex Domino percuntantis, quia in so
la Christi prouidentia & volũtate acquie
Psa.72. scebat, ac cum Dauide dicebat. *In manibus*
& 30. *tuis sortes meæ, vt iumentũ factus sum apud*
te, &

te, & ego semper tecum. Vt discas neglectis hominum persuasionibus, animum seruare liberum & æquabilem, & libenter illud amplectare, quod Domino visum fuerit, dicendo. *Fiat voluntas tua.* *Mat. 6.*

Exijt sermo, discipulum illum non moriturum, & tamen non dixit IESVS, *non moritur, sed sic volo eum manere.* Considera humilitatem S. Ioannis, qui cum ex responsione Christi natam illam opinionem aduerteret se non moriturum, non dubitauit illam confutare in ipso Euangelio à se scripto, dum quasi negat illam sententiam, verbis Christi subiectam, ne vana gloria efferretur: cogitans se non meliore conditione fore quam Christum, & B. Virginem, qui mortui fuissent. 2. Considera, quare Christus ambigue locutus fuerit, vt certa de exitu S. Ioannis non potuerit ex verbis elici sententia, nempe vt doceret nostrum non esse curiosè scrutari, & scire futura. 2. vt superbiam humani ingenii supprimeret, & scirent homines sine singulari auxilio Spiritus sancti non posse se intelligere sacrarum scripturarum mysteria. 3.

IN

28. De. INFESTO S. INNO-
CENTVM.

De fuga in Ægyptum, Matth. 2.

1. ANGELVS *in somnis dixit Ioseph. Surg*
& accipe puerum & matrem eius, & fu
ge in Ægyptum. Considera, Christum a pri-
mo ortu suo cœpisse patiæ rumnas & pse-
cutiones. vt discas, si discipulus Christi es-
velis, paratus esse ad tentationem, & cum
2. Tim. actu pateris, tunc verè discipulum esse, vt
3. loquebatur S. Ignatius. *Omnes,* inquit A-
postolus, *qui in Christo piè viuere volunt, p-*
secutionem patientur.

2. *Qui consurgens, accepit puerum & matrem*
eius nocte, & secessit in Ægyptum. Considera
promptissimam obediẽtiam Ioseph, mox,
licet nox esset, surgentis, & totam rem B.
Virgini indicantis: cogita, vt cõmota pri-
mo sint tenellæ virginis viscera, vt se illico
collegerit, & ad iter, vt erat obediẽtissima,
pararit, quomodo puerulum excitarit, &
ploranti compassa sit, cogitans has dolorũ
esse primitias quas Sanctus Simeon prædi-
xerat. 2. considera, quam magna in Do-
minum fiducia, cuius se voluntati deuoue-
rant, exilium hoc susceperint, & pauculis
panibus & pannis in asinum coniectis, (in
paupe-

paupertate enim tanta facile erat se parare) in via alacriter se dederint. Quæ enim causa timendi erat de infelici successu, si Deus iter illud mãdabat, si Deum brachiis suis portabant? 3. Considera an te quoque adiungere velis in viam, & rogare B. Virginem, vt oneris sui in deportando filio velit participem facere. Et si illa assenserit, cogita tu ipse, qui soles fugere labores, & amare quietem, quanto corporis sudore tam longam peregrinationem thesaurum pretiosum deportando confecerit

Et erat ibi vsq; ad obitum Herodis, vt impleretur prophetia. Ex Ægypto vocaui filium meum. Considera B. Virginem, vbi in Ægyptum peruenit non ibi inuenisse, aut regium palatium tanto filio dignum, aut cõmoda ad fessos artus refocillandos necessaria. Si enim inter ciues suos in Bethlehem obtinuit aliud nihil, quam stabulum & præsepe, in quo illum collocaret, quid melius obtinuerit apud barbaros & infideles? Vt ergo paupercula erat & peregrina, ita & in vilem se domunculam vel tugurium receperit, & labore manuum suarum, vna cum Iosepho, quotidianum victum comparauerit. 2. CONSIDERA, quam cura toto hoc exilii septennio dilectum

dilectum filium suum educarit, quaq; cu
tione & reuerentia cõrectarit, quem sci
bat suum esse Dominum & Deum, quan
religione flexis genibus eum è cunis su
leuarit, & in easdem reposuerit; quan
gaudio affecti sint ambo parentes, quan
eum, iam ætate crescentem, per domu
ambulantem, de diuinis rebus loqu
tem, & orationi vacantem, viderunt &a
dierunt.

II. PARS.

De nece Innocentum, & reditu ex Ægypto pueri.

2. HERODES *videns, se illusum à Ma
iratus occidit omnes pueros in Bethlehe
à bimatu & infra.* Considera, quid non
sus fuerit scelestus ille rex, vt regiam dig
tatem quam habebat, nõ amitteret. Q
enim tyrannis immanior esse potuit, q
tam copiosum fundere sanguinem, tot
fantes innoxios iugulare, tot matres re
stentes & abscondentes filios confode
tot patres orbare filiis hæredibus. *O cæ
ait B. Leo, stulta æmulatione impietas, q
pertus banum putas diuinum tuo furore
silium. Dominus mundi non temporale q
rit regnum, qui præstat æternum.* Hinc disc
qu

quousq; amor inordinatus progrediatur, & certo tibi persuade, te quoq; in eundem impacturum scopulũ, nisi mortificationi tuarum passionum operam dederis.

Considera quãta Dei bonitas reluceat in istorum infantium gloria: vt quod Deus eorum mortem non solum pro sacrificio, sed etiam pro martyrio acceptarit: vbi nõ fuit votum occisi, sed necessitas, non desiderium morientis, sed crudelitas occidentis, nõ meritum, sed infortunium. Omnia enim suppleuit diuina gratia, mutans miseriam in coronam, & casum in meritum, vt discas in imperfectionibus tuis, si pusillanimis sis, non desperare: Deus enim paratus est, modo bona in nobis volũtas sit, imperfectum nostrum supplere.

Defuncto Herode Ioseph ab angelo iussus rediit in terram Israel, & audiens Archelaum regnare abijt in Galilaam, & habitauit in Nazareth. Considera Dei prouidentiam erga suos in medio persecutionum eorum recordantis & suo tempore iuuantis. Cogita quantum hoc nuncio sancti illi recreati sint: qua alacritate iter ingressi, lachrymantibus Ægyptiis, qui eorum sanctitatem cognorant. Vide puerum Iesum iam grandiusculum, propriis pedibus cum

baculo in manibus non ſine fatigatio
ambulantem. Vide eos in ſummo æſtu
pe humi ſine vmbraculo in locis dese
ſedentes, deſtitutos neceſſario cibo po
que, noctu verò in ſpelunca aliqua, d
nuda terra recubantes. 2. Conſidera
phum reuerſum in terram Iſrael, licet
rer Deum eſſe protectorem ſuum, tam
noluiſſe redire in Iudæam, vt diſcas ho
nes iuſtos, licet de ſua ſalute ſecuros, n
debere ſe obiicere periculis, & Deum
tare, ſed ex parte ſua, quando poſſunt
clinare: ſicut & ideo fugit in Ægyptum

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

De Zachæo. Luc. 19.

1. IESV *perambulante Iericho, Zachæus, blicanorum princeps, quærens videre* IESVM, *aſcendit arborem, quia ſtatura pu erat, & præ turba non poterat videre.* Co dera quam bonus & ſuauis ſit Deus, qu promptus ad prębendam homini occa nem, vt peccare deſiſtat. Nunquã Zach quæſiſſet Chriſtum, niſi ipſe prius dig tus fuiſſet ambulare per Iericho: ſed parte noſtra cum Zachæo facienda ſu

tia, cum Deus nobis gratiam offert. Primo enim debemus negotia & lucra temporalia relinquere. 2. duo impedimenta removere, nempe, ne timeamus turbam, id est, ludibria hominum, nec finimus nimium in perferendo labore conversionis animo pusilli, sed alacriter ascendamus arborem crucis, *Qui enim vult venire post me*, ait Matt. 16. Christus, *tollat crucem suam*. Sycomorus significat ficum fatuam, & rectè: quia crux Iudæis fuit scandalū, & gentibus stultitia.

IESVS *eo viso dixit, Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere: & festinans descendit, & excepit illum gaudens.* Considera, quia Zachæus magno desiderio & devotione dulci Christi aspectu perfrui cupiebat, ideo Christū neglecta turba, qua stipabatur, in eum solum intendisse oculos. *Ad quem enim respiciam*, ait apud Isaiam, *nisi ad pauperculum, & contritum spiritu?* Deus enim, quoties vel initia bonæ volūtatis in aliquo deprehendit, mox illi obuiam procedit, imò prævenit, & benignā manum porrigit ad extrahendū à peccato non secus, quā filio prodigo pœnitenti sponte occurrit pater. Isa. 66. Lu. 15. 2. Considera, liberalitatē Christi, qui lōgè plus tribuit Zachæo, quā ille vnquā expe-

ſtarit, non enim ſolum ſe videndum
præbuit, ſed etiam diuerſari voluit in
domo, vt & ipſi, & toti familiæ eius gr
ſuæ theſauros impertiret. 3. Conſidera
chæum cucurriſſe, & cum feſtinatione
arbore deſcendiſſe, vt diſcamus nō eſſe
gnes in admittendis diuinis inſpiratio
bus, & exequendis. Deinde cum gaudio
lum excepiſſe, vt & nos in animæ domu
ſæpius eum ſacramentaliter, ac cum g
dio ſpirituali recipiamus.

*Cum Zachæus ſtans dixiſſet, ſe dimidi
bonorum dare pauperibus, &c. ait Ieſus. H
die ſalus domui huic facta eſt.* Conſidera,
ſalutem à Deo conſequamur, opus eſſe,
primo per opera pœnitẽtiæ ſatisfaciam
Deo, deinde proximis, ſi quid illis debe
mus, vel reſtituẽdo aliena, vel iniurias cõ
donãdo, deinde etiam pauperibus aliqui
diſpenſemus; multum, ſi multum habe
mus; ſi parum, parum; ſi nihil, ſaltem con
doleamus, & bonis verbis ſolemur. 2. Cõ
ſidera, Chriſtum vbicunque receptus ch
magnum aliquod donum contuliſſe, vt in
domo Zachariæ, Archiſynagogi, Phariſæi
Simonis, & nunc Zachæi. Recipe ergo &
tu, ſi frui eo velis, eum crebrius in domum
animæ tuæ, cum occaſio eſt communicãdi

MEDITATIO II.

De dedicatione templi spiritualis.

NOTA tam magnificè vbiq; celebrari dedicationem templorum materialium, vt nos quoque magni faciamus dedicationem templi spiritualis, animæ nostræ, quæ est templum spiritus sancti, quod Deus potius sibi dedicari cupit, quam ligna & lapides. 1. Cor. 3.

CONSIDERA, dedicationem templi materialis exterius bifariã cognosci. 1. Primo ex vexillis binis è turri expositis. Turris animæ nostræ est intellectus, quia vt ex turris forma templum, sic ex intellectu anima rationalis cognoscitur. Tum autẽ anima est dicata Deo, quando in eius turri sunt duo vexilla, cognitio Dei, & cognitio sui. Nouerim me, ait August. nouerim te. Notitia enim beneficiorum Dei, & propriorum defectuum, teste S. Thoma aptissimum est instrumentum, vt quis sit deuotus & consecratus Deo. 2. cognoscitur ex panibus dulciariis ante fores tẽpli vendi solitis, tũ vt his crepũdiis paulatim alliceretur fideles ad frequentanda templa, & dedicationẽ spiritualem faciendam Deo per preces, tum vt significaretur adultos,

ultos, qui crepundia illa nõ curant, eo
pascendos cœlesti pane corporis Chris
mni saccaro dulciore, & animas suas de
re templum facere Christi & Spiritus
cti. Si ergo sæpius Deum in animam
peris per Eucharistiam, vere & illam
dedicaueris.

Considera, dedicationem templi
rialis cognosci interius ex ornatu alt
2. & parietum, vt cum altare maxime
mum refulget auro & argento: pari
vero imaginibus. Altare spirituale an
est bona voluntas, qua omnes debe
nos Deo totos in holocaustũ offerre.
Matt. 22. auro, argentoque fulget, cum caritat
Deum & proximum ardet. *In his enim*
bus tota lex pendet & prophetæ. Aurum
purius est, quo igni excoquitur sæpius
voluntas melior est, Deóque gratior,
crebrius excoquitur igni contritionis
confessionis. *Parietes*, sunt opera bona,
debent esse ornati imaginibus, id est,
ad imitationem Christi & sanctorũ. Ch
stus enim dicit. *Exemplum dedi vobis*, (
de humilitate) *vt quemadmodum ego*
Ioan. 13. *& vos faciatis.* Et Paulus. *Estote imita*
1. Cor 11. *mei, sicut & ego Christi.* Idcirco festa
Sanctorum celebrantur. Martyrologium

tidie legitur. Quoquo menſe ſancti eli-
guntur.

Conſidera eandem dedicationem exte- 3.
rius cognoſci ex pauimento templi, quã-
do floribus & graminibus tegitur. Paui-
mentum noſtri templi ſpiritualis eſt cor-
pus noſtrum terrenum. Pauimentum fa-
cile ſordidatur, quia hominum pedibus
calcatur, & ideo ſæpe verritur. Corpus
quoque noſtrum ſordidum eſt, & radix o-
mnium peccatorum. *Scio*, inquit Apoſto- 1. Cor.
lus, *quod non ſit in carne mea bonum: non* 7
enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod no-
lo malum, ago. Sed, vt illud quoque dicetur
Deo, verrendum eſt ſæpe ſcopis confeſſio-
nis, pœnitentiarum, & mortificationis.
Orandum quoq; flore caſtitatis, & vir-
tutum graminibus: virtutes enim
a viriditate nomen
habent.

FINIS

Meditationum de Feſtis.

MEDITATIONES DE PASSIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

ADMONITIO.

Quid in singulis meditationibus de Passione considerandum.

1. QVIS *patitur?* Christus, Verbum, Sapientia Patris.
2. QVID *patitur?* spinas, verbera, spuma crucem.
3. PRO *quibus hæc patitur?* pro nostra hominumque salute.
4. CVR *patitur?* Séper ne patiatur homo.
5. A QVIBVS *hæc patitur?* ab amica stirpe suorum.
6. *Sed* QVANDO *patitur?* quando fuit iuuenis.
7. *Hæc* VBINAM *patitur?* medio telluris in orbe.
8. QVOMODO *tanta tulit?* proferat ipse modum.

MEDI-

MEDITATIONES DE PASSIONE CHRISTI.

MEDITATIO I.

De Lotione pedum. Ioan. 13.

CHRISTVS, *ante institutionem Sacramenti, cœna facta, sciens quia à Deo exiit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, ponit vestes, linteo se præcingit, mittit aquam in peluim ad lauandos discipulorum pedes.* Considera, primò quis sit, qui seruile, omniũque vilissimum ministerium hoc eluendi sordidos pedes suscipiat, nempe Christus qui à Deo exiuit, qui est filius Dei, Deus de Deo, creator mundi. 2. quanta sedulitate solus, nullo iuuãte, vt abiectissimus seruus id suscipiat, surgit à cœna, licet rusticum videatur tempore mensæ iisdem manibus tangere cibos & pedes sordidos: abiicit summam vestem vt expeditior sit, præcingit se, petit peluim ab hospite, aquã quærit, fundit in peluim, ipse aquã apportat, vt omnes partes officii seruilis expleret: vt discas vilissima officia etiam perfecte ex humilitate complere.

2. *Venit ergo ad Simonem Petrum, qui dixit Domine, tu mihi lauas pedes? non lauabis mihi aternum. Tum* IESVS: *Si non lauero, non habebis partem mecum. Et Petrus. Domine non tantum pedes, sed & manus & caput.* Considera, quã attoniti fuerint simplices discipuli, cũ viderent Dominũ suũ & Deũ in cuius nomine omne genu flectitur, procidentem ad suos pedes, cum viderent nũc ad huius, nunc ad illius pedes properare, sordes abluere, linteo extergere, & magno affectu osculari: nõ dubium quin præstupore conticuerint, & vberrimè lachrymarint. 2. Considera eum lotionem cœpisset Iuda, vt hoc exemplo eum ad pœnitentiam cõmoueret, & nos doceret quomodo cum inimicis agendum sit: imitatur exemplum medicorum, qui, dum plures ægros habent, incipiunt à maximè ægro. O rem stupendam, videre Deum maiestatis abiectum ad pedes sui capitalis inimici, tam duri & obstinati, vt nullam emiserit lachrymulam. 3. Considera Petrum, qui vltimo loco sedit, vti erat humilimus, & ardentissimus, non potuisse se continere, & non ex alienatione, sed ex mera reuerentia surrexisse, & exclamasse. Tu Domine, conditor cœli & terræ, quem alias confessus

sum

sum filium Dei viui, mihi piscatori, conditione abiectissimo, mihi misero peccatori, & seruo indignissimo lauabis pedes? Quod enim ex reuerentia ita sit locutus, inde liquet, quod statim se totum lauandum obtulerit, dum aduertit, ni pareat, se Deum offensurum.

Lotis pedibus IESVS *dixit. Si ego Dominus & magister laui pedes vestros, & vos debetis mutuo vobis lauare. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Considera, cur Christus lauerit pedes, non vt sordes pedum ablueret, sordes enim pedum manuũmue nõ coinquinant animam, sed vt doceret primo, quomodo quis præparare se debeat ad S. Eucharistiam, nempe aquis lacrymarum & pœnitentiæ, vt exponit Cyprianus, & sedulo totius conscientiæ examine, hoc est à capite vsque ad pedes. 2. vt exemplum humilitatis daret, in officio seruorũ vel ancillarum abiectissimo, nec nos puderet siue maioribus, siue minoribus, aliquando seruire. 3. vt mutuas offensiunculas, quæ aliquando etiã inter pios & religiosos homines incidunt, libenter condonemus.

Matt. 15.

MEDI-

MEDITATIO II.

De institutione S. Sacramenti Eucharistiæ. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

1. ACCEPIT DEVS *panem & gratias agens benedixit, fregit, dedit q3 discipulis, dicens: Accipite & comedite. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur Hoc facite in meam commemorationem.* Considera stupẽdum Dei erga nos amorem: Dum enim Iudas molitur proditionem, principes sacerdotum crucem & mortẽ parant, Christus sollicitus est, vt testamenti loco nobis relinquat pretiosissimam hęreditatem, nõ regnum, non opes, non honores, non scientiam, non aquam de petra, non manna de cœlo, non angelum, vel archangelum, sed seipsum, Deum & hominẽ, quo nihil præstantius esse vel excogitari potest. Et seipsum, non vt regem tantũ & Dominum, patrem, fratrem, sponsum, aduocatum, sodalem, magistrum, sed in cibum & potũ, vt quam arctissime illi coniungeremur, & sicut cibus in substantiam corporis nostri, sic nos corpore & anima trãsformaremur in ipsum, quo diuinæ consortes naturæ & filii Dei efficeremur. 2. Considera Christũ accepto pane gratias agere Deo, vt scias,

quando

quando sanctum hoc sacramẽtum sumis, prius tibi agendas gratias pro tãto beneficio, & per preces animũ ad Deũ eleuandũ.

Deinde accepto calice gratias egit dicens: 3.
Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Considera Christum hoc mysterium instituisse, vt esset Memoriale & quasi compendium omnium mirabilium operum suorum. Nã in aliis rebus vnam aliquam proprietatem diuinam, in hac autem ostendit multas, vt potentiam infinitã, mirabilem sapientiã, & ineffabilem bonitatem. Potentiã, quod sub specie panis & vini totus, cũ corpore, sanguine, anima & deitate cõtineatur. Sapientiam, quod tã suauem & cõmodã rationem excogitarit se nobis vniendi, nẽpe per cibum & potũ, quo nihil libentius sumimus, frequentius, auidius; vt scilicet libenter, sæpe, & auidè ad Eucharistiam accederemus. Bonitatem deniq;, quod secũ omnia bona spiritualia, & vitam æternam donauit. *Qui manducat enim hunc panem,* 4.
ait ipse, viuet in æternum. Considera. 2. sub *Ioa. 6.*
specie vini secũdo dari nobis totum Christum vti sub specie panis, vt recorderemur semper passionis & effusionis sanguinis

Christi in cruce, per vinum significatæ, & calicem, dignissimè enim communicat qui cum desiderio perfectè imitandi Christum, etiam in passione, communicat.

8. *Dico vobis, quia non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illam, cum bibam nouum in regno Patris mei.* Considera id dictum à Christo, vt nos doceret cõuiuium Eucharisticum in hac terra, esse pignus & arrhabonem conuiuii cœlestis alterius vitæ, in quo apponetur vinum præstantissimum & nouum, mittendũ in vteres nouos corporum immortalium & glorioſorum, quo omnes beati ab vbertate
Isa. 35. domus Domini inebriabuntur, hoc est, summo gaudio in æternum fruentur, & omnium præteritarum ærumnarum & vanitatum huius mundi obliuiscentur.

MEDITATIO III.

Christus proditorem inter cœnã indicat.

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioa. 13.

1. IESVS *turbatus est spiritu, & dixit. Vnus ex vobis me tradet, qui manducat mecum, & intingit manum in catino & contristati discipuli singuli dicunt. Nunquid ego sum Domine?* Considera miram Christi mansuetudinem permittẽtis manũ proditoris in ea-

in eadem secum patina, & ne pudore eum afficeret generatim tantum admonentis. Turbari autē ex mera compassione, quod vel vnus suorum periret. Tā enim angitur vnius interitu ouis, quam omnium, vt discas non prodere peccata aliena, quando occulta sunt, vel minus nota: deinde si superior sis, laborare, ne vel vnus pereat. 2. Considera, quid egerit Christus, vt Iudam à scelere reuocaret, mensæ adhibuit, pedes lauit, allocutus est, clarè satis dixit se prodēdum ab vno, qui manum secū ponat in catino, minatus est damnationē æternā. *Væ illi, per quē filius hominis tradetur.* sed nihil iuuit, quia cor eius obduruerat.

Simon innuit Ioanni vt exploraret quis esset proditor: & Iesus ei recumbenti in pectus suum, aperuit, fore illum cui panem intinctum porrigeret. Quo porrecto intrauit in Iudam Satanas: & continuo exiuit. Erat autem nox. 2. Considera, Iudę iniectam prius cogitationem de proditione, tum Satanam ipsum ingressum, vt discas primis dæmonis suggestionibus resistere, ne per consēsum ingressus cor omni illud gratia spoliet. 2. ne noctu & in abdito quicquam faciamus, & non audeamus facere corā omnibus, aut certè, si religiosi simus nullum etiā pium

opus

opus faciamus quod non patefactum vel
mus Superioribus vel Patribus spiritua
bus; nam sæpe Sathan transfigurat se i
angelum lucis. 3. considera solum Joan
nem, quem diligebat Iesus ob singularem
castimoniam, in pectore Christi recubui
se, & arcanum de proditione expiscatū e
se, vt discas tum te multorum donorū cœ
lestium capacem futurum, cū purus mēt
& corpore fueris, ac sæpius non in sin
Christi recubueris, sed Christū ipsum o
& corde in Eucharistia sacra susceperis.

℣ *Cum exisset Iudas, dixit* Iesvs. *Nun
clarificatus est filius hominis, & Deus clarif
catus est in eo, & continuo clarificabit eum*
Cōsidera, quam dissimilia sint Dei, & ho
minum iudicia. Homines enim claritat
in honoribus, opibus, & rebus secund
huius vitæ collocant, Deus autem in ludi
briis, opprobriis, paupertate, afflictione,
& crucifixione contumeliosissima. Vn
Gal. de & Apostolus ait. *Absit mihi gloriari nis*
6. *in cruce Domini nostri* Iesv Christi.
2. Considera clarificatum Christum quod
morte & passione sua victoriam obtinue
rit contra dæmonem, peccatum, mortem
& infernum; vt discas vere te glorios
futurum, si humilitate, patientia, & pœ
niten-

nitentiæ operibus omnes tentationes dæmonis viceris, à consuetudine peccandi discesseris, ac tuas prauas cupiditates expugnaris. *Qui enim dominatur animo suo,* Prou. 16. ait Sapiens, *est melior expugnatore vrbium.*

MEDITATIO IV.

De itinere in hortum Gethsemani Matt. 26 Marc. 14 Luc. 22. Ioann. 18.

EGressus Iesus cum discipulis trans torrẽtem Cedron, venit in hortum Gethsemani, & ait: Sedete hic donec vadam illuc, & orem. Considera quanto cum desiderio, & promptitudine iuerit ad hortum, vt tandẽ opus redemptionis, ad quod tota vita tãtopere anhelarat, inchoaret. Nam apud B. Lucam dixerat: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur?* Anhelabat nimirum primo voluntate sua: *Oblatus est enim quia voluit.* Volenti autem velamanti nihil difficile: deinde duplici igne amoris, vno in Patrem, qui illi mãdarat, vt pateretur; altero in nos, vt pro nostra salute moreretur; *Maiorem enim charitatem nemo habet, quam vt animam suam quis ponat pro amicis suis.* quantam ergo

Luc. 12. Isa. 53. Ioan. 14. Ioan. 15.

habuerit, qui posuit pro inimicis?

3a. Iesvs *assumpto Petro, Iacobo, & Ioanne cœpit mœstus esse, pauere & tadere, & ait Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Considera, Christum tristari cœpisse nō tam pœnis suis sibi impendentibus, quā de totius orbis peccatis, qui mœror tam vehemens fuit, vt solus ad mortem inferendū suffecerit: vt discas compati proximo dāno, & vicissim inania mundi gaudia pro amore Dei contemnere. 2. Considera, quando tædium in actionibus pietatis exercēdis obrepat, non pucemus idcirco suo spirituali fructu destitui, sed post tēpus porro progrediamur cū Christo, mox solatium etiam angelicū non deest.

9a. *Et ipse auulsus est ab eis, ac progressus lapidis, quantum iactus est lapidis, positis genibus protidit in faciem suam super terram.* Considera, quam inuitus relinquat suos: auulsio enim violentam abstractionem significat. 1. nota orandi ritum? figit humi genua quasi reus capitis ob scelera nostra, proiicit se in terram velut immolandus pro nostra salute & velut omnium mortalium indignissimum; ac vero dignissimus qui omnium pedibus proteratur: vnde discimus in tribulationibus primum ad Deum

esse, omnibus impedimentis abiectis, recurrendum: deinde vsurpandam sepe hanc humilimam ceremoniam. 3. considera, quã grauia fuerint peccata nostra, quæ humeris Christi imposita ita pondere suo illum in terram depressere, vt nõ potuerint amplius.

MEDITATIO V.

De oratione Christi, & agonia.

Luc. 22.

ORauit Iesvs *tertio & dixit. Abba Pater si possibile est, transfer hunc calicem à me:* veruntamen, *non mea, sed tua voluntas fiat.* Considera, Christum cum multis lacrymis, & clamore valido, vt loquitur apostolus, cum geminatione vocis *Pater, Pater*, eandem orationem iterasse: vt discas, quo maior impendet afflictio, eo maiori cum affectu, & diutius orandum, idq; cõditione semper adiecta, si Deo ita placuerit. 2. considera summam Christi resignationem in re grauissima; nam licet maxime horreret futura tormenta & mortem, tamẽ in ijs ferendis voluit paternã potius sequi voluntatem, quam suam, & ita sequi voluit, vt etiam oprarit sibi man-

Heb. 5. Chrys.

dari totam passionem, quo ex obedienti more reretur, vt discas in omnibus te conformare diuinæ voluntati, & obedientiam maximi facere.

Et surgens ab oratione bis, dum dormirent, dixit Simoni. Sic? non potuisti vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Considera, quantis angustiis prematur bonus IESVS. Orat Patrem, & silet, quærit à discipulis leuamen, & dormiunt & dormit eorum princeps, qui paulo ante præ alijs gloriatus erat. *Et si omnes scandalizati fuerint*, &c. Heu qualis hortus est hic Getsemani: in hortis aliis sunt delitiæ, in hoc vero mœror & pauor. O quam acerba sunt horti huius poma. 2. considera Christum abrumpere orationem, vt videret quid agerent discipuli, vt discas si superior sis vel aliorum curam geras, non tuæ saluti intendere vt aliorum negligas: & si officio suo non faciãt satis, liberè quidem, sed amanter corripias, simul infirmitatem eorum excusando, vt hic fecit Christus. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Et factus in agonia, sudore sanguineo decurrente in terram, prolixius orabat. Et apparuit angelus de cœlo confortans eum. Con-

sidera

sidera causam huius sudoris? nimirum eo usque creuerat desiderium patiendi pro nostra salute in Christi pectore, vt pretiosus eius sanguis, qui ex timore mortis decurrerat ad cor, intus bulliret & quærens violentum exitum tandem per poros & venas guttatim eruperit primum in vestes: deinde per illas in terram. 2. tantam vim sanguinis effusam, vt præ debilitate non potuerit se erigere: itaque accurrit Gabriel archangelus, eumque è terra leuauit. Intuere hic faciem Christi deformatam ex puluere sanguine mixto, capillos sanguine concretos, Gabrielem sedulo abstergẽtem omnia; eumque confortantẽ, vt in pedibus consistere posset. Hic orandi feruor, Domine, prorsus damnat meum languorem & pigritiam, dum ne vnam quidem lachrymulam in oratione mea exprimere valeo.

MEDITATIO VI.

De Proditione Iudæ. Matt. 26. Marc. 14

ORatione peracta Christus discipulis dixit. Dormite iam & requiescite. Sufficit

Surgite, eamus. Ecce qui me tradet prope est. Considera, Christū cognita voluntate Patris per angelum, ilico omnē metū abiecisse, conspectoq; hoste nō quęsisse latebras vt mercenarium, sed vt Pastorem bonum etiam obuiam processisse. 2. aduerte, verba Christi ād discipulos. Surgite, satis dormistis: nō permittit Iudas vos amplius dormire, ruite in vltimos amplexus, quia iā moriendū est. Accede Petre, cui cōmisi meas claues, accede Ioānes, & reliqui, solemnia matrem meā mœrore confectā, videque modo eos amplexus benedictionem vltimā eis tribuat: nullā amplius daturus, quā manibus ligandus. Cogita quātus omnium stupor, & lachrymarum effusio hic fuerit.

2. *Iudas antecedens turbam gladiis, fustibus armatam appropinquauit Iesu dicens. Ave Rabbi, & osculatus est eum. Dixitque Iesus Amice ad quid venisti. Osculo filium hominis tradis?* Considera, Iudam Apostolum Domini, & qui miracula fecerat, hic ductum ducem ministrorum dęmonis; vt discas quam grauis lapsus sit eorum qui post magna à Deo accepta beneficia, vocationem suam, vel pietatis cursum semel inchoatum turpiter deserunt. 2. Considera quibus modis Christus pro suaimmen-

benignitate cõetur Iudę pectus emollire, primo lenitate, præbens oſculum. 2. ſignificatione beneuolentiæ, vocans amicum. 3. correctione, qua factiturpitudinem exponit, dicens. *Oſculo filium hominis tradis?* vt diſcas, ſi tanto amore cõplexus eſt inimicum, quanto amplexurus ſit amicos, qui toto corde eum quærunt, eique ſeruiunt? Deindo, vt diſcas, inimicis nihil vnquam precari mali, vel aſperius loqui, ſed quodã amoris affectu ijs condolere.

Iesvs *dixit turbæ. Quem quæritis. Reſpõderunt Ieſum Nazarenum. Dixit Ieſus: Ego ſum. Quo dicto, retrorſum corruerunt in terram. Et cum ſecundo idem reſpondiſſet ait, Si me quæritis, ſinite hos abire.* Conſidera quã diſſimilis fuit primus Adã ab hoc ſecũdo, idq; in horto. Ille enim audita voce diuinę iuſtitiæ, *Adam vbi es*, abſcondit ſe: hic vero audita voce humanę iuſtitię manifeſtauit ſe, dicens. Ego ſum Ieſus: ſic enim amat ſalutem noſtram, vt nomen Iesvs, id eſt, Saluatoris cælare nõ potuerit. 2. Cõſidera, ſi amabilis vox, ego ſum, tam formidabilis toti Satanico exercitui cum Iuda fuerit, vt ſupini in terram ruerint, quid in die iudicii futurum ſit, quando in maieſtate ſua terribilem illam contra inimicos

suos detonabit sententiam. *Discedite ma*
dicti in ignem æternum 3. nota mirum am
rem Christi, quod in tantis periculis, n
sine suo incommodo, sollicitus est de d
scipulis, vt dimittantur.

MEDITATIO VII.

De captiuitate Christi. Matt. 28. Marc. 1. Luc. 22. Ioan. 18.

TVnc accesserunt, & manus iniecerunt
IESVM, & tenuerunt eum. Consider
quomodo viles & barbari nebulones in
gnum innocentem cum ingenti clamo
petulanter irruant: alii in capillos, alij
barbam: alij caput benedictũ pugnis, a
fustibus cædant, alij brachia crassis fun
bus tam arcte stringant, vt sanguis erum
pat è venis: alii catenam ferream in coll
iniiciant, omnes vt rabidi canes insultes
O miserabile spectaculum, onustum vide
re catenis & funibus creatorẽ cœli & ter
ræ, qui solus nos à vinculis liberare pote
videre ligatas manus, tot miraculorum e
fectrices. Tractari vt latronem, qui omni
animas à morte æterna liberauit. Cogita
Christum ligari, vt te peccatorum vincul
so

soluat, & ex dæmonis laqueis expediat.

Petrus abscidit auriculam serui summi sacerdotis, qua curata Christus dixit. Mitte gladium tuum in vaginam, Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum? Deinde ad turbam dixit Tanquam ad latronem existis comprehendendum, sed hæc est potestas tenebrarum. Considera 1. cur Petrus tã temerarius fuerit, nempe quia in oratione obdormijt. 2. benignitatem Christi bonũ pro malo reddentis hosti, dum sanat auriculam Malchi. 3. studium obediendi: quid enim aliud est, *non vis vt bibam calicem?* quam, vis vt Patri non obediam? maluit enim, inquit Bernardus, perdere vitam, quã obedientiam. 4. obstinationem Malchi, & turbæ duplici miraculo nihil motæ. 5. cõsidera, rem indignam, nempe Christũ seu latronem tradi non solũ in manus Iudæorum, sed etiam principis tenebrarum. Iob quidem diabolo vexandus datus est, sed, ne vitam tolleret: at Iesus sine exceptione tartareæ potestati traditur, vt in vitam & famam eius rabiem exerceant.

Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. Considera his discipulis similes esse, qui tantisper seruiunt Christo & pietati, dum res bene fluunt? ybi vero tentatio oritur,

& afflictio, ab instituto pietatis studio re cedunt. 2. Considera, eos in hanc tentatio nem incidisse, vt fugerent, quia consil Christi non paruerunt, cum prę monuer *Orate ne intretis in tentationem.* Imo præ xerit eos fugituros. *Omnes scandalum, in quiens, pattemini in me ista nocte.* Vnde scimus in magnis afflictionibus superã non esse fidendum nostris viribus, sed a denti orationi instandum. Nec enim p se opus habuit oratione Christus, ne fug ret, sed vt nobis exemplum daret, docer que quanti sit facienda oratio.

MEDITATIO VIII.

De deductione Christi ad Annam. Ioan. 18.

1. ET *adducunt Iesum ad Annam primu qui interrogauit Iesum de doctrina & d scipulis. Et respondit, Interroga eos qui audi runt, palam locutus sum in templo, & Syna goga omnia.* Considera, quomodo rabidi li ministri in tenebris per vias inuias, pe spinas & sordes indigne raptẽt, (vt ad do mũ Annæ pertrahãt) innocentẽ hũc agnũ quot iniuriis & verberibus afficiãt, ac sub inde præ debilitate, in terrã plapsum pu

gnis

gnis & calcibus exagitent, vt surgat. 2. cõsidera quomodo coram truci & fastuoso Pontifice manibus in terga reuinctis, oculisq; humi deiectis astatis, cui omnis potestas data erat in cœlo & in terra; quãq; modeste Annæ per calumniam doctrinam eius examinanti respondeat; vt discas non tristari, si aliquando alii peruersè de te loquantur & sentiant, modo tu nullius erroris conscius sis, deinde vt alieno potius testimonio, quam proprio, doctrinæ vel vitæ integritatem defendas.

His à Christo dictis, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens. Sic respõdes Pontifici? 2. Cõsidera indignum facinus, quod cœlum horruit, & terra obstupuit. percutitur Dominus à seruo, creator à creatura, Dominus vniuersi à verme & luto, coram quo tremunt cœli, & inferorum potestates. O angeli cœlestes cur tantam in Dominum vestrum iniuriam non vindicatis? 2. considera hanc alapam armata militis manu impactam Christo, tanta vi, vt vestigia in vultu relinqueret, miraculũque sit, Christum vti corpore tenerrimũ, & iã sudore sanguineo, & impotenti tractione fractum, nõ ilico concidisse mortuũ. Et interim Christus nõ aliud respondet, quã,

Si ma-

3. *Si male locutus sum, testimonium perh de malo: sin autem bene, quid me cædis?* Co sidera econtrario nos tali iniuria affect continue de vindicta cogitare, cum tam minime tam innoxij esse possimus, qua Iesus. 2. Considera, Dominum ideo resp disse huic vili nebuloni, quia fuit vna grauissimis iniuriis quas passus est; nã p ea grauiter sæpe cæsus, imo crucifixus, hil questus est, imo pro crucifixoribus orauit. 3. considera, hunc sensum respo esse. Si male locutus sum, ecce aliam m

Thren. 3. xillam, percute illam. Nam Ieremias *Dabit percutienti se maxillam*: nec enim bi satisfactionem fieri, honoremque re tui petiuit, sed vt temerarium illum co uerteret, ad maiora paratum se demo strauit.

MEDITATIO IX

Mittitur Christus ab Anna ad Caypham. Matt. 26. Marc. 14.

1. *TVnc duxerunt eum ad Caypham Princi pem Sacerdotum: vbi scribæ, & Seniores & pharisæi conuenerant: vbi Christo tacen te ad falsa testimonia, ait Cayphas, adiuro te, vt dicas si tu es filius Dei. Et respondit. Ego sum*

Con

Considera, cur taceat Christus ad calumnias, nempe quia responso dignæ non erãt. 2. ne ansam daret obstinatis hominib. grauius peccandi. 3. vt doceret nos patienter ferre opprobria maxime cum conscij non sumus obiectorum, & patienter tolerata reddant nos coram Deo meliores. 2. Considera, cur non taceat ad adiurationẽ Cayphæ; cum tamen sciret se ex responso grauiora passurum: nempe vt doceret eos, vbi Dei honos agitur, non licere nobis vel cum vitæ periculo veritatis professionem omittere.

Dico vobis, addit Christus, *Videbitis filiũ hominis sedentem à dextris virtutis Dei. Quo audito Cayphas scissa veste sua ait. Blasphemauit. & omnes clamarunt reum esse mortis.* Considera, hæc verba à Christo subiuncta partim vt clarior esset confessio suæ diuinitatis vt sensus sit: Et si nunc me tam cõtemptum esse videatis, quã Propheta prædixit. *Erit vultus eius quasi absconditus & dispectus.* Isa. 53. tamen veniet olim dies, quo videbitis me iudicem viuorum & mortuorũ ad dexteram Maiestatis Dei sedẽtem. Partim, vt eos mentione nouissimorum terreret, & à cæpto reuocaret. 2. Considera patientiã Christi ad barbaram illam mortis senten-

ſententiam contra ipſum vitæ auctore
Mirum eſt terrã non ſe aperuiſſe, & omn
iſtos abſorpſiſſe. Vnde diſce, proprium e
mundi damnare eos qui verum dicunt,
inculpate viuunt; noſtrumq; eſſe cũ Chr
ſto non curare, eiuſmodi clamores, eti
omnes contra nos inſaniant.

3. *Tunc qui tenebant Ieſum, expuerunt*
faciem eius; & velauerunt, dicentes. Proph
tiza, quis te percuſſit? alij palmas in faci
dedere, & alij blaſphemarunt. Conſide
homines ſpuere volentes, ad ſordidiſſim
domus angulos ſe conuertere: ſcilicet i
pii illi ſordidius nihil æſtimarunt facie,
quam deſiderant angeli proſpicere. 2. co
ſidera, iſtos non tot excogitare iniuri
quin Chriſtus omnes cum ſilentio ferat
plures ferre paratus ſit. Aſpice faciẽ Chr
ſti ex colaphis & alapis totam liuidam, i
flatam, & fœtidis ſputis conſpurcatã, im
Iſai. 53. pletumque illud Iſaiæ. *Et nos putauimus*
eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo &
humiliatum. 3 Conſidera, quam longe di
ſtemus à vita & moribus Chriſti, quippe
qui ne verbulum quidem contra hono
noſtrum dici feramus, & tamen CHRISTVS
voluit nos ſuos eſſe imitatores.

MEDI

MEDITATIO X.

De trina negatione Petri. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

PETRVS *foris in atrio rogatus primo ab ancilla ostiaria, tum ab aliis, an esset discipulus Christi, tertio negauit se nosse hominem.* 1a.
Considera, quomodo in corde Petri certarint timor & amor: timor nempe mortis, & amor magistri sui. Amor sequi Christũ cogebat, timor se occultare cogebat. Tantũ vero creuit timor, vt cederet amor, & sic Christum negauit. Ergo qui stat, videat, ne cadat: si enim vertex Apostolorum, cuius erat cæteros fratres confirmare, cecidit, quid aliis fiet? Si columna trepidat ad vocem vilis ancillulæ, quid faciet ad verbera Principũ? 2. Cõsidera, principiis obstãdũ, ne lapsus sequatur grauior. Petrus primo vane gloriatus est, se non scandalizandum, tum obdormiit cõtra consiliũ Domini in horto, hinc fugit, demũ negauit ter Dominũ, & quidẽ cũ iuramẽto, & execratione.

Et continuo gallus iterum cantauit: & cõuersus Dominus respexit Petrum. Considera, in quo mœrore & dolore animi fuerit Christus, dũ vidit se à Iuda venditũ, à discipulis derelictũ, & nunc tã turpiter a principe

cipe omnium negari. Doluit proculdubi
plus de hac negatione, quam de omnib
Psal. opprobrijs suis & tormentis, dixitque: C
141 *siderabam ad dexteram & videbam, & n*
erat, qui cognosceret me. Quid mirum si à
nistra inimicorum nemo Christum ag
scat, si à dextera Petrus negat? 2. Cōside
quomodo tandem gallo canente, mis
cordia motus Dominus oculis quæsiue
Petrum, quo inuento, sic eum tacite oc
affati sint. Sic me Petre negas? vbi fides
bi fidelitas, vbi tuus in me amor, vbi p
missa magnifica de non me deserendo.
corpus satis torquent, tu animam per
cruciare? Hæccine reddis saluatori, qu
è vili piscatore constituit principem
puli?

8. *Et recordatus Petrus Verbi* IESV *quod p*
dixerat de gallo, egressus foras fleuit am
Considera, sicut nix ad intuitum Soli
quefieri solet, sic algens cor Petri ad in
tum Christi post galli cantum in lach
mas liquescere cœpisse, & dixisse *Domi*
quid me vis facere? estne adhuc spes ve
post tam turpem lapsum? Vnde discim
nunquam despōdere animum, quantu
uis in religione etiā sanctissima viuam
& per fragilitatem in peccatum etiā gra

incidamus: sed oremus tantũ, vt Deus miseriam nostram respiciat, 2. Considera, quamprimũ cogitatio de resipiscendo injecta est, statim deserenda esse loca, cœtusque hominum, vbi occasio est delinquendi, sicut Petrus deseruit statim aulam Cayphæ. Difficile enim est inter improbos retinere probitatem. 3. nota, ad pœnitentiã veram requiri intimam cordis cõtritionem, & profusionem lacrymarum. Certe S. Petrus dicitur, tantũ calidarum effudisse lacrymarum, quoties galli cantum audiret, venenales in maxillis ex gattis decurrentibus apparuerint.

MEDITATIO XI.

De suspensione Judæ. Matt. 27. Marc. 15. Luc. 22.

IUDAS *videns Christum ad mortem condemnatum, pœnitentiæ ductus retulit triginta argenteos, dicens. Peccaui, tradens sanguinem iustum.* Considera, quo homo licet impiorum cœtu sit, si imperfectionibus initio obsistere negligat, progrediatur, vt pudore scilicet absterritus, pedem referre nõ velit: nota & dæmonis astum, qui fascinat initio oculos, ne turpitudo peccati appa-

reat: post verò ita turpitudinem exag
rat, vt desperet. Considera. 2 quanto p
tio venditus sit Christus, nempe 30. arg
teis, cum multæ bestiæ tam vili pretio
vendantur. O res stupenda. Homo e
debuit sanguine filii Dei. Et Deus ven
tur 30. denariis. Et quibus? inimicis cru
lissimis, à quo? proprio discipulo, fure
suiipsius suspensore.

[2. *At Principes Sacerdotum dixerunt. Q
ad nos? tu videris. Iudas vero proiectis arg
teis in templo abiens laqueo se suspendit.* Co
sidera, Petrum commisso peccato veni
meruisse, quia malorum consortium n
deseruit Contra Iudam desperasse, quia
malos rediit. & hinc disce, eos qui in
minum gratiam Deum deserunt, sæpe
iam in hac vita ab ipsis deseri. 2. Consid
malæ conscientiæ grauem carnificinam
vtpote, quæ nec confusionem, nec laqu
metuit. 3. quam malè perire soleant a
statæ, vel à fide, vel à religione. 4. Iudæ
Act. 1, suspensum crepuisse medium, vt est in
ctis, & viscera eius diffusa, vt qui viscer
caritatis amiserat, amitteret viscera sua
qui multa possidere studuerat, etiam s
intestina perderet.

3. *Principes autem Sacerdotum consilio ini
to emp*

tumerunt illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Considera præposteram istorum religionem, qui non verentur animas sanguine Christi inficere, & verentur pretio sanguinis inficere gazophilacium: similes iis qui grauem Dei offensam parui faciunt, res autem parui momenti, magni. 2. Considera Dominum noluisse pretium sanguinis sui in alium vsum verti, nisi charitatis, vt in sepulturam peregrinorum. Ipse enim est figulus, qui finxit mundum de nihilo, inquit B. Hieronymus. Ager est mundus. Sepultura, est pacata conscientia, quam soli illi habent, qui peregrinos se agnoscunt in terra, & conuersationem habent in cœlis.

MEDITATIO XII.

De missione Christi ad Pilatum. Ioan. 18. Luc. 23.

MANE *facto adducunt* IESVM *à Cayphain prætorium: Iudæi non introierunt, ne contaminarentur* CONSIDERA DOMINVM qualibet hora aliquid pati. A vespera vsque mane, tota nocte vexatus: & rursus à mane vsque ad vesperã.

Hora prima accusatus, tertia damna
sexta crucifixus, nona mortuus, ad ve
ram sepultus, nec mirum quia nos quo
tempore nouis peccatis & imperfectio
bus eum offendimus. Considera, sum
mane ad necem Domini festinari: in
nium enim diaboli est, præcipites ho
nes agere ad malum, ne cunctando
tentia mutetur. At contra conuenit
veloces esse ad bonum, quia *nescit tar*
In c. 1. Luc. *molimina*, inquit S. Ambros. *Spiritus s*
cti gratia.

2. *Exiit ergo Pilatus foras, rogans quam*
cusationem haberent, & responderu
non esset hic malefactor, non tibi tradi
mus eum. Cõsidera Pilati humanita
qui cum interpretari potuisset sui co
ptum, ad quem, vt immundum ingres
cusarent, cessit tamen eorum superstitio
ni, melior nobis, qui contempti contem
ptum reddimus, & à punctis honorum m
diuelli nullis precibus patimur. 2. Con
dera Christum, licet apud varios iudic
variè accusetur, tamen se neque defen
re, nec excusare, vt indicet se velle hab
malefactorẽ & reũ, & tanquã reum fabric
mortẽ; iniquitates enim nostras ipse po
tauit, ipse vt verus peccator periculo mo
dictus

dictionis se exposuit, vt nos hæredes faceret suę benedictionis. O charitas ineffabilis.

Accusarunt autem eum, dicentes. Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem, se Christum regem esse. Considera, quousq; excæcarit Iudæos odium & inuidia, vt cum nihil haberent accusatione dignum in Christo, impudenter mentiantur coram suo magistratu: sciebant enim eum & regnum fugisse, & obedientiam docuisse, & tributum soluisse, & soluendum docuisse. 2. expende, an sit subuertere gentem, cæcos, claudos, leprosos, aliosque ægros sanare, dæmones expellere, mortuos excitare, multa hominum millia in necessitate pascere, meretrices & publicanos conuertere, vitia arguere, & virtutes prædicare, filios Israhel, sicut gallina congregat pullos suos, ad pacem & concordiam conuocare, omnium se facere seruum, vt omnes faciat regni cœlestis hæredes? Hinc disce non mirari, si facta à te optime, aliquando pessime alii interpretentur.

3.

Ioan. 6. Matth. 17.

(·:·)

MEDITATIO XIII

De examinatione Pilati. Matth. 27. Marc 15. Luc. 23. Ioa. 18.

1. PILATVS *ingressus prætorium, rogat IESVM. Tu es rex Iudæorum. Quire*spon*det Regnum meum non est de hoc mundo. Tu ille Ergo rex es tu? Et IESVS. Tu dicis, quia rex sum ego.* Considera vt Christus Pilatum sincerè agenti clarè responderit: Iudæis autem insidiantibus nisi adiuratus, respondere noluerit, quia fictum detestatur Dominus. 2. Considera Christum non negare regnum suum esse in hoc mundo, quod vtique in illo, Ecclesia, & nobis regnat, *non de hoc mundo*, quia non est simile regnum mundi, quæ multo satellite defenduntur, florent opibus & pompis, sed consistit in splendore animę, paupertate spiritus, humilitate, obedientia, mortificatione passionum, caritate, & commune est eius pauperibus & mendicis, sanis & ægris. Nos ergo Christi subditi esse volumus, talibus virtutibus iustructi simus.

2. *In hoc natus sum, vt testimonium perhibeam veritati. Dicit ei Pilatus. Quid est veritas? & mox exiuit, dixitq; Iudæis. Ego nullam in eo inuenio causam.* Considera eum

Chri-

Christus in mundum venerit, nempe vt ab errorib⁹,idololatria,& peccatis liberaret vt doceret vanitatem rerum quas mundus admiratur; & discas tum te esse de regno Christi,cum a vanitatibus huius sæculi abhorres, cum studes alios ad veram fidem, & sanctam vitam conuertere. Hæc enim omnis odii Iudæorum in Christum causa fuit, quod veritatem doceret, & vitia eorum redargueret. 2. Considera, Pilato ante auditum à Christo responsum egresso similes esse eos, qui cum aliquid de humilitate, abnegatione sui, mansuetudine, vel alia perfectione vitæ Christianæ legunt, vel audiunt, dissimulant,vel ad se non pertinere existimant. 3. considera, etiamsi causam mortis non inueniat Pilatus,& falsam inueniant Iudæi,duas tamen veras esse causas, nempe multitudinem & grauitatē peccatorum nostrorū, & immēsam Christi caritatem,qui sanguine suo peccata nostra expiare voluit.

Tunc dixit Pilatus, non respondes quicquam? non audis quanta Sacerdotum principes cōtra te dicāt testimonia? Iesus autē tacuit, mirāte præside vehementer. Considera,quas tenebras animis Principum illorū offuderit inuidia,videtes enim Pilatum inclinari

ad liberationem Christi, omnia comple
clamoribus, quod totam cõmouisset G
lilæam obiicientes benefacta eius pro c
minibus. Mouerat certe à tenebris ad l
cem, á morte peccati ad vitam. 2. Consid
ra Christi patientiam, inter tot clamore
nullum verbum asperius egerentem, nu
nutu impatientiã prodentem. Quæ que
amoris flammæ ardebant in pectore i
quas tanti iniuriarum torrentes non p
tuerunt extinguere. 3. Considera, Pila
sæpius CHRISTVM respondisse, ad cal
nias autẽ Iudæorũ tacere, sic vt Pilatus m
raretur eius patientiã, qa ex malitia pecc
bant. Vnde discis, cum lacessimur iniur
plus tacendo quam respondendo profi

MEDITATIO XIV.

Pilatus mittit Christum ad Hero-dem. Luc. 23.

1. PILATVS IESVM *remisit ad Herodem regem, qui tum Hierosolymis erat, qui conspecto gauisus est valde, cupierat enim eum videre & signum ab eo fieri.* Cõsidera, quem admodum barbari milites contumelios simè per mediam vrbem Iesum reptarint, multisq; probris & sannis coram tota vrbis fece affecerint: vt discas patienter eius exem-

exemplo ferre, quæ à Superioribus aliquin piis, si religiosus sis, nonnunquam tibi contingunt, si ab vno officio ad aliud siue vilius siue dignius, siue leuius siue grauius promouearis, etiamsi sensualitati tuę repugnare videantur. 2. Considera, nihil profuisse Herodi, quod optaret videre Christum, quia cupiditas illa non oriebatur ex desiderio emendandæ vitæ, sed ex curiositate, fingens Christum esse magum aliquem, qui mira spectacula edere posset. Vt discas, nec tibi prodesse, si libenter audias verbum Dei, vel legas spirituales libros vel alios, nisi studio proficiendi id facias, & non vt doctus habearis.

2.

Herodes interrogabat Iesum multis sermonibus, at ipse nihil ei respondebat: & Principes Sacerdotum constanter accusabant eum: Considera, cur Herodi, licet regi, interroganti, non respõderit Christus. Primo quidem, ne curiositatem eius, ex qua sola more aulicorum interrogabat, probare viderentur. 2. quia margaritæ, id est, mysteria diuinitus communicata, non sunt proiiciendæ porcis. 3. vt doceret nos in concionibus non hoc quærere, vt audientium curiosorum intelligentiam pascamus, sed potius, vt ad emendationem vitæ affectus

commoueamus. 2. considera, sicut Iudæi constantes erant in accusando, ita Christum constãtem fuisse in patienter omnia tolerando, vt doceret nos in patientia continua possidere animas nostras:

3. *Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo & illusit, indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et factus, est eius amicus, cum ante esset inimicus.* considera, quam ignominiose ex conspectu Herodis abstractus sit, quantis ludibriis à tanto numero militum exceptus, singulis excogitantibus nouam illudendi rationem, ac velut stultum alba veste indutus, cogita quãto risu, quot sordibus petitus, nec enim stulti aliter tractari solent. In hoc speculum intueantur qui tantum studiũ in sacco stercorum, & nido vermium, mollibus & pretiosis vestibus ornãdo ponũt. 2. considera, si Christus ne fatui quidẽ habitum recusauit, neminẽ Christianum, maxime autem religiosum, qui paupertatẽ vouit puderet debere, si abiectum & simplicem habitum gestarit. 3. considera hanc Christi illusionem occasioem temporalis dedisse amicitiæ inter Pilatum & Herodem, inimicitæ, mortem vero fore vere causam spiritualis amicitiæ Iudæorum & gentilium in vno

Eccle-

Ecclesiæ corpore iungendorum. vt discas afflictiones ob Christum perpessa multa commoda temporalia & spiritualia nobis conciliare.

MEDITATIO XV.

De Barraba Christo prælato. Luc. 23.

CHRISTO *ab Herode reuerso, Pilatus dixit Iudæis. Nullam causam mortis inuenio in eo, sed nec Herodes.* Considera Herodem, tametsi in CHRISTO nihil viderit morte dignum, non tamen liberasse innocentem de manibus Iudæorum, sed ad gratificandum Præsidi cognitionem causæ detulisse ipsi. Ita fit, vt hominibus omnes studeant placere, nullus Christo. 2. Considera, à tot iudicibus hactenus in vitam Domini inquisitum, nihilque inuentum, quod mortem, aut vincula mereretur. Tu quoque sic vitam institue, vt omnes inferni dæmones nihil suum in morte tua inueniant. 1.

Barrabas cum ob seditionem & homicidium commissum missus esset in carcerem, liceretque præsidi die solemni Paschæ vinctum dimittere, petiit à plebe, hunc ne an Iesum dimitti vellent. & clamauit. Non hunc, sed Barrabam. 2.

rabam. considera, incredibilem Christi patientiam, qui cum esset Deus verus de Deo vero, consubstantialis Patri, per quē omnia creata sunt, passus est non modo se cum Barraba homine seditioso, & homicida publico, infamique nebulone comparari, sed etiam, quod indignissimum est, illi postponi, quasi indignior vita esset quàm improbus latro. Quæ iniuria fuit vna de maximis, qua Iudæi Christum affecerunt. 2. considera, inauditam iudæorum cæcitatem, & feritatem insatiabilem, quam & Pilatus summopere admiratus est, quod lupum prætulerint agno, hominem sceleribus coopertum, iusto & innocenti, sanguinariū latronem, auctori vitæ. Hic fructus est cordis obdurati in malo. 3. considera Barrabam nos præponere Christo, cum iudicium nostrum Superiorum, qui vicem Christi tenent, iudicio pręponimus, cum carnem spiritui, vitium virtuti, honorem mundi, honori Christi, seculum religioni.

3. *Tum Pilatus. Quid ergo faciam de Iesu qui dicitur Christus? At illi dixerunt. Crucifige, crucifige eum.* Considera quot laqueis homo cum non quærit purè gloriam Dei, animæque salutem, sed fauores humanos,

cum

cum Pilato se inuoluat. Cum enim nullo modo expectasset Barrabam anteponendum Christo, totus turbatus fuit, nesciens quid ageret, sic vt tandem petat consilium à turbulento populo quid facere debeat cum Iesu. Quid enim absurdius, quam iudicem sequi sententiam accusatoris, & furioso gladium præbere? 2. Considera, Euangelistas ideo tam diligenter narrare, quod Pilatus variis viis conatus sit liberare Christum, tum vt constaret, quam iniquè damnatus esset, quem prophanus iudex sola æquitate motus toties dimittere tentauit, tum vt ex ratione damnationis importunè per vim exortæ, appareret Christum non tam ab hominibus, quam à Deo Patre ad crucem tractum fuisse.

MEDITATIO XVI.

De viso vxoris Pilati Matth. 27.

SEDENTE *Pilato pro tribunali, misit ad eum vxor eius dicens.* Considera, valde opportune nuncium illum ab vxore missum nempe cum iam ad ferendam sententiam maritus paratus esset, vt res non casu sed diuino consilio facta videretur. 2. Cõsidera Deum ita voluisse cõdemnari Christum,

ſtum, vt cum in toto populo nullum p
tronum, nullum inter ſcribas & ſenio
aduocatum inueniret pro ſe, omnibus
men modis & omnis generis perſonar
ſententiis, virorum & mulierũ, eius in
centia teſtata redderetur. Ac diſcas D
nunquam permittere piorum famam
opprimi ab impiis, quin ſemper emine
aliqui, qui eorum innocentiam tue
tur

2. *Iuſſit vxor Pilato dici. Nihil tibi & illi*, id eſt, ne te eius negotio immiſce nec eum condemnes. Conſidera De humanitatem Pilati, qua conabatur pere Chriſtum è manib. Iudæorum vo ſe remunerari ſpeciali gratia, vt n mitteret angelum noctu ad vxorem, d de, vt vxor nuntium mitteret per me turbas, qui moneret eum contra quem geretur, eſſe iuſtum hominem, imo Chriſtum, & deterreret à condemnatione, ſ quia non paruit, inexcuſabilis fuit. Ta mali cauſa eſt metus offendendi Cæſare

2. Conſidera, ſicut prima mulier à peru ſo angelo inducta fuit, vt cauſam da lapſus Adami, & perditionis generis h mani. Ita Deum per bonum angelum m mouiſſe mulierem vt abduceret virum ſu

à gr

à grauissimo Iesu perdendi autorem generis humani. Vnde & putatur credidisse ac saluata. Orig. & Chry. sost. 3.

Multa enim passus sum hodie per visum propter eum id est, multa somniaui, quæ me solicitam, anxiamque reddiderunt. Considera multos Patres arbitrari terrores hos mulieri per quietem iniectos à dæmone, vt impediret Christi passionē. Aduerterat enim Christum esse Messiam, tum ex responsis Pilato datis, tum quia Patres in limbo exultabant de vicina liberatione; & ideo metuebat suas vires minuendas. Vnde colligis, quanta fuerit malitia hominum, vnde dæmon quidem eos ausus fuerit à cœpto reuocare, sed opem à muliere quæsierit. Alii tamen malunt à bono angelo factum. S. Ign. Cypr. Bern.

MEDITATIO XVII.

De flagellatione Christi. Matth. 27. Mar. 15. Ioan. 19.

CVm tertio Pilatus protestaretur nullam se causam mortis inuenire, & Iudæi clamarent crucifigendum Iesum, apprehendit eum, & congregata tota cohorte flagellauit Cōsidera hactenus sponsum animæ tuæ, vt tesibi

te sibi desponsaret, variis modis irrisum consputum verberatum, nunc autem ver tum esse ad vulnera, vt qui tibi honor suos, libertatem, aliaq; corporis bona di dit, nunc etiam sanguinem propinaret, v surus, qua tu vicissim liberalitate sis vsur 2. Considera. Christum à Pilato prae rianis militibus tradi, qui totam cohor tem, id est, 666. milites conuocarunt: v attende miram eorum petulantiam, Chri sti vero incredibilem confusionem & pa entiam. Primó enim eum toto corpo coram tanta multitudine denudant: Tu sacrum corpus columnæ alligant, brachi in altum erectis. Stat agnus inter lupo nemo pro eo loquitur, nullus miserea Tale spectaculum non fuit à condito be, vt flagella caderent in humeros Dei

2, CONSIDERA, quam grauis & acerb fuerit flagellatio. Veteri quidem lege ca uebatur, ne vltra 40. verba infligerea
Deut. 25. tur, hac addita causa, ne quis tot plag fœdé laceratus expiraret. At gentilis mi les nec hac lege tenebatur, nec commis ratione vlla mouebatur, sic vt 5400. ve bera, vt nonnullis sanctis reuelarum est, illi inflixerint. Quod non videtur improbabile, quia ideo Pilatus eum flagellari voluit

voluit, vt l
pore misc
sceret. Dei
mittebatu
poris cruc
moueret, &
t considera
virgis, tum
pant sangu
te; auribus
chinnos &
que in ang
nem, & cu
tantem.
Conside
solueretur,
ram: tam e
ta flagellat
posset. Aspi
tem sangui
tem in pede
te allocutu
benter am
respondeas
impatiens
ctibus perf
uis peccati
lare non d

voluit, vt Iudæorũ rabies viſo Chriſti corpore miſere dilaniato aliquantum mitesceret. Deinde quia flagellatio ideo præmittebatur crucifixioni, ne nuditas corporis crucifixi aliquem ad turpitudinem moueret, & ideo totum erat deformandũ. Considera internis oculis, quanta vi tum virgis, tum nodoſis funibus corpus diſcerpant ſanguine vbertim in terram defluente; auribus excipe multiplices ictus, cachinnos & ſannas cædentium. Vide quoque in angulo aliquo latitantem B. Virginem, & cum gemitu ſingulos ictus numerantem.

Conſidera Chriſtum dum à columna ſolueretur, inſtar trunci prolapſum in terram: tam enim erat fractus & debilitatus flagellatione, vt pedibus inſiſtere non poſſet. Aſpice enim in pauimento reptantem ſanguinem, vt veſte ſe cooperiat. Vt autem in pedes ęgre ſe erexit, cogita eum ſic ſe allocutum. Fili mi, hæc paſſus ſum libenter amore tui. Expende quam parum reſpondeas huic meo amori, tum quod tã impatiens ſis in paucis flagelli alicuius ictibus perferẽdis, tum quod quotidie nouis peccatis & imperfectionib. me flagellare non deſiſtis.

MEDITATIO XVIII.

De Coronatione Christi. Matth. *Marc. 15. Ioan. 19.*

1. MILITES *præsidis exuentes eum, t dederunt ei chlamydem coccine plectentes coronam de spinis, posuerun caput eius.* Considera, non sine verec virgineum corpus iterum nudari, & ingenti dolore vulnera omnia, qui stis eius inhærebat, fontibus nouis rientibus renouari. tum purpura reg quam regni affectatorē eum per sum ludibrium induit. 2. Considera coro neis aculeatam ei imponi, & hastis nerſè positis in benedictum caput spinas (quæ longitudinem ferè digi nimi æquant in illis regionibus) vide ire aculeos ex fronte, & temporibus, quaq; vi penetrare cranium. Quant dolor, quanta acerbitas? A condito auditū non est tali supplicio aliqu fectum. Et mirum est vel dæmonem quid potuisse excogitare.

2. *Arundinem ei in dextera dant, eadem*

cutiunt caput, dant alapas & genu flexo ad-
iunt. Aue Rex Iudæorum. Considera, nul-
lam intermissionem, vel quietem benedi-
cto Iesu ab impiis ministris dari, rursum in-
iuriis in domo Caiphæ illatas renouari, &
recentibus augeri, vt dum scurriliter ab
improba illa turba in hæc verba polite
vno flexo irridetur. Tune omnium bipe-
dum abiectissime, miser mendice, Rex es-
se concupisti: vnde tibi hoc delirium? Sed
qualis Rex es, tale nunc accipe sceptrum,
nempe inanissimum & vanissimum. Et
rursum dum sceptro illo caput cæditur, &
spinæ altius in caput deprimuntur. Quo
exemplo discimus, quam aspernanda sit
omnis humana gloria, & quanto desi-
derio contemptus nostri quærendus.

Exiuit ergo IESVS *portans spineam coro-* 3.
nam, & purpureum vestimentum, & dicit
is Pilatus. ECCE HOMO, *Ego nullam*
causam inuenio. At Pontifices clamarunt.
Crucifige eum. Considera, miserabile spe-
ctaculum. Egreditur mitis IESVS, di-
ducta purpura portans loco diadematis
coronam spineam, ligatis manibus, a-
rundinem in dextra pro sceptro tenens,
vultu liuido, sputo, sanguine & vibicibus

deturpato. Pilatus verò sperans lu
hoc diro spectaculo molliendos, dic
te homo, ecce quem vos dicitis filium
se facere: Ecce miserum regem, qui v
detur homo. 2. Considera, cæcitate
lati. Iterum protestatur Christum e
noxium, & tamen tam fædè eum t
nit, vt vix hominis speciē retinuerit.
nec canem quis ita tractaret. 3. Con
si teste Pilato innocens est Christus,
hæc illi contigerint. Nimirum ex
bia tua irrisiones, ex auaritia nudi
ebrietate sanguinis effusio, ex
spinæ, ex ira vulnera, ex inuidia li
ex accedia funes & vincula. Si ergo
non potuit Pontifices excitare ad
miserationem, te saltem excitet. H
næ enim pro te perferuntur, hic
tibi propinatur, hæc mala tibi don
vt iis quasi pharmacis peccata tua

2.

MEDITATIO XIX.

De aliis accusationibus Christi
Pilato. Ioan. 19.

1. *AD clamorem Pontificum respond
tus. Accipite eum vos & crucifigi
illi. Secundum legem debet mori, qu*

Dei se fecit. Considera, quod sicut impii Pontifices conspecto Christo sanguinolẽto non aliter in eius necem inardescebant atq; canes viso sanguine feræ, ita conueniat te accendi in amorem passionis Domini, contemplatione dolorum eius, vt in meditatione tua exardescat ad imitandum ignis deuotionis. 2. considera Iudæos verum dicere, sed non ad mentem suam. Omnia enim veteris legis sacrificia passionem & mortem filii Dei adumbrauerunt, & Prophetæ clarè prædixerunt: illi autem volebant Christum mereri mortem ob blasphemiam, quod faceret se filium Dei vt discas Deum aliorum malè facta vel dicta in bonum tuum commutare, quo & tu ex malis semper bona elicias.

Pilatus rogat Iesum. Tu quis es? eoq; tacente Mihi, inquit, *non loqueris? an nescis me posse dimittere te? Respondit Iesus, nullam potestatem haberes, nisi data esset desuper: & ideo qui tradidit me plus peccauit.* Considera tacuisse Iesum, ne sanctum canis daret, iam enim immani flagellatione indignũ se responso reddiderat. tum vt nos doceret non loqui, nisi cum necesse est, necesse autem non erat Christo loqui, quia iam ante dixerat regnũ suum non esse de hoc mundo, &

do, & si plus dixisset, intellectus nõ fuisset cum nec angeli capiant eius generationẽ. 2 Considera Pilati superbiam, quod taciturnitatem Christi sine causa reputet sui contemptum: facile quippe indignatur homo superbus, quia nec minimum quid potest ab aliis tolerare. 2. quod non agnoscat omnem potestatem se à Deo habere cum tamen sine eius voluntate, nec folii arboris commoueatur. Imò docet Cyprianus nec posse diabolum quicquam in hominem, nisi Deus permiserit.

Ls. 3. ad Quir. c. 80.

3. *Exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamant. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Tum producto Iesu, dixit. Ecce Rex vester. Respondent Pontifices Non habemus regem nisi Cæsarem.* Considera, Pilatum audita mentione peccati, serio Christo dimittendo cogitasse, ne se maiori crimine obstringeret: sed postquam de honore suo apud Cæsarem agi vidit, rursus animo concidit, similis illis, qui veritatem tuentur, quã diu id vident sine suo dispẽdio fieri posse, sed si turbo aliquis se immittat, vela conuertunt. 2. Considera Iudæos, quia repudiato Christo vero Rege Cæsarem regem suum esse voluerũt in tot mala, & perpetuam seruitutem incidisse

nec;

necsecus succedere omnibus qui abiecto iugo suaui seruitutis Christi ad mundum redeunt, quippe cum perpetua fiant mundi mancipia, & cum mundo pereant.

MEDITATIO XX.

De Christi D. N. condemnatione. Matth. 27.

1. *Videns Pilatus quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, aqua lauit manus, dicens. Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis.* Considera, Iudæis nos fieri similes, quando nullis neque rationibus, neq; monitionib. in re ad salutē vtili vel necessaria acquiescimus; Pilato autem, quando in aliorum gratiam contra conscientiam quid facimus, & culpam totam in alios retorquemus. 2. Considera, Pilatū bis falli cum putat se innocentem, primo cerimonia externa lauandi manus: non enim aqua, sed lacrymis peccata purgantur. secundo: quod iustum inuitus damnet nam innocens esse nō potest, inquit B. Leo, qui iisdem labiis mittit Iesum in crucem. quibus eum pronunciauit innocentem. *Ser. 3. de pass.*

2. *Et respondit vniuersus populus dicens Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Considera, cæcum furorem inuidiæ non

negant Iesum esse iustum, sed vt timi
præsidi animum addant, se & posteros
os grauissimis malis obstringunt. 2. con
dera, quanta sit insania, malum sibi
precari, cuius grauitatem ignores. Si
quodlibet aliud peccatum igne æter
excruciandum est, pro quo delendo
sanguis fusus est, heu qualis gehenna
nebit peccatū illud, per quod hic sang
fusus est! His similes sunt qui nihil pe
dentes grauitatem pœnarum inferni, p
gunt Deum offendere. 2. qui res ard
nulla consideratione, quod rationem
dituri sint apud Deum, suscipiunt.

3. *Tunc Pilatus volens satisfacere popu
ndiudicauit fieri petitionem eorum*, hoc
vt crucifigeretur. Considera, quam inic
& præposterum fuerit hoc Pilati iudici
Paulo ante agnoscebat per inuidiam à
dæis Iesum traditum, appellarat hom
iustum, protestatusque erat se nihil ca
in eo inuenire, & iam crudelissimæ co
voluntati illum tradit. 2. Considera qua
humiliter mitis Iesus absque vlla cont
dictione funestam sententiam excepe
nec secus, quam si de omnibus crimini
obiectis serio conuictus esset. 3. conside
quomodo lata sententia Satanici satell
tes il

tes irruerint in Iesum, & omni genere iniuriarum obruerint. Iam crux & feralia instrumenta, id est claui, & alia parata erãt. iam totis artubus exultabant omnes Pontifices, Scribæ, Seniores, populus. Sola mœstissima Domini parens cum discipulis tota in lacrymas soluta est.

MEDITATIO XXI.

De crucis baiulatione.

ET *apprehendentes Iesum eduxerunt eum vt crucifigerent: & baiulans sibi crucem, exiit in Caluariæ locũ.* Considera Iudæorum crudelitatem inauditam, quod Christoiam fatigato, membrisq; omnibus fractoingentem illam trabem crucis imponunt, perinde ac si vellent eum in ipsa via occumbere. Ac vbi quæso legimus vel pessimum latronem suum gestasse patibulũ? Omnibus supplicio afficiendis instrumenta abscondi solent, quibus occiduntur. at Christo etiam gestanda cum summo dedecore imponuntur. 2. Considera & quasi præsens aspice, quomodo tanto pondere onustus procedat, oculis languidis, facie tota sputis adhuc & sanguine plena, trepidantibus & vacillantibus genibus ac tan-

dem toto corpore septies in terrā cutruentē; quibus casibus nouo vulnere humeros vulnerauit, & alia ex flagellatione accepta renouauit.

In via Simonem Cyreneum angariauerūt, vt tolleret crucem eius. Considera, non satis esse, si Christus crucem suam baiulet, eamque nos sola fide & meditatione aspiciamus: sed opus est, vt nostrā quoq; crucem, inferendis iniuriis, mortificandis passionibus, carneq; castiganda ieiuniis, disciplinis, aliisq; pœnitentiis feramus iuxta illud Christi. *Si quis vult venire post me: abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me* 2. Considera Simonem hunc nō sponte sua, sed coactum huic crucihumeros submisisse, vt discas in ferenda cruce requiri, vt vis inferatur naturæ, & caro semper spiritui reluctanti. 3. Considera, utilitatem, quam Simon iste licet inuitus portans crucem, tanquam laboris mercedem reportarit. nam eius nomen toto orbe diuulgatum est, patria eius innotuit, & filii eius non modo Christiani facti sunt, sed etiam fama celebres.

Luc. 9.

IESVS *ad mulieres flentes conuersus Nolite*, inquit, *super me, sed super vos, & filios vestros. Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid*

quid fiet? Considera, Dominum non voluisse se defleri, sed populum, vt ostenderet potius nobis esse flendum de peccatis, quę mortis illius fuere causa. deinde, quia multis mors Christi maiorem damnationem erat allatura, vt improbis. Secundò. Considera, si viride lignum, id est, is qui in mũdum venit sine peccato, non egressus est sine flagello, quomodo nos qui in peccatis nati sumus, & in illis viuimus, sine flagello & cruce poterimus ad vitam æternam peruenire? tertio Considera, quam triste & acerbum fuerit Virgini matri spectare vnicum suum vitæ solamen, tam miserè derelictum, curuumq; inter duos latrones incedentem, & inter clamores populi tam immaniter tractari. Videre ibi erat duos soles, cum se mutuo aspicerent, deficientes.

MEDITATIO XXI.

De Christi Crucifixione. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

ET venerunt in locum qui dicitur Colgotha, 1.
q̃ est Caluariæ locus & ibi crucifixerunt eũ.
Considera quam molestus fuerit Christo

istius

istius montis ascensus, qualem sibi vim intulerit, teneroque & exhausto iam corpori, ne saluti tuæ deesset, & in monte cœli viciniore Deo Patri se sistens holocaustū pro peccatis tuis, in odorem suauitatis offerret. 2 Considera genus mortis crudelissimæ. Primum enim vestibus omnibus exuitur violentè quo facto omnia sine dubio vulnera sunt renouata, stabatque ibi mansuetus Iesus totus sanguineus. Deturditur in trabem humi iacentem, clauis obtusis proforantur manus & pedes. O dolor incredibilis, manus enim plenæ sunt venis & neruis, augetur dolor violenta extensione brachiorum pedumque vt respondeāt foraminibus. Tum eleuatione, & concussione crucis dum in scrobem effossam demittitur, ac demum diuturnitate temporis, nempe trium horarum, quibus in cruce pependit.

2. Considera quanta ignominia hoc genere mortis affectus sit Christus, nullum enim id temporis erat vilius & seruilius. Patitur in monte & stipite eminenti, vt omnibus esset ludibrio? in loco supplicii publicis destinato vt improbus haberetur. Inter duos latrones, vt omnium scelleratissimus reputaretur. In ipso meridie vt o-

mnes

nnes adesſent. In die ſolemni paſchæ, quo tota natio Hieroſolymam confluebat. In vrbe totius Iudææ principe, quam ſex ante diebus cum triumpho intrarat. Et in tanta ignominia adhuc verbis probroſis ab omni genere hominum excipitur. Demum nullum genus tormenti, nullum infamiæ fuit, quod Chriſtus expertus non eſt. 3.

Conſidera cauſam, cur hoc genus mortis Chriſtus elegerit. Prima eſt, quia nullũ erat acerbius, diuturnius, ignominioſius, & ad ſalutem tibi parandam accommodatius. 2 vt tanquam hoſtia in altum ſublata, mediatorem ſe inter patrem cœleſtẽ, & genus humanum interponeret, reconcilians ima ſummis. 3. vt eminus te oculis quæreret, venientem expanſis brachiis exciperet, in ſacris vulneribus reconderet, manibus inſculptum ob oculos ſemper haberet, & capite inclinato oſcularetur, denique vt mentem tuam à terrenis auelleret, & ad cœleſtia attolleret.

MEDITATIO XXIII.

De duobus latronibus cum Chriſto crucifixis. Matth. 27 Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

ET *crucifixerunt cum eo duos latrones, vnum* 1.

num à dexteris, & alium à sinistris. Consi-
ra execrandam Iudæorum improbitatem
quod redemptorem mundi crucifigant
latronem, incredibilem vero Christi
militatem, quod talis voluerit haberi
vt talis mori, idque nostra causa, vt qui
te malefactores sumus, & latrones, hoc
animæ nostræ occisores, dum peccam
libenter confusionem & pœnam aliqua
pro peccatis sustineamus. Considera,
ut Christus in vita tolerauit societat
Iudæ, in morte vero latronum, sic te de
re tolerare humiliorum & pauperum
uersationem & sicut ille sua societat
num fecit ex improbo probum, ita &
nostra consuetudine alios facere de
meliores.

2. *Medium autem Iesum* Considera
dæos hac ignominia conatos nomé Chri
sti delere, vt pro Messia latronum princ
haberetur, sed Christus hanc eorum
litiam ad suam conuertit gloriam. Nam
cum tres sint cruce affixi, ipse tamen so
cum cruce sua toto orbe factus est glo
sus. 2. inter peccatores moriens omnium
pretia persoluit. 3. neminem, quamuis de
terrimum latronem à salute excludit.
judex erit in extremo judicio omnium bo
norum

norum & malorum. bonos repreſentat latro ad dexteram, malos latro ad ſiniſtram 1 Conſidera æque bonum atq; malum latronem cum Chriſto crucem ſuſtinere, vt ſcias neminem licet bonum à cruce ferenda exceptum.

Et impleta eſt Scriptura, quæ dicit. Et cum iniquis reputatus eſt. Conſidera, id tanto tempore prædictum, vt intelligeretur, non caſu, ſed diuina etiam voluntate accidiſſe. Chriſtus quo ad diuinitatem medius erat inter diuinas perſonas, quoad humanitatem medius inter angelos, & homines ceteraſq; creaturas. Quoniam vero omniū hominum iniquitates in ſe ſuſceperat, cōueniebat vt licet non eſſet, tamen inter iniquos medius. id eſt, omniū iniquiſſimus reputaretur. Iſa. 53

MEDITATIO XXIV.

De crucis Chriſti titulo, Matth. 27 Marci 15. Luc. 23. Ioan. 19,

SCRIPSIT *autem & titulum cauſæ eius Pilatus, & poſuit ſuper crucem eius.* Conſidera Pilatum quidem id feciſſe, vt ob affectatum regnū putaretur crucifixus, ſed lōge aliā cauſā fuiſſe Dei, nēpe vt inuenires omnem

omnem salutem in Iesu, omnes flores v
tutum in Nazareno, & omnem in rege
curitatem. Titulus enim erat, *Iesus Naz-
renus Rex Iudæorum.* 2. vt cognoscere
tabula domui præfixa, quæ disciplinæ
doceantur. Solent enim ludimagistri u
uis indicem lectionum præfigere. Hic
nim discis saluari, virtutes omnes sect
teipsum regere, mundum & diabolum
carnem vincere, confiteri peccata, laud
re Deum, corpus castigare, cruce te co
signare in omnibus actionibus, & dice
Titulus triumphalis liberet me ab om
bus malis.

2 *Et erat superscriptio scripta Hebra
Græcè & Latinè.* Considera varias ling
titulum scriptum quia omnium inten
hunc regem crucifixum agnoscere, imo
1 *Cor.* Paulus non iudicat se aliud scire quam I
2. sum crucifixum. Ideo enim in edito loc
figitur, vt eminus videas, & legas & int
ligas, ac spretis aliis Dominũ sequaris
qu a omnibus linguis laudandus est M
sias crucifixus, sicut & nunc his solis tri
in diuinis Ecclesiæ officiis tanquam cru
Dominica consecratis, laudatur. 3. qui
Christus hæc re docere voluit, neque sap
entiam cœlestẽ, quæ Hebraicé in Biblii

nec

nec vllam scientiam vel eloquentiam humanam, quæ græcè vel latinè conscripta é, valere, nisi ad crucifixi gloriã referatur.

Dicunt Pilato Pontifices. Noli scribere. Rex Iudæorum: sed quia dixit. Rex sum Iudæorũ. Respondit Pilatus. Quod scripsi, scripsi. Cõsidera, Iudæos, id est, omnes pios & mundanos, qui addicti sũt voluptatibus huius seculi & carnis, non posse ferre nomẽ regni Christi crucifixi, sicut nec crucis; probos autem in sola cruce cum D. Apostolo gloriari, & cũ aliquando à dæmone, mũdo, vel carne tentãtur, vt crucẽ semel susceptam in baptismo, vel religiosæ vitæ ingressu deserant, cum Pilato dicunt. Quod scripsi, scripsi. Quod voui, seruabo. Sicut cepi, perseuerabo. Si enim Pilatus quod semel scripsit, mutare non vult, cur tu ꝙ semel promisisti, mutes?

MEDITATIO XXV.

De vestium Christi diuisione. Ioan. 19. Luc. 23. Matt. 27.

MILITES *cum crucifixissent* IESVM, *acceperunt vestimẽta eius, & tunicã.* Cõsidera Christi paupertatem, habẽtis pauculas tantum vestes ad tegendam nuditatem, arcendumq; frigus necessarias. Et tu- 1.

T nica

Euthy. nica quidem incõsuti'is à matre Dei Chri-
Matth. sto infantulo fuit contexta, quæ cum e
27. crescẽte crescebat, sicut filiis Israhel in de-
Deut. serto, vt discas omnem superfluitatem re-
29. stium fugere. *2.* Considera, liberalitatem
Christi; corpus dederat, sanguinem pro-
fuderat, nunc etiam externa bona, id
vestes tibi donat, nihil præter clauos, f
nas, sputa, & concretũ corpori cruorẽ f
seruans. Tu si perfectus Christi imita
esse velis, nudus ad nudũ Christũ adue

2. *Et fecerunt quatuor partes, sorte m
quam quisque tolleret.* Considera, mil
per irrisionem portionem aliquam ve
sibi sumpsisse, tanquam Regis Iudæo
ornatum: vt tu quoq; vel fimbriam ve
eius seriò colligas, hoc est, quicquid
sionem Christi quoquo modo attinge
pretio habe, vt sunt sacramẽta eius, ve
eius, signum crucis. 2. Considera, nos cu
militibus vestes Christi diuidere, cum in
ter nos non satis conuenimus, aut cum
liis discordiæ occasionem præbemus.

3. *De tunica inconsutili per totum dixer
scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius.*
Considera, vt per vestimẽta significentu
variæ hominum societates, & particulare
Ecclesiæ, quæ possunt per hæreses diuid

c per

ac per tunicam inconsutilem significari Ecclesiam Catholicam Romanam, quæ non potest diuidi, sed vnam tantum fidē tetinebit, & est, *desuper contexta per totum*, id est, toto orbe diffusa. Tu cauē ne ab hac tunica excidas. 2. considera tunicam incō-sutilem esse verum & perfectum amorem in Deum, hic enim verē inconsutilis est, & in alios amores diuidi non potest. Deus enim solus vult amari, non admittit in sui amore riualem.

MEDITATIO XXVI,

De irrisionibus Christi in cruce. Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.

TRanseuntes blasphemabant mouentes capita sua, & dicentes. Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: Saluū fac temetipsum. Considera, fetitatē populi, Principum, & militum, ne in summo quidē agone Christi ab iniuriis abstinentiū, & cum peccata non inuenirent, etiam beneficia & miracula ei exprobrantiū, vt quod infirmos sanarit. Contra perpende, quā grauiter hæ blasphemiæ mansuetum Christi cor pupugerint: cum soleant

maledicta in calamitosum conjecta ip
calamitate esse acerbiora.

Similiter & principes Sacerdotum de
2. *bant. Si filius Dei, si Rex Israhel est, descen*
nunc de cruce, & credimus ei. Cõfidit in De
liberet eum nunc, si vult: dixit enim, quia
lius Dei sum. Alios saluos fecit, se non po
Considera, cæcam Iudæorum stultitia
quia enim filius Dei fuit, ideo non debu
relinquere obediẽtiam Patris, sed bibe
totum calicem, quem dederat illi Pat
Deinde, quia rex Israhel fuit, non debu
Ps. 95. descendere, cum scriptum sit. *Dominus*
ligno regnaturum. & si regnet non debu
imperij sui sceptrum, nempe crucẽ d
rere. Similiter si seipsum saluum facer
lit & alios, debet persistere in cruce: q
qui perseuerarit vsq; in finem hic salu
erit: vnde discis, in vitæ sanctæ propos
etiamsi difficile nonnunquam sit, per
uerare in finem.

3. *Illudebant autem ei & milites aceto ob*
to, dicentes: Si tu es Rex Iudæorum, salum
fac. Cõsidera, ab impiis nullam in hac
ta cognosci, nisi corporis salutem & co
moditatem, ignaris pro animę salute hu
Christum facere, & vt nos eadem via pe
multas tribulationes in cœlum tende

mus. 2. Considera Christum ad omnia opprobria nihil respondisse, vt nos doceret amore Christi illa patienter ferenda, nec loquendum nisi cum honor Dei, vel salus animæ id exposcit, & ideo locutus est bono latroni, non malo.

MEDITATIO XXVII.

De primo verbo Christi prolato in cruce. Luc. 23.

IESVS *autem dicebat.* Considera. Iesũ hæc septem verba extrema cũ clamore valido protulisse, copiosisq; lacrymis sãguine de capite defluente mixtis. Lacrymę orationem rigabãt, sanguis exornabat, clamor aures Patris penetrabat. Hæc & tu admitte, ac expende, his enim sanctificata sunt 7. Sacramenta, & impetrata 7. Spiritus sancti dona, ac depulsa 7. capitalia vitia. 2. Cõsidera, quis dixerit hæc verba? Filius Dei. Cui? Patri. Vbi? in arbore crucis. quãdo? proximus morti. Quomodo? manibus expansis in cruce stans, & sanguine madens. Pro quibus? pro suis crucifixorib. & omnibns peccatoribus. Quid petiit? remissionẽ peccatorũ. Corã quib⁹? etiã coram hostibus, vt testes essent condonationis factæ,

PATER, *Dimitte illis.* Consideraverba singula. *Pater*, quod est misericordiæ nomen, non iustitiæ, vt *Dominus*. q.d. ô pater agnosce me filium. Pater filio nil recusat. Itaque quam carum habes me filium, sic nunc me orãtem exaudi. Cum enim ideo crucem hanc ascenderim, vt veniam impetrarem, nouam crucem mihi imponi si abnueris. Hanc vnam obedientiæ meæ postulo mercedem. 2. Consideta vocem *Dimitte* Fungitur officio Sacerdotis Dominus, orat enim pro peccatis populi: imo & hostiæ, nec gratuitam solum condonationem petit, sed & offert satisfactionem. Clamant vulnera, sanguis, sputa, dolores. *Dimitte*, hæc pro peccatis eorum suscipe. Petit autem sine conditione & absolute dimitte, vt discas remissionem peccatorum & diuinam gratiam absolutè petendam, quia semper ad Dei refertur gloriam: deinde non petit dimitti tantum peccata commissa, sed omnia etiam futura. 3. nota vocem. *Illis.* id est, non tantum crucifixoribus, sed omnibus, qui peccatis suis causam dederunt meæ passioni. Itaque neque ab hac oratione exclusus es.

Quia nesciunt quid faciunt. Consideta [illegible], & læsum, non [illegible]

dicis & accusatoris, sed defensoris partes suscipere, cum tanta tamen peccati huius fuerit malitia, vt nisi ignorantiæ nomine extenuari potuerit, imò cum voluntaria fuerit ignorantia, mirum est, quomodo Iudæos excusare possit. Excusabit ergo CHRISTVS nunc magis illorum peccata, qui cum dolore inuocant nomen eius. Et tu disce hoc exemplo excusare, non augere exiguas proximi offensiunculas. Secundo, considera, Iudæos sciuisse quidem, quid mali agerent, sed nesciuisse, quæ ipsis mala impenderent: & omnes peccatores, dum peccant, nesciunt quid agant, quia si scirent quam grauiter Deũ offenderent, quantasque pœnas mereantur, millies mori mallent,

MEDITATIO VIGESIMA OCTAVA.

De secundo verbo Christi. Luc. 23.

CVm vnus latronũ Christo improperaret. Si tu es Christus, saluũ te fac & nos, alter

eum increpauit. Neq; tu times Deum, q
in eadem damnatione es? & nos quid
iustè, nam digna factis recipimus, hic vero
hil mali gessit. Considera, mirandam co
uersionem boni latronis, quo enim tem
pore Apostoli de Christo non audeb
loqui ille publicè eum defendit, non
territus Iudæorum calumniis, non pr
ti one Iudæ, non fuga discipulorum,
Christi mortalitate, socium peccátem
signi caritate corripit prius, quã sibi
ud à Domino petat, incutit timorẽ
tis impendentis & iudicij tremendi,
catum suum agnoscit, & crucis pœn
satisfactionẽ sufficit, Christi innocẽ
prædicat, qui vere solus cum B. Virg
innocens. 2. Considera, si Deum veli
nobis propitiũ, blasphemias in Deu
sãctos ex zelo esse arguẽdas, peccata
cere confitenda, & famam piorum,
traducitur, tuendam.

Et dicebat ad IESVM. *Domine mem*
2. *mei, cum veneris in regnum tuum.* Consi
ra, vnde huic latroni tam repẽtina m
tio, homini scelerato & infideli, & tã
lix, vt primus omnium os suum ad
tẽ aquæ viuæ apponeret, vt solus Chri
Ps. 76. in cruce mereretur esse socius? Hæc
sũ

fuit mutatio dextræ excelsi, ad cuius dextram pependit. Considera, magnam eius fidem, quod quē mori videbat credidit & professus est Dominum, & regem, nō terrenum, sed cœlestem. Deinde spem firmā, quod grauitas peccatorum eum non deterruit, quo minus humiliter peteret sui memoriam non deponi, vbi ostēdit summam in verbo modestiam ac submissionem.

Et dixit illi IESVS. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Cōsidera, quomodo paulatim saluator sinum misericordiæ expandat. Paulo ante pro crucifixoribus orabat, nunc latroni paradisum aperit. Quam benignus, Domine, quam largus, imò quam prodigus es in hunc latronem. Facile apparet te in mundum venisse vt peccatores facias saluos, imo nihil aliud facere potes, cum sis ipsa misericordia, imo fons omnis bonitatis. 2. considera, si latronem, qui totam vitam in sceleribus transegerat, ob vnius horæ pœnitentiam Christus paradiso remuneratur, quid illis faciet, qui ad mortem vsque fideliter ipsi seruiunt? 3. nota quod è duobus latronibus secum crucifixis, vnum saluauit, vt nemo desperet, imminente morte, alterum

3.

vero non saluauit, vt nemo, prætendens misericordiam Dei, pœnitentiam ad finem vitæ differat.

MEDITATIO XXIX.

De tertio verbo in cruce. Ioannis 19.

STABANT autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Considera, fugientibus Apostolis, mulieres vsque ad crucem Dominum secutas, ac imprimis matrem eius, tum quod ceteris efferuentior, tum ne quem hactenus secuta fuerat, in morte desereret, & si quid posset solatii præstaret, vel obsequij, tum quia ipsa parata erat, si fieri posset, per crucem mori, sciens sibi prædictum à sene Simeone. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Vnde & ipsa præ aliis martyribus nobilius ibi martyrium, nempe in anima passa est. Secundò. Considera Beatam Virginem, Sanctum Ioannem & ceteras mulieres stetisse iuxta crucē, non sedisse, aut exanimes cōcidisse, non enim satis est ad salutem, vt simus vicini cruci, sed oportet

Luc. 2.

fixi

stare erectos, & pugnare aduersus tentationes.

Cum ergo IESVS *vidisset matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri sua. Mulier, ecce filius tuus.* Considera IESVM matrem suum vocare mulierem, quia maternæ aures sine nouo vulnere illud dulcissimum nomẽ non tulissent: deinde vt doceret religiosos, qui mundo mortui cum CHRISTO per obedientiam crucifixi sunt, obliuisci in terra patris & matris. Secundò. Considera sub Ioannis nomine omnes nos filios commendatos Beatæ Virgini, vt hac ratione virginitatẽ cum Ioanne amaremus, ipsam vt matrem coleremus, & in omnibus tentationibus ad eam confugeremus.

Deinde dixit discipulo. Ecce mater tua, & ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Considera, matrem ideo Sancto Iohanni soli commendatam, quia ceteris fuga dilapsis ille solus fidelis amicus vsq; ad mortem permanserat: veros enim amicos & seruos CHRISTI crux discernit, id est, tẽtationum & tribulationum tempus. Filij ergo & genuini B. Virg. sunt, qui ad crucem vsque CHRISTVM sequuntur. 2. Cõsidera vocem *Ecce*, indicari summũ beneficiũ

esse

esse, vt cõmunem homo & Deus habeat matrem, ad quam confugias, in qua spem colloces, quæ mediatrix sit inter nos & Deum. 3. Considera S. Ioannem, licet pauperem, hanc nouam matrem recepisse in sua, non bona, domos, agros, sed officia. Curam enim eius egit, ne quid deesset. Tu roga Dominum, vt tibi etiam sit mater, & pro te apud filium iugiter intercedat.

MEDITATIO XXX.

De quarto Verbo in cruce. Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.

1. A *sexta hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam, & obscuratus est Sol.* Considera solem in Domini tui passione obscurari, vt sicut moriente patrefamilias tota domus pullis vestitur in signum luctus, sic luctum de Domini tui passione in meditationibus cõcipias. 2. vt discas grauitatem peccatorum mortalium tantam esse, vt leuius sit Solem, & sidera interire, quã vno crimine Dei offendi maiestatem: siquidẽ quolibet peccato mortali Deus est occisus. 3. vt intelligas Dominicę passionis fructum esse

esse in contemptu splendoris mundi huius. Qui enim cum Christo confixi sunt, non honoribus, sed contemptu gaudent & neglectu. Vnde Paulus. *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini.* Gal. 6.

2. *Circa horam nonam exclamauit* IESVS *voce magna, dicens. Eli, eli lamma sabactani, id est. Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.* Considera, CHRISTVM idcirco in fine tam miserabilem edidisse clamorem, quod reuera in parte animi inferiore intolerabiles sentiret pœnas: pars enim illa nihil solatij vel auxilij à superiore parte, nec ab ipsa diuinitate coniũcta accepit, sed relicta fuit, vt pateretur quantum posset. Hora nona autem corpus totum erat exhaustum, tum ex copia effusi sanguinis, tum ex incredibili clauorum dolore, tum ex lethali sudore frigoreque vndique diffuso. 2. Considera, quomodo in tali statu, moribundos ad cœlum sustulerit oculos, multisque profusis lacrymis clamarit magno affectu, *Deus meus, Deus meus*, qui nunquam deseris clamantes ad te, cur me dilectissimum filium sine vllo solatio in hac extrema lucta derelinquis? Hinc disce, quid nobis qui pleni peccatis sumus, futurum sit in hora mortis, si fi-

lius

lius Dei ita deseritur, nisi Christo coniu-
&i maneamus?

Quidam autem illic stantes, dicebant. Heliam vocat iste. Cõsidera, hoc dictum esse, vt discas otiosos homines in rebus suis curios, nihil nisi aliorum verba & fa carpere & ridere. 2. ab impiis ignorari crimen inter Eli & Heliam, id est, inu honorem, qui Deo debetur, & qui sa ctis, vt sunt hæretici nostri temporis illos siniſtrè Dei verba torquere, qui quidē audiunt, sed nō iuxta illa vitam situunt.

MEDITATIO XXXI.

De quinto Christi Verbo. Ioann. 19.

1. SCIENS IESVS *omnia consummata, vt consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.* Considera, Dominum in tantis crucis tormentis, mente tamen lustrasse Scripturas singulas, an quę forte superesset nondum tuam salutem impleta, vt tu in Dei voluntatem, superiorũque iussa intentus, nihil omittas eorum quæ tui officij, vel vocationis sunt. 2. Cõsidera Christum nihil va-

quam

quam vel feciſſe temere vel dixiſſe, ſed eo retuliſſe omnia vt comſummaretur Scriptura, id eſt, voluntas Dei in ea expreſſa, fic effice tu quoq; vt nihil agas, niſi quod cõſentaneum eſt tuæ vocationis legibus & obedientię, & mercedem mirum in modũ in cœlo augebis.

SITIO. Conſidera, cur tot doloribus obrutus de ſola ſiti queratur, nimirum, vt qui iam ſanguinem ſuum totum effuderat, omnis generis cruciatus exantlarat, Patrem pro omnium peccatis orarat, indicaret optare ſe, vt viciſſim nos pro grati animi ſignificatione aliquid offerremus. Sitiebat enim emẽdationẽ, pfectionem, & ſalutem noſtram, ſicut & ſitiuit à primo vitæ exordio. 2. vt hanc ſitim animarum teſtamẽto nobis relinquat. Mundus ſitit opes, honores, voluptates, quæ magno quidem conſtant, ſed ſitim non explent, imo vt venena bibentem perimunt. At Chriſtus te vult ſitire ad fontem aquæ viuæ ſalientem in vitã æternam, id eſt DEVM, tuamq;, & aliorum ſalutem, ſicut ſitiuit CHRISTVS, quæ ſitim explent.

Et continuo accurrens vnus ſpongiã aceto impleram, impoſuit arundini & hyſſopo &

da-

dabat ei bibere. Considera, an hæc sit inh
merces illius oris, quod ad nostram sal
tem toties apertum fuit, & linguæ illiu
quæ tot documenta dedit, tot ægros cu
rauit, tot edidit miracula. Sed Christu
qui iam pro cæteris peccatis tuis aliis po
nis satisfecerat, voluit etiam gulæ &
temperantiæ medicinam adhibere, &
quod esu pomi in paradiso erat infectu
hac amaritudine quasi antidoto purga
2. Considera, nos acetum porrigere Chr
sto, cum in rebus ad salutem spectantib
sumus tepidi & negligentes: mundo v
merum vinum præbere, cum nulli labo
parcimus, in honoribus & existimatio
nominis aucupanda.

MEDITATIO XXXII.

De sexto Christi Verbo. Ioan. 19.

1. *CVm accepisset Iesus acetũ, dixit. Co
matum est.* Considera 1. non dicta e
se, cõsummatum est hoc vel illud, sed ab
solute, vt scias hac Dominica passione
mnia perfecta; tam in cœlis, quam in te
ris, tã quæ ad Deũ, quam quæ ad homine
pertinent. Sicut enim peccatum violauit
omnia, ita Christi sãguis restituit omnia
vt de-

vt discas in Christi passione ōnia quærere, & cum Apostolo, in nullo nisi in cruce Domini gloriari. *Gal. 6.*

CONSIDERA, quomodo consummarit omnia quæ ad Deū, vel se pertinebāt. 1.
Primo enim quicquid à prophetis prædictum, per figuras veteris legis præfiguratum, à voluntate æterni Patris decretum vel mandatum, quicquid denique ad redemptionem nostram opus erat, pfectissima obedientia expleuit. 2. qa nulla pars, nullum membrū in eo expers crucis fuit. Anima tristis fuit ad mortem. Corpus totum flagris laceratū, caput confixum spinis, capilli euulsi, facies deformata sputis & alapis, aures vexatę blasphemiis & iniuriis, manus & pedes transfossi clauis, lingua fellis & aceti amaritudine imbuta, sanguis totus effusus. 3. extremam manū apposuit omnium virtutū speculo & exēplari. In vita enim & passione elucet perfectissima obedientia, humilitas, paupertas, patientia, fiducia, fortitudo, perseuerantia & infinita caritas.

CONSIDERA, quomodo consummarit omnia nos concernentia. Peccatum 3.
enim finem accepit, debita omnia soluta, fidelibus omnia bona comparata, nihil vt *1. Cor.*

 1.

nobis desit in vlla gratia, Ecclesia noua, cum nouo sacrificio, nouis sacramentis, & legibus erecta, & missione Spiritus sancti in æternum confirmata. Sanctorũ in limbo desiderium completum. In malis quoque odium Iudæorum est finitum, imperium diaboli euersum, vires eius fractæ in abysso catena cõstrictus, nil amplius metuendus, sed etiam puerulis irridendus. Tu ergo post tanta beneficia, ne sis ingratus, sed conformes te eius voluntati. *Voluntas enim eius est sanctificatio nostra*, vt loquitur Apostolus.

1 Thes. 4.

MEDITATIO XXXIII.

De septimo verbo Domini in cruce. M. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

1.] IESVS *magna voce clamans ait.* Considera, Christum, quoties Patri pro se locutus est, exclamasse; ad alios vel pro aliis non item, vt discas magno affectu cum Deo agendum, & non aridè vel frigidè; deinde vt scias illo momento ad omnium dolorum culmen peruentum fuisse. 2. cõsidera, cur clamarit orando, nẽpe vt indicaret se vitæ mortisq; Dominum, nec nisi *vocata*, inquit Naziazenus, *mors ausa fuisset ac-*

In Christo pariẽte.

set accedere 2. vt Deum patrem ad commiserationem prototius mundi peccatis flecteret omnium enim peccatorum personam in cruce sustinebat 3. vt ad infernum vq; penetraret, quæ ibi exhilarauit Patres in limbo, sed perterrefecit dæmones. 4. vt corda omnium hominum ad pœnitentiam commoueret.

Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Cõsidera Christum Scripturæ verbis orare, vt te doceret non tuo iudicio & ritu Deum colere, sed illo quem à Spiritu sancto dictata Scriptura, vel ab eo dẽ docta Ecclesia tradit. 2. considera eum non orasse, vel metu iudicii, & inferni, vel quod indigeret commendatione apud Patrem, sed vt doceret te inuictum ab oratione spiritum non relaxare, sciresque omnes pios hac oratione Deo cõmendatos. Hos enim spiritus nomine compellat Dominus, qui eius spiritu sunt imbuti. *Qui* inquit, *natus ex spiritu spiritus est.* Si autem nos Christus commendat Patri, decet & nos eidem animas commendare in benefactis. 2. Ioa 3. 1 Pet. 4.

Et hæc dicens, inclinato capite tradidit spiritum CONSIDERA inclinasse caput vt indicaret, quam graue onus peccatorum sustinuerit. 2. quam pauper fuerit, 3.

non habens etiam in morte, vbi caput re-
clinet. 3. vt tibi suggerat quanta sint cru-
cis commoda. 4. vt precibus tuis meritis
passionis suæ nitentibus annuat. 2. Con-
sidera eum tradidisse spiritum tū Patri in
tertium diē asseruandum, tum nobis de-
derat enim nobis ante corpus suum, san-
guinē, vestes, restabat vt daret & animā
& pretium redemptionis nostræ fieret per-
fectum. Vt discas te tuum non esse, sed
Christi, quia suis membris, tua, suis pote-
tiis tuas, suo corpore tuum, sua anima
tuam mercatus est sibi & redemit.

MEDITATIO XXXIV.

De signis mortem Christi secutis Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.

1. ECCE *velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum.* Consi-
dera Christo spiritū cum clamore emit-
tente omnes creaturas ingemiscere, acsi
cum conditore suo vitæ finem facientes, &
ipsæ deficere velle viderētur. Omnes, ho-
minibus præ metu tacentibus, in vltionē
impiorum se paratas exhibent, Deoq; suo
etiam viscera offerunt. 2. considera ve-
lum tēpli ideo scissum, quia morte Chri-
sti omnia

sti omnia veteris testamẽti mysteria, maximè autem cruentorũ sacrificiorum, patefacta sunt. Apertus & aditus est in vera sancta sanctorum, id est, in cœlestem patriam. Vt discas in posterum omnium excusationũ & peccatorũ vela à corde tuo tollere, & interiora Deo & sacerdoti per confessionem patefacere in hac vita; sic enim opus nõ erit post mortem in die iudicii illa scindere, & toti mundo manifestare.

Et terra mota est, & petræ scissæ sunt. Cõsidera, cum Iudæi peterent silẽtium indicirurbis clamantibus, *Benedictus, qui venit in nomine Domini* Christum respondisse, iis tacẽtibus lapides clamaturos. Id vetè nunc euenit, hominibus enim Christũ confiteri non audentibus petræ diruptione testimoniũ dant eius diuinitati. 2. Cõsidera, si nos, qui quouis peccato lethali Christum crucifigimus, de peccatis non conteramur, nec passioni Christi compatiamur, nec tremendum iudicii diem timeamus, terra sumus insensibiliores, petris duriores, & mortuis magis mortui. 2. 3 *Luc.* 19.

Et monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum surrexerunt, & in sancta ciuitate multis apparuerunt. Considera hoc 2.

signo omnium maxime Christum aperiri inferorum portis S. Patres liberos emisse. 2. eadem morte fœtētia cordium sepulcra aperienda esse, vt inde fœtor omnium peccatorum exhalaret. 3. corpora iustorum aliquādo resurrectura, & cum Christo sine fine victura 2. Considera his quinque Dominicæ passionis signis, continuos effectus, quos in anima peccatoris operatur. Primo enim scisso velo ignorātiæ iudicij dies, & pœnæ inferni illi obiiciuntur. 2. terra, id est, mens timore illorum commouetur ad resipiscendum. 3. cor saxeum ad pœnitentiam emollitur 4. per confessionem è sepulcro peccatorū extrahitur 5 restituitur vitæ gratiæ, & dignus fit ingressu ciuitatis sāctæ supernæ Ierusalē.

MEDITATIO XXXV.

De conuersione Centurionis. Matth. 27. Marc. 15.

1. VIDENS *Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, viso terræmotu, timuit cum suis valde.* Considera quam velociter sāguis Christi suas exercuit vires, oratione tam efficaci Deo Patri oblatus, qua p crucifigētibus rogauit. Quæ enim terræ motu, aliisq; signis indicabat

tur, eadem hic in animis hominum perficiuntur. Tu ſpem firmam concipe, eum tuis neceſſitatibus nunquam defore, qui etiam carnifices ſuos ad pœnitentiã reuocauit. 2. Conſidera, quæ cõuerſionis Centurionis, ſociorumq; fuerit cauſa, nempe quæ aduerſo ſtabat, id eſt, mores, geſtus & verba Chriſti ſedulo obſeruabat; ſic tu ſi conuerti velis, diligenter perlege vitam Chriſti, eiusq; virtutes obſerua. 3. conſidera, omnes timuiſſe conſpectis miraculis quia *initium ſapientiæ eſt timor Domini.* Prou. 1.

Et glorificauerunt Deum, dicentes Vere hic homo iuſtus erat. Vere hic homo filius Dei erat: Conſidera hunc primum crucis Dominicæ fructum eſſe, vt Deo ſua gloria integra fide tribuatur, & quidẽ à carnificibus ſuis. Magna bonitas Domini tanta facilitate eorum crudelitatem in manſuetudinem commutantis, & opprobria in laudes angelicas conuertentis. 2. conſidera ingens miraculum, in morte atroci & infami illum à gẽtilibus agnoſci Deũ, qui vix homo præ corporis deformitate videretur. Nẽpe ſanguis Chriſti ea credẽda perſuadet, quæ etiam omnem fidem humanam excedunt. Luc. 23. 2.

Omnis quoque turba videntes, quæ fiebant, 3.

bant, percutientes pectora sua, reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius à longe, & mulieres multæ, quæ in Galilæa ministrauerant ei. Considera, terræmotu, & aliis signis tubam moueri, vt incipiant confiteri eum, quem ante spreuerant; vt discas aduersitatem sæpe vtiliorem esse prosperitate, quæ reddit nos cordatiores. 2. considera à longe stetisse mulieres notas, quę Christo ministrarãt, vt discas hanc mercedem rependi earum caritati & eleemosynis, quòd crucem vsq; perseuerarint, sed à longe stetére, quia exigua earum crux fuit, si cum Christi cruce conferatur.

MEDITATIO XXXVI

De latere Christi aperto. Ioan. 19.

1. IVDÆI, *quia erat dies Parasceues, rogarunt crucifixorum frangi crura, sed latronum tantum fracta sunt.* Cõsidera Iudæos cultus diuini pertextu, longè aliud voluisse, vt nimirum Christum, quem expirasse nesciebant, grauiori cruciatu de hac vita tollerent: vt discas hominum improborum malitiã semper crescere iuxta illud
2. Tim. *Mali homines & seductores proficiẽt in pei-*
3. 2. Considera, vtrumq; latronem commu-

ne qui-

ne quidem sustinuisse supplicium, sed bonus ille peccata deleuit, & nomen martyrys sibi comparauit, iuxta Augustinū? malus gehennam addidit. Vt discas, quam mundus & diabolus suis cultoribus mercedē reddant, nempe duplicem pœnam. *Lib. 1. de anim. c. 9.*

IESV autem, cum eum viderent mortuū non fregerunt crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua Considera quam magnum fuerit vulnus, non enim, vt notauit Augustinus, ait Scriptura, latus percussit, sed aperuit; vnde & B. Thomas à Domino iussus est ei inferre manum post resurrectionē? Considera Christū à morte voluisse id fieri, vt nihil de amore se remisisse ostenderet, imò, si opus foret, paratum iterum pati, ac vt quicquid in corde resederat sanguinis, ait B. Cyprianus, effunderet, nihil sibi reseruans. Deinde vt amoris tui signum indelebile insculperet. Adhæc vt ad cordis eius intima, velut per ostiolum in latere arcæ, penetrares. Denique, vt sicut ex latere dormientis Adæ educta est Eua, sic ex latere Christi dormientis Ecclesia, aqua enim baptismi fideles generantur, & sanguine in Eucharistia cibantur. *Tract. 120. in Ioan.* *De dupl. martyr.*

Et qui vidit testimonium perhibuit, & verum 3.

Exod. 12. Zach. 12.

rum est testimonium eius, vt & vos credatis. Facta enim sunt hæc, vt Scriptura impleretur Os non comminuetis ex eo. Et. *Videbunt, in quem transfixerunt.* Considera ideo S. Iohannem multis verbis dicere, se esse oculatum testem, vt discas esse mysteriũ magni momenti. 2: ideo, quod de agno Paschali in Exodo scribitur, Christo attribui, qui ipse est verus agnus, cuius os non debet comminui, id est, eius potentiam in Eucharistia nõ debemus scrutari, nec fraternam caritatẽ violare 3. in die iudicii vulnera Christi impiis fore conspicua; vt discas, quanta gloria sit martyrũ futura in cœlo, qui cum Christo vulnerum cicatrices velut gemmas, retinebunt.

MEDITATIO XXXVII.

De depositione de Cruce. Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

CVM *sero esset, venit Ioseph ab Arimathia, homo dives, & nobilis decurio, vir bonus & iustus, & occultus* IESV *discipulus.* Considera, Dominũ duobus Iosephis cõmẽdasse suam personam. Vni initio vitæ, à quo gubernaretur. alteri in fine, à quo sepeliretur. Ioseph idẽ est, quod accrescẽs, vel proficiẽs, quia Iesus ijs tantum se cõ-

municat, qui in vita ſpiritali indies proficiunt. 2. Conſidera Ioſeph occultũ fuiſſe diſcipulum, ſed ne perderet tandẽ tãtum theſaurũ, ꝓdidit ſe contẽptis periculis, vt diſcas te nõ obtẽturum Ieſũ, niſi contẽnas timores humanos & paratꝰ ſis aliud pati. Roſæ nõ colligũtur ſine ſpinarũ pũcturis.

Hic non conſenſerat actibus eorum, quia expectabat regnũ Dei. Hic audacter à Pilato 23
petiit corpus Ieſu, & impetrauit, cum ex Centurione audiſſet eſſe mortuũ, de quo mirabatur. Conſidera hic alias virtutes Ioſephi, ſi vis eſſe dignus corpore Domini. Primo enim vitanda ſunt malorum cõſortia. 2. ad regnũ cœleſte eſt anhelandum 3. conſanter perficienda ſunt, quæ Dei gloriam ꝓmouent. 4. ſæpe magno deſiderio & deuotione petendum eſt & accipiendũ corpus Domini 2. Conſidera miram obedientiã Chriſti poſt mortẽ, ꝙ noluerit corpus deponi citra licẽtiã legitimi magiſtratus, & vt illud ex gratia ab eo peteretur; tanquã malefactoris, quo terræ mandari poſſet. Deinde eximiũ in nos amorẽ, quod poſtquam dedit nobis ſanguinẽ, animã & vitam, pro conſolatione noſtra voluit etiã corpus ſuũ Ioſepho, & in eo nobis donari.

Ioſeph autem mercatus ſindonem mundã. Et

corpus

corpus IESV *depositum illi inuoluit.* Cons
dera quantam reuerentiam Ioseph cru
exhibuerit, clauos ipse euulserit, & de cru
ce iuuante Ioanne & mulieribus pau
tim, excipiēte illud in sinum matre sua
Virgine, demiserit. Quot hic singulto
quot suspiria omnium & lacrymæ? Vi
quomodo in oscula beata mater ruat
tius corporis, quomodo in pectus B. Ioā
nes, quomodo ad pedes M. Magdalen
2. Cōsidera syndonem mundam esse mū
dam à peccatis conscientiam, in qua deb
mus corpus Domini excipere, dum com
municamus, & si non habemus, numm
pœnitentiæ emere.

MEDITATIO XXXVIII.

De sepultura Domini. Ioan. 19.

1. VENIT *& Nicodemus ferens mixturam myrrhæ & aloes quasi libras centū. Co
pus autem Christi ligarunt linteis cum aro
matibus.* Considera, quātum Nicodemus
ex passione hac profecerit; Prius venera
Ioa. 3. ad IESVM nocte, nunc palam, tunc nihil
præter quæstiones afferebat, nūc fert pre
tiosa aromata, & officiū exhibet sepultu
ræ: vt discas in virtutibus progressum fa
cere,

cere, omnemque metum & turpem verecundiam excutere 2. Considera, neutrum accessisse munere vacuũ. nam Ioseph linteum & nobile sepulchrum dedit, Nicodemus myrrham & aloen magna copia tulit ad obsequiũ corporis mortui: vt tu quoque eius honori libenter labores tuos consectes. 3. considera, quid officij præstiterint corpori deposito, quam sedulo omnia eius vulnera cõtemplati sint, quoties osculati, quam reuerenter in subiectã peluim, sputa, cruorem, aliasq; sordes abluerint, & pro reliquiis cõseruarint, quomodo ablatum corpus linteis ligarint, & caput sudario texerint.

Posuerunt autem IESVM *in monumento,* 2.
quod Ioseph exciderat in petra, in quo nondum quisquam positus erat. Et aduoluit Ioseph saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit. Considera Christum voluisse sepeliri, vt nihil quæ ad homines pertinent prætermitteret, 2. vt tu, maximè si religiosus es, cogites, te esse vt mortuum, & sepultum mundo & concupiscentiis eius. 2. Considera vt sacra vasa in templo, sic corpora nostra, quibus corpus Domini in communione recipimus, posse dici sepulchra Domini, Tunc autem sunt in petra excisa,

excisa, quãdo in virtutis cultu constanter sumus. Magnum autem saxum sepulchro nostro aduoluimus, cum gratia Dei ita munimus pectus, vt nullus aditus sit dæmoni, carni & mundo.

3. *Mulieres autem se debant cõtra sepulchrũ aspicientes vbi poneretur corpus Iesu, & uertentes parauerunt aromata & vnguenta.* Considera, te cum corpus Domini suscepis in corpus tuum velut sepulcrum, debere à distractione mentis cauere, cum Mariis autem istis perseuerare in contemplatione Iesu in corde tuo sepulti. 2. non satis esse, vt Christus semel sit vnctus, sed cum mulieribus alia vnguenta paranda quia de virtute in virturẽ est procedendum.

MEDITATIO XXXIX.

De custodia sepulcri. Matth. 27.

1. PRRINCIPES *sacerdotum rogant Pilatum vt iubeat custodiri sepulcrum, ne discipuli eum furentur, & dicant surrexisse. Seductorem enim illum dixisse: Post tres dies resurgam.* Considera quale studium impiorũ illorũ sit in tanto sabbatho, quod erat festũ paschæ, vt obscurent gloriam Christi, quando enim cum Deo agendum erat, agunt

cum

cum homine prophano & infideli. Quos tu imitaris, dum negotiis externis diebus festis, quando templa & sacramenta frequentanda sunt, distineri te sinis. 2. Considera, timeri ab istis impiis Christum etiã mortuum: quãto magis timebitur viuus, dum veniet cum maiestate viuos & mortuos iudicaturus. 3. considera, cur Christum vocent seductorem, nempe quia populum ad veram fidem & salutem, Apostolos verò ad Euãgelicam perfectionem adduxit, & doctrinam suam miraculis firmauit: vt non mireris nunc quoque vocari seductores, qui alios ad Catholicam fidem, alios ad perfectius viuendi genus, & religiosam viram traducunt.

Ait illis Pilatus. Habetis custodiam. Ite, custodite sicut scitis Considera, eum, qui semel impiorum voluntati consensit, non posse se facile ab eorũ importunitate subducere, vt hic accidit Pilato: & experiũtur, qui semel dæmoni se addixere, aut meretriculæ amori dedidere. 2. Considera, inde factũ, vt Pilatus, qui prius pro Christo stabat, nũc metu perculsus cum Iudęis cõtra eum cõspiret, dicẽs. Habetis præsidiarios meos milites, diligẽter ergo custodite Hic enim fuit peccati fructus, vt & auctor

fieret,

fieret, incensorque malorum, & totus me-
tu ob factam mentionem resurrectionis
trepidaret.

3. *Illi abeuntes munierunt sepulchrum, si-
gnantes lapidem cum custodibus.* Consider
hanc impiorum cõtra Deum sollicitudi-
nem gloriã Christi magis promouisse, p
accidisse, quod illi veriti sunt, ne nouis-
mus error esset peior priore, quo enim
plures custodias & sigilla adhibuere, h
testatior facta est Christi resurrectio, &
omnis suspicio furti adempta. 2. Consi-
dera studium Iudæorum in malo, te sala-
brius imitari posse in bono: vt, si velis
SVM nõ tolli ex animæ tuæ sepulcro, p
serues te non solum ab operibus malis
stodiendo sensus externos, sed etiam
signes signo crucis, & custodias cor à co-
gitationibus & desideriis prauis.

MEDITATIO XL.

De descensu Christi ad Limbum. Eph. 4. Colos. 2.

1. CONSIDERA, quomodo Saluator n
ster eadem immensa in nos caritate
qua pro nobis crucem ascendit, & passio-
nem consummauit, mox ad inferos in p
pria-

pria persona descenderit, vt opus redemptionis quã perfectissimè absolueret. Sicut enim mortẽ elegit, vt nos à morte vindicaret, ita & descẽsum hunc in intima & obscurissima terræ penetralia suscepit, vt suos ab inferis liberaret. Vnde discis, primo negotia gloriæ Dei & salutis animarum per te, & non per alios perficere. Secundo non dedignari pro consolatione, vel auxilio proximorum vilia loca, vt hospitalia, carceres, & pauperum viſere tuguria.

CONSIDERA, quam incredibili gaudio fusi sint omnes Patres qui in obscurissimis terræ locis inde à condito orbe per duo, tria, 4. 5. millia annorum latuere, cum perfringi inferni portas audirent, animamque Christi cum ingẽti fulgore, angelis innumeris stipatam, ingrediẽtem viderẽt. Præcurrebat ibi reliquos sine dubio Ioannes Baptista, & digito omnibus demonstrabat illam esse Christi animam, quẽ ipse baptizasset. Tum primus generis humani parẽs Adam, supplex ad Christi pedes, & amplexũ rueb at. Idem Noe, Abraham, Dauid, & alii faciebant: Eo autem maius fuit gaudium, quo maior & diuturnior per tot annorũ curricula fuit 2.

huius aduẽtus expectatio; quo clarius v
derunt omnes promissiones Patribus f
ctas reipsa completas, omnesque tribul
tiones perpessas conuersas in summã fe
citatem & gloriam Sicut enim in cœl
in terra nullum præstantius bonum e
quam Deus, sic nullum maius potest
gaudium, quam Deum videre & p
dere.

3. CONSIDERA quomodo ad Christi
uentum omnes tartarei spiritus cœpe
contremiscere, & post ereptam tot P
prædam, quam cum summo triũpho
cto eorum robore & potentia, glori
eduxit, cœperint fremere & tumultua
lamentabili vlulatu suam seruitute
flere. Triumphabis & tu de dęmone
tosque eius faucibus eripies, si multa
Christo patiare, & tentationibus d
monis, mundi & carnis for
titer restiteris.

FINIS.

MED

MEDITATIONES RESIDVÆ DE CHRISTI VITA ET DOCTRINA,

quæ non incidunt in Dominicas vel Festa.

MEDITATIO I.

De Christi generatione æterna.

Ioan. 1.

IN *principio erat Verbum.* Consideranda, cum duplex sit Verbum humanum, vocale, & mentale, Christum, vt est filius Dei, à similitudine mētalis dici Verbum. 1. quia sicut verbum vel cogitatio mētis nostræ, qua sibi mens loquitur, sine passione & corruptione à mēte procedit, eiusque est expressa imago, ita filius Dei incorruptā & pas- 1.

& passionis expertem à Patre trahit origi-
nem, & expressam eius imaginem gerit.
2. Sicut mēs sibi ipsi per verbum vel cogi-
tationē loquitur, & in ea seipsā & omnia
quę scit agnoscit, ita & in filio sibiipsi lo-
quitur, & in eo quasi speculo, & in
imagine se omnesq; creaturas cōtempla-
tur. 2. Considera per principium signi-
cari primordiū mundi & omnium rerum
conditarum: voce autem *erat* denotari
lii DEI cum Patre æternitatem. Si enim
iam erat Verbum cum mundus conditus
tur, rectē infertur nunquam eius durationē
nem incepisse; Si enim incepisset, iam
pcessisset principiū durationis & omnium
rerum cōditarum. Deinde dicit, *in prin-
cipio erat*, non autem, *fuit*, vt significetur
bum ita præcessisse res conditas, vt tamen
cum illis perseuerarit & permanserit.

2. *Et Verbum erat apud* DEVM. Considera
his verbis primo indicari, vbi fuerit filius
DEI, vel Verbum ab æterno, si enim apud
DEVM patrem fuit, qui incircumscriptibi-
bilis est, nullo certe loco, nullis finibus
fuerit circumscriptum. 2. quale fuerit, si
accidens, vt nostrum verbum mentale, aut
vocale, in mēte vel aere inhærēs, sed subsi-
stens; non in DEO, sed apud DEVM

3. verbum hoc ita per se subsistere, vt ab eo secundum personam distinguatur. 4. ita esse personam distinctam, vt tamē sociali & amicabili coniunctione maneat cum Deo patre deuincta 5 procedere à Patre.

Et Deus erat Verbum. Considera, sicut 3. prima parte significata est æternitas Verbicū patre: secūda verò personalis eius à Patre destinctio, ita hac tertia parte designari identitatem naturæ eius & essentiæ cum Patre, vt licet Pater & filius duæ sint personæ reipsa inter se distinctæ, maneat tamen vnus idemque Deus. Debet enim in hac oratione præconstrui dictio, *Verbum*, vt sit sensus *Et Verbum illud, quod dixi, erat Deus.* Verborum autem, quæ mox hic sequuntur apud B. Ioannem. *Hoc erat in principio apud Deum*, hæc est sententia. Hoc nempe Verbum, q̄ dico esse Deum, hoc inquam, & rō aliud erat in principio apud Deum. 2. Considera, hoc verbum diuinum in eo distingui à verbo mentali nostro, quod hoc inefficax sit ad operandum, illud vero efficax ad omnia faciēda, & ideo subdit S. Ioannes. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine illo factum est nihil quod factum est* 3 considera, si velis esse genuinus Dei filius, debere te magno desiderio

æternitatis, hoc est, cõspectu Dei fruendi in æternum, teneri. 2 conuersationem tuã habere in cœlis, id est, apud Deum, & ideo semper eum præ oculis habere, & non terrenas. 3. Deo per intimum amorem toto corde iungi. 4. vt si natura esse tu possis idem cum Deo, sis saltem volun-
1. Cor. 6. te & spritu. *Qui enim adhæret Deo, unus*
1. Io. 3. *spiritus est cum eo.* 5. vt non tantum mala bona cogites & velis, sed etiam facias. Debemus enim Deum diligere, vt habet Ioannes, non tantum verbo, sed opere & veritate.

MEDITATIO II.

De Christi filii Dei Incarnatione. Ioan. 1.

VERBVM *caro factum est.* Considera quis mũdi status fuerit ante filii Dei incarnationem. Nempe idolis colendis, mutuis odiis & cædibus, aliisque flagitiis perpetrandis totus deditus erat. Omnes de-
Ps. 13. clinauerant simul inutiles facti: non erat qui faceret bonum vsque ad vnum. Veritas exulabat, caritas refrixerat, & malitia abundabat, regnabat mors, dominabatur Sathan, & in infernum innumera aeterna-

rum turba præceps ruebat 2. perpende quis ſtatus fuerit S. Patrum in Limbo, poſt diuturnam captiuitatẽ liberationis ſuæ, ſalutisque mundi cupidorum. Nimirum toto affectu ad Deum clamabant. *Vſquequo obliuiſceris nos in finem. Exurge.* Pſ. 87. *quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem.* Pſ. 43. Veni tandem gloria gẽtis noſtræ, & ſpes vnica ſtirpis tuæ. Deſere tandem ô vere IACOB domum paternam, & ab æterna requie tua deſcende, & carnem humanam aſſume,

CONSIDERA quomodo ſacrum trium 2. diuinarum perſonarũ collegium vtriuſq; partis afflictiſſimum ſtatum doleter perſpiciens cæperit agitare conſilia de certo remedio illos ab æterno exitio, hos à captiuitate diuturna vindicãdi. Perſona Patris videbatur propendere in iuſtitiam, vt peccatores ſecũdum grauitatem delictorum punirẽtur. Perſona Spiritus ſancti vero in miſericordiam vt peccãtibus parceretur. Filius autẽ conſiderans hominẽ obtemerè affectatam ſui ſimilitudinẽ in has miſerias delapſum, nec ſuis viribus poſſe emergere ad ſalutem, ſe ipſe obtulit paratum ad aſſumendam carnem, & in ea ad profundendũ pro ſalute hominis ſanguinem,

nem; cui oblationi misericordiarū Pater cum Spiritu sancto mox subscripsit, & decreto vnà facto, Mariā Virginem dignissimā esse, ex qua carnem assumeret, mox euocatur Gabriel angelus, qui rem annūtiet, & consensum ab ea impetret.

3. CONSIDERA, consensu à B. Virgine impetrato, quomodo mox post verba illa, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, Spiritus sanctus superuenerit, & virtus altissimi obumbrauerit illam, sicut promiserat angelus, & VERBVM caro factum sit, DEVS homo, in vtero B. Virginis: Sic celebratæ sunt æterni verbi cum natura humana nuptiæ. *Sic misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculata sunt.* Sic humilis ancilla facta est mater sui creatoris. Sic homo miser & vilis in diuinæ naturæ consortium est exaltatus.

2. Considera, humilitatem filii DEI, quod vilis homo fieri voluerit, imò non homo tantum, sed caro, quæ in homine abiectissima est, communis scilicet cum lūbricis & vermibus, & aliis vilioribus creaturis. *Isa. 4. Omnis enim caro fœnum.* Factum est autem caro, non quia conuersum sit in carnem, sed quod ita arctè illi coniunctum sit, vt quicquid fecit DEVS, caro vel homo fecisse di-

se dicatur, & quicquid passus est homo, Deus passus dicatur.

MEDITATIO III.

De Virginitate B. Virg. sponso Ioseph reuelata. Matth. 1.

CVM *esset desponsata mater* IESV *Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Considera, quare non de simplici virgine, sed de desponsata Christus concipitur. Primum, vt per generationem Ioseph origo Mariæ monstraretur. 2. ne lapidaretur à Iudæis vt adultera. 3. vt in Ægyptum fugiens haberet solatium & adiutorem. 4. vt partus eius celaretur diabolo, vt discas dona cœlestia non facile mũdo & dæmonibus patefaciẽda, ne margaritas proiiciamus ante porcos; & ne per vanam gloriã ea amittamus 2. considera, B. Virginem, etsi sciret se gestatione vteri causam suspicionis & mœroris daturam Ioseph, tamen innocentiæ suæ conscium, & in Deo confisam, conticuisse, vt discas nõ turbari, si quãdo inique infameris, modo cõscientia te nõ redarguat, fiduciam autem omnem reponere in Deo, qui non negliget innocentiã tuã, cum opus erit, patefacere toti mũdo.

1.

2. *Ioseph cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Considera, licet Ioseph secundum legem potuerit accusare & repudiare virginem, postquam cognouit esse grauidam, tamen tuendum eius honorē, maluit eam dimittere occultè. vt discas omnium proximorum nomen & famam etiam post eorum lapsum, quod fieri potest, tueri. Deinde eum prius rem diu expendisse, quam aliquid decerneret, & ideo apud Deum meruisse mysterii reuelationem; vt discas in rebus dubiis non præcipitare consilium, sed inuocato Dei auxilio sedulo ppendere, quid opus sit facto. 2. considera, si Deus & matrē suam & spōsum eius iustum permisit tantopere affligi, non esse quod nos peccatores queramur, si aliqua afflictione à Domino visitemur. si enim iusti simus, pderit ad meritū; si imperfecti, ad vitæ emendationem.

3. *Hæc eo cogitante, angelus Domini in somnis apparens ei dixit. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est; pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Considera, quanta mysteria angelus paucis his verbis sit complexus. Reuelauit enim illum adesse

adesse saluatorem tantopere à Patribus expectatum, omnes diuinas promissiones vocesque prophetarum completas, cõceptionẽ eius esse miraculosam, nempe ope Spiritus sancti, & ex matre Virgine profectam, salutem quoque ab hoc Saluatore expectatam non esse temporalem, sed spiritualem & æternã: addidit enim angelus. *Ipse saluum faciet populum à peccatis eorum.* 2. Cõsidera, quãto gaudio perfusus fuerit S. Ioseph, postquam è somno euigilauit, dum videt se non modo ab omni metu & suspicione liberũ, sed etiam in tantam dignitatem euectum, vt esset electus in spõsum, custodemque matris Dei, imò in nutritium ipsius Messiæ & Saluatoris. Vnde nec dubiũ est eum statim ad pedes B. Virginis tum forte precibus vacantis accidisse, & veniam pro erratis & suspicionibus humiliter postulasse, vnaq; cũ ea Deo pro reuelatione facta gratias egisse. Vbi discas in Deo, si quando ad tempus affligeris, spem omnem collocare, qui suo tempore nouit cum tentatione facere prouẽtum, exiguumque mœrorem amplissimis compensare consolationibus.

MEDI-

MEDITATIO IV.

De vita Christi ab anno ætatis 12. vsq; ad 30. Luc. 2.

1. CHRISTVS *annorum 12. Hierosolymis cum parentibus rediit in Nazareth, & erat subditus illis.* Considera Christum, vt scribit S Lucas, cæpisse primū facere, deinde docere Nam 30. annis primo exercuit se in humilitate, paupertate, patientia, obedientia & oratione. deinde vltimis annis prædicauit & docuit alios; vt intelligas, si verbo aliis prodesse velis, prius diu operam dandam pietati bonorumque operum exercitationi: nam non facile docebis alios verbo, quod non ipse præstiteris exemplo. 2. considera, etsi scriptum nō sit, quid egerit Christus post annum 12 vsq; ad trigesimum, tamen non fuisse otiosum: à consuetudine mundi subtraxit, in adeundo templo & orando frequens, sæpe matrem in humilibus officiis, sæpe S. Ioseph in fabrili arte iuuit. Nam Marci cap. 6. de eo quidam dicunt, *nonne hic est faber?* Cur autem hæc fecit, nisi vt ad tempus solitudinem amemus, mundi consuetudinem vitemus,

vanam

vanam gloriam fugiamus, prius bene discamus, quam ad alios docendos prosiliamus?

CONSIDERA ex vna parte bonum Ioseph strenuè laborantem, vt habeat, vnde carissimam sponsam suam, & mũdi fabricatorem sustentet: Ex alia humilem Virginem sua industria, nendo, texẽdo, aliisque modis prouidentem cibum ei, qui in cœlo angelos, & in terra pascit omnes creaturas Compatere CHRISTO, dum aspicis & illum in sudore vultus sui instar primi Adam laborantem, non vt sibi prodesset, sed vt nobis exemplũ daret humilitatis, obedientiæ, & caritatis. 2. considera, quantum solatium B. Virgini attulerit tam diuturna filii commoratio, quẽ certo credebat mundi creatorem: quanta reuerentia ipsa & Ioseph eum allocuti fuerint. Quam promptus fuerit ille ad omnia, licet nihil ei imperare auderent. Aspice illum seruili cinctorio præcinctũ, & per domum currentem, vt nunc S. Ioseph, nunc B. Virginem iuuare queat, dolandis asseribus, hauriendo aqua, domo euerrenda, foco construẽdo. Verosimile enim est nullos ibi [illegible], vel [illegible] vel ancillas. Circumstantibus [illegible]

2.

gelis & obstupescẽtibus, eumq; cum gaudio iuuantibus.

3. CONSIDERA, quoties præter ista corporalia opera & publica fecerit alia multa spiritualia & sublimia in secreto; ac imprimis, quoties labore diurno fessus in pauperculum suum cubiculum rediens totas subinde noctes ꝓ salute nostra in oratione impenderit. Quoties multas horas rebus cœlestibus matri patriq́ue explicandis impẽderit. Quoties per diem labore orandi causa, petita à parentibus facultate, interruperit. Quoties memor inobedientiæ parẽtum primorum, ingratitudinis hominum, & perditionis tot animarum cum lacrymis animam suam crucifixerit, vt iram Dei placaret, & salutẽ nobis impetraret. 2. Considera, quod B. Lucas, addit, *Christum cum ætate creuisse in sapientia & gratia apud Deum & homines.* vt dicitur si verè Christum imitari velis, te debet operam dare, vt nullum vitæ tempus in fructu abire permittas, proficiẽdo de virtute in virtutem, tum apud Deum, per obseruationem diuinorum præceptorum, tum apud homines per exempla bonorum operum,

MEDI-

MEDITATIO V.

De Prædicatione Ioãnis Baptistæ. Matt. 3. Marc 1. Luc 3.

IOANNES *Baptista habebat vestimentum* 1.
de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos: esca autem eius erat locusta, & mel syluestre in deserto. Considera Ioannem adhuc puerum ingressum desertum, ibiq; vsq; ad trigesimum ætatis annum in summa austeritate vixisse, vt discas in vita semel piè inchoata perseuerare, etiãsi molestiæ nonnullæ occurrant 2. considera, si S. Ioannes in vtero matris sanctificatus, quo inter natos mulierum maior nullus fuit teste Christo tã seuerè tractauit corpus suum, quid nobis, qui peccatis & im- *Matt.*
perfectionibus pleni sumus, faciendũ sit. 11.

E deserto autem digressus, circa Iordanem 2.
prædicauit baptismum, dicens. Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cœlorum. Cõsidera, Deũ euocasse Ioannẽ ex deserto ad prædicationis officium, tum vt ostẽderet, perfectionẽ vitæ Christianæ nõ in sola contẽplatione, qua nostræ saluti studemus, sed etiã in actione, qua saluti aliorum operam damus, consistere: tum vt intelligeremus eos, quibus incũbit munus

alios

alios docendi, debere asse amicos pœni-
tentiæ, orationis, & contẽptus mundi, vt
quod docent verbo, testentur vitæ exem-
plo. 2. Considera, quis scopus, quod argu-
mentum debeat esse prædicatori vel do-
ctori aliorum, nẽpe vt homines adducat
ad pœnitentiam, id est, ad contritionem
confessionem, & satisfactionem pro sua
peccatis. Et quia arduum id & durum vi-
deri posset, molliuit S. Ioannes hoc initio
prædicationis, dulcedine maximi præmii,
nempe regni cœlorum appropinquantis,
vt discas & tu inculcare hominibus ma-
gnitudinem mercedis futuræ, si pœniten-
tiam amplexi fuerint.

3. *Tunc exibat ad eum omnis Iudæa, & ba-
ptizabantur ab eo confitentes peccata sua,
lisq; dicebat. Ego quidem aqua baptizo vos.
Veniet autem fortior me, cuius non sum di-
gnus soluere corrigiã calceamenti, qui bap-
tizabit Spiritu sancto & igni.* Cõsidera, quan-
tam auctoritatem sibi conciliarit sola vi-
tæ sanctitate B. Ioannes, non solum apud
imperitum populum, sed etiã Principes,
scribas, & pharisęos, sic vt turmatim ad
audiẽdum conuolarent; imò etiam suspi-
carentur esse ipsum Messiam in lege pro-
missum. Vnde & consecutum est, vt

le eos ad patefacienda publicè peccata, & suscipiendum nouum baptismi ritum adduxerit. 2. considera humilitatẽ Ioannis, qui cum tantum nomen sanctitatis obtinuisset, tamen non se effert, non prædicat, sed vt Christum extollat? eiusq; patefaciat diuinitatẽ, se pedibus eius submittit. Nimirum probè norat adveram sanctitatem imprimis pertinere, honores, & magnam nominis existimationem contemnere, & se omnibus propter Christum subjicere.

MEDITATIO VI.

De Baptismo Christi. Matt. 3. Marc. 1. Luc. 3.

IESVS venit à Nazareth Galilææ in Iordanem ad Iohannem, vt baptizaretur ab eo. Considera filium Dei, simulatq; parentibus & mundo valedixit, incedere solum, sine locijs, (qui tamen habere poterat in comitatu multa angelorũ millia) miscere se turbæ publicanorum & peccatorum, atque si vnus esset de populo, subiicere se Ioannis magisterio, vt ab eo baptizetur in pœnitentiam & remissionem peccatorũ: cum ille prorsus esset peccati expers, nec pœnitentia egeret, imo esset magister omniũ, qui solus baptizaret in Spiritu sa-

cto. Nos autem licet peccatis pleni, volu-
mus videri gloria & honore digni, aliis
imperare. 2. Considera, Christum nunqua
se in actionibus suis exhibuisse, vel ostē-
tasse tanquam eximium & singularem ho-
minem, sed ceteris similem: vnde volen
more aliorum circumcidi, in templo p
sentari, & nūcà Ioanne baptizari, vt dim
in omnibus actionibus etiam spiritual
te aliis accommodare, nec peculiaria p
uilegia tibi vendicare ob doctrinā sapē-
tiam, opes, industriam.

2. *Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? respondit* IESVS. *sine modo, sic enim decet implere omnē iustitiam.* Considera, quam stupor inuaserit humilem Ioannem, cū videret hoc modo Saluatorem mundi ve nientē ad se, cogita, quomodo magno spi ritu ei occurrēs, se statim adpedes eius iecerit, dicens. *Ego à te debeo baptizari & tu venis ad me?* Absit, absit, vt ego audea te baptizare, creatura vilis creatorem, ho moDeum. 2. considera, quomodo vicissi Christꝰ humiliarit se corā Ioāne, quon do ambo non de prærogatiua honoris nos sed humiliatis & abiectionis, cōsi derint 3 considera Christū cōplementum iustitiæ vocare, si submittat se Ioanni b

est, creator creaturæ; quæ ergo erit iustitia nostra, dum non solum contemnimus inferiores, sed etiam ægrè submittimus nos æqualibus aut superioribus?

CHRISTVS *à Ioanne baptizatus mox ascẽdit de aqua, eoq; orante apertũ est cœlũ, & S. sanctus in specie columbæ descendit in ipsum, & vox audita: Tu es filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Considera, quomodo rerangelorũ non reformidat se in cõspectu hominũ vestibus spoliare, & aquã intrare, obstupescẽtib. angelis, & vestes subleuantibus. Deinde quã trepide Ioãnes sequatur, & aqua caput Christi deuotè perfundat. 2. cõsidera ꝓpter hãc ineffabilem Christi abiectionẽ ruptũ cœlũ, effusos ex eo angelos, vt nuditatẽ eius operirent. Et qa homines nõ capiũt tantã humilitatẽ, voluit Dꝰ declarare voce cęlitꝰ missa, hãc virtutẽ esse, qua sibi maximè cõplacuit in Christo 3. cõsidera, descensu colũbæ indicari, Spiritum S. illabi illis, qui ꝓprietates habẽt colũbę. Nã velut illa vtitur gemitu pro cãtu, nõ ferit rostro caret felle nõ habet vngues recuruos, & educat pullos alienos æquè ac proprios: sic homo perfectus dolet de peccatis, famã nullius lædit, est iræ odijq; expers, nil alienũ vsurpat, necessitatib ꝓximi æquè ac suis ꝓspicit. (Y 4

3.

MEDITATIO VII.

De Vocatione primorum quinque discipulorum. Ioan. 1.

ALTERA die stabat Iohannes, & ex discipulis eius duo: Et respiciens Iesum ambulantē, dicit. Ecce agnus Dei. Consid.
1. Christum venisse ad seruum suum Ioan. Baptistam, 1. vt eū honoraret. 2. vt testis sui aduētus eum acciperet. 3. vt aliquos ius discipulos ad Apostolatum vocare. Vnde Iohannes demonstrando illis Christum, mentibus eorum tantam impressit dignitatem Saluatoris, vt eis persuaserit Christum sequendum. 2. considera, quia Ioānes primo steterit 2. respexerit Iesum ambulantē. 3 dixerit, ecce agnus Dei. Vnde disce, si alios docere velis, primo debere te esse constantem in doctrina & vitæ exemplo. 2. debere diligenter totum Christi progressum expēdere. 3. hāc Christi vitam aliis imitandam proponere.

2. *IESVS conuersus, videns duos discipulos sequentes se, dixit. Quem quæritis? Tum. Rabbi vbi habitas? Et Iesus Venite & videte.* Considera, Christum statim cōuertere oculos in eos qui se sequuntur, vt discant

qui relicto mundo Christum secuti sunt, ob virium suarũ imbecillitatem, aut vitæ initæ asperitatem non animum despondere, nam talibus mox Christus misericordiæ suæ respectu addit animum & fiduciam, viresque suppeditat. 2. Considera, hos duos discipulos impendente licet vespera comitatos Christum, illosque ab eo benignè receptos, vt discas nullum tempus esse, quo non possimus facere bene, Deoque seruire. Qui iniuuentute non comitatus est Christum, saltem comitetur in senectute, ætatis vespera.

Venerunt & viderunt, vbi maneret, & apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima. Considera, quanto Dominus promptior sit ad dãdum, quam nos simus ad petendum. Nam cum Dominum non aliud sciscitati essent, quam vbi habitaret, vt postea eum inuenire possent, is nõ fuit tam exigua petitione cõtentus, sed porro inuitauit eos, vt secum pergerent, & si vellent vna pernoctarent. Recte autem dicit Euangelista discipulos illos tota die apud eum mansisse, neq; enim nox esse poterat, vbi erat Christus verus Sol iustitiæ, & lux mundi: O quam suauia illius clarissimæ noctis fuerunt colloquia? 2. Considera,

sicut discipuli illi experientia probarunt quam iucundum fuerit toto die commorari cum Christo, eumq; loquentem audire. ita religiosos, qui summa spiritus voluptate fruuntur, in sua religione solos cum esse, quantum bonum sit seruire Deo.

II. PARS.

1. *Duorum illorum vnus erat Andreas, inuento Simone fratri mox dixit. Inuenimus Messiam & adduxit eum ad* IESVM. Considera Andream statim post inuentum Messiam, thesaurum absconditum, spiritu apostolico communicare fratri suo, vtpote qui sanguine dudum sibi iunctus esset etiam fidei & religionis studio iungens & ideo recte ait se inuenisse Christum, quia hoc est inuenire Christum, amore eius accendi, curandæ etiam proximi salutis cumbere. 2. considera quam alius longe spiritus huius seculi, quod omnib. modis labo rat, vt sanguine iunctos & cognatos abstrahat à studio perfectionis & Christi in abrenunciatione omnium rerum stanta.

2. *Intuitus Simonem* IESVS, *dixit. Tu vocaberis Cephas, vel Petrus. Deinde inuenit Philip-*

Philippum, dixitq; ei IESVS. *Sequere me. Philippus autem inuenit Nathanael, & dixit. Inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Tum ille, A Nazareth potest aliquid boni esse?* Considera, mirabilem Dei prouidentiam, quod cum Andreas prior vocatus fuerit, & immediatè à Deo, Petrus verò posterius, & per hominem, tamen Christus eum indicet Ecclesiæ fundamentum futurum. 2. Considera, propriũ eorum qui ad sequẽdum Christum adducũtur, esse munus, vt & alios adducant, hoc est, bonum suum non sibi soli vsurpent, sed liberaliter aliis communicent. 3 Considera, voce Nazareth Hebraicè significari sanctificatam separatam, custoditam & floridam; itaque non posse nõ aliquid boni abilla manare. Si enim sanctificatus, & in gratia Dei sis, omnia opera tua sunt meritoria, si separatus à mundo, sanctus redderis corpore & spiritu. Si sensum portas sedulo custodieris, nõ facile ab hoste expugnaberis: si denique floridus, non potes non bonum odorem piæ vitæ exemplo exspirare.

Vidit Iesus Nathanael venientẽ ad se dicens. Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Tum ille: Vnde me nosti. Cum esses sub ficu, inquit, vidi te. Tum ille Rabbi tu es filius 3.

Dei, tu es rex Israhel. Considera, eos Deo carissimos esse, & verè Israelitas, id est, perfectos Christianos, qui ab omnibus dolis & fraudibus sunt alieni. Vnde & Christus Apostolis hanc virtutem commendauit, dicens. *Estote simplices sicut columbæ.* Et in Canonizatione Sanctorum hęc imprimis virtus commendatur 2. Cõsidera, Nathanaelem, licet Apostolica hac virtute præditus esset, tamen in numerum Apostolorum nõ esse ascitum, quia Christus voluit conuerti mundum, & humanam confundi sapientiã per homines rudes & idiotas, quo constaret nõ humana sed diuina virtute Christianam religionem persuasam mundo. Nathanael autẽ erat homo eruditus & legis Doctor. 3 Considera, doctrina adiutum Nathanaelẽ, vt citius aduerterit Christum secum loquẽtem esse Messiam, quia videbat duo illa abditissima, quę de ipso prodidit Christus, non potuisse sciri, nisi à Deo.

Matth. 10.

MEDITATIO VIII.

De eiectis templo vendentibus. Ioan. 2.

IESVS *Hierosolymam ingressus, cũ in templo inuenisset vendentes oues & boues, fu-*

gelo

gello omnes eiecit. Considera, Christum ante omnia adisse templum, quia in omnibus actionibus suis primo semper quærebat Dei gloriam. Et cum aduerteret illud fœde à negotiatoribus profanari, licet mortalium mitissimus esset, & ipse agnus Dei, zelo diuino accensus ex funiculis fortè oblatis cõfeciſſe flagellum, terribiliq; vultu totam illam sacrilegam turbã eiecisse. Consumatur & cor tuum vindicandi diuini honoris zelo, quando tuum Dei templum, id est, animã tuam aduertis belluinis carnalium affectuũ motibus profanatum, & flagello pœnitẽtię in illud desæuias. 2. cõsidera funiculis designari peccata, quibus homo velut funibus cõstringitur, vt intelligas Deum ex peccatis nostris sumere castigãdi materiam, eo quod dum in malo persistimus, & peccatis peccata addimus, multiplicemus funiculos, è quibus fiat flagellum quo castigemur. *Prou. 5.*

Eiecit quoq; oues, & boues & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit. Considera oues esse, qui specie pietatis alios decipiunt: boues, quæ sunt bestię laboriosæ, esse prędicatores, qui ob quęstum suũ, & non ob lucrum animarum verbum Dei annunciant; nummularios autẽ, qui Deo 12.

non integrè seruiunt, sed partim Deo, partim mundo, & qui non purè quærũt Christi gloriam in actionib suis, sed sua potius commoda. 2. Considera, si Dominus tam grauiter tulit animalia innoxia, ementesque & vendentes illa tantum, quæ culto diuino erant dedicata, & iamiam offerenda, quid facturus esset, si inuenisset ibi homines cõfabulantes de rebus vanis, negatores, impudicos, famæ alienę detractores, irrisores, nullaq; deuotione præditos?

3. *Et his qui columbas vendebant dixit. Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Cõsidera columbas spiritaliter vendere eos, qui receptam Spiritus sancti gratiam, non gratis vti deberent, sed pro mercede aliis communicant: vel qui non secundum merita, sed secundum hominum fauorem & gratiam illam impertiunt, vel deniq; qui beneficia Ecclesiastica Simoniacè emunt, vel vendunt. 2. Considera, Christum mitius locutum vẽdentibus columbas, tum quia paupériores & simpliciores homines esse solent, qui vendunt aues, tum quia per columbas, volucres innoxias, Spiritus sanctus designabatur. Vt discas, zelum temperare, quando agendum est contra eos, qui ex ig-

norã-

gnorantia & simplicitate potius quam ex malitia & proteruia in aliqua re diuinum honorem lædunt.

MEDITATIO IX.

De colloquio Domini cum Samaritana Ioan. 4.

IESVS *fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem sub horam sextam*, id est, circa meridiem. Considera, Iesum benedictum per montes & valles à mane vsque ad meridiē sine cibo & potu qnærentem errantem ouiculam, vt eam deducat ad ouile, ac tandem more hominū de via fessorum sedere supra fontem, vt ibi tanquā peritus auceps verborum suorum reti aucupetur auiculas ratione præditas, vnaque capta, ea duce vtatur ad alias in rete illiciendas. 2. considera eū sedere sic, id est, in terra, qui sedet supra Cherubinos: sedere supra aquas mortuas, vt cōmutaret eas in aquas viuas, ad quas per Prophetam omnes inuitauit, dicentem. *Omnes sitientes venite ad aquas.* supra puteum profundum quasi super nouam cathedrā, vt patefaciat noua & profunda mysteria scripturarum. 1.

Venit

2. *Venit mulier de Samaria haurire aquam, cui dixit: Da mihi bibere: Discipuli enim ierant in vrbem vt cibos emerent.* Considera, admiranda Dei iudicia, & quam verè dixerit Apostolus. *Non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei* Mulier enim hæc neque quærebat Christum, neque curabat ad salutem, minus volebat, & tamen diuina pietas eius est misertа, liberàs ei à peccatis, & similem efficiens Apostolis, vtpote quæ Samaritanis Christum annunciauit 2. considera, eum qui venerat ad dandum verum potum, postulare bibere, ardebat nimirum desiderio, non iam extinguendi sitim corporis, sed cordis, hoc est, animam illam conuertendi. Nec enim legitur, eum postea bibisse. Parui faciebat Dominus lassitudinem suam, & sitim; pluris æstimabat animæ salutem, quam potæ aquæ, 3. Considera, tunc potum petere à nobis Dominum, quando interna inspiratione nos impellit, vt relictis peccatis conuertamur ad se fontem aquæ viuæ salientis in vitam æternam.

Rom 9.

1. *Quomodo, ait, mulier, tu cum Iudæa sis, bibere à me Samaritana poscis? Tum* IESVS. *Si scires, quis poscat, forsan petisses ab eo aquã viuam.* Considera Christum ex habitu Sama-

Samaritana agnitum Iudæũ, vt discamus, si velimus imitari Christũ nos eo habitu vti debere, quo cognoscamur esse Christiani. Turpe est enim honestate habitus nos etiam à Turcis & Iudæis vinci. 2, Considera sapientiam Christi sensim ab aqua materiali transeuntis ad spiritualem, vt doceret nos, cum volumus cõuertere peccatorem, opportunitatẽ venari loquendi de tali matetia, & primum loqui de eo quod eius professioni conuenit, & pedetẽtim quasi aliud agendo in sermonẽ de salute spirituali delabi.

II. PARS.

DOMINE *ait mulier, puteus altus est, nec hydriam habes, vnde ergo habes aquam viuam? Respondit, qui biberit ex mea aqua, non sitiet in æternum. Tum illa. Da mihi hãc aquam* Cõsidera, qua arte Dominus paulatim cor durum mulieris emolliat primo enim se magnum aliquem virum esse indicat. 2. promittit aquam viuam. 3. exponit effectus aquæ, quod sitim perpetuo tollat & saliat in vitam æternam, id est, viuificet animam. O raram liberalitatẽ Christi, ignorantibus viuam gratiæ suæ aquam patefacientis, ac non petentibus etiam offerentis.

rentis, nec mirum: nam diuinæ bonitatis fons est suiipsius diffusiuus, & ideo quam hortos, in quos donorum riuos effundat. 2 cõsidera aquam huius mundi significare opes, honores, & voluptates seculi, quæ non possunt extinguere sitim, sed augent potius. Aquã verò Christi, designare gratiam Dei & bona cœlestia, quæ vere hanc nostram explent, & exstinguunt.

2. *Vade, inquit Iesus, voca virum tuum. Ti mulier. non habeo virum At Iesus, quinque habuisti, & quem habes tuus non est. Tum illa. Video, quia Propheta es tu* Considera Dominum nõ ante se voluisse manifestare illi quam confessa esset, virum suum nõ esse, cũ quo habitaret, ac proinde se peccatricẽ esse. Neminẽ enim gratiæ suæ participem facere solet, nisi prius se humiliet & peccata sua confiteatur. 2. considera, cũ mulier proculdubio hac confessione sua multũ erubuerit, quo modo à cœlesti medico mox fuerit adiuta & curata; benigne enim confessionem eius cõfirmauit, & bis collaudauit, quod verè dixisset. Honorifica enim res est apud Deum peccati confessio, & laudẽ potius, quam pœnam meretur. 3. considera, quomodo post expiata humili cõfessione crimina, aqua viua ante ob-

te oblata ex anima illa scaturiat & sensim viui fontis instar in cœlum ascendebat, nõ enim vocat amplius Iudæum, sed Prophetam, loquitur de adorando Deo, de Messiæ aduentu.

Cum mulier dixisset, scio quia Messias venit Iesus ait. Ego sum, qui loquor tecum. Sic mulier relicta hydria abiit in vrbem, nunciat se vidisse Messiam. Discipuli autem mirati sunt eum cum mulicre locutũ. Cõsidera, quomodo syluestris hęc ouiculapaulatim verbis Christi emollita patiatur se tangi & capi à suo pastore. Ignara enim licet adhuc, quis sit, incipit in eum credere, eumque amare; & ideo dicit se scire Messiam venturum, & optare ab eo doceri. Quid hic restabat, nisi vt pastor se proderet, & ouiculam in humeros reiectam deportaret ad ouile. Dixit ergo ei. *Ego sum, qui loquor tecum.* 2. considera, hoc responso dato, tantum ignem in pectore mulieris accensum, vt ardoris impatiens, oblita hydriæ, aufugerit in vrbem, quo totũ populum eodem igne accenderet, sicut & factum est. Nec mirũ est hydriæ oblitã, quia iam biberat, iam sitim perfectè restinxerat, vt discas & tu deserere hydriam carnalium 3.

lium cupiditatum, si velis aliis viam salu-
tis ostendere. 3. considera, Apostolos mira-
tos, Christū loqui cum muliere, quod fa-
cit, vt doceret in primis religiosos & cleri-
cos, raro loqui cum mulieribus, & tunc
paucis verbis, nec sine comite.

MEDITATIO X.

De principio Prædicationis Christi. Matt. 4. Marc. 1. Luc. 4.

1. IESVS *relicta ciuitate Nazareth venit in ciuitatem Capharnaum Galilææ metropo-lim.* Considera cur Iesus patriam suam de-serat nempe vt doceret si libere velimus aliis annuntiare veritatem, debere exui-
Luc 4. nos omnē inordinatum erga parentes & cognatos affectum deinde munere prædi-candi fungi, vbi spes est vberioris fructus vt erat in alia vrbe populosa. Tertio, vide-deret modum in persecutione seruandum vt scilicet non temere nos periculis expo-namus, sed fugiamus cum Christo, cum in patria non erat receptus. 2. considera, il-lum non inchoasse prædicationem Hie-rosolymis apud principes, sed apud pau-peres Galilæos, vt doceret non esse am-biendas cathedras celebres, sed vnum-quem-

nimarum fructum ſpectandum. Vnde & tot millia de populo eum ſequebantur.

Exinde cœpit Ieſus prædicare, quoniã ap- 2.
propinquauit regnum Dei. Pœnitemini, &
credite Euangelio. Et fama exiit de illo per
uam regionẽ. Cõſidera cauſam cur Chriſtus non cæperit prædicare, niſi Ioãne Baptiſta in carcerẽ coniecto. Nempe ne occaſionem daret Schiſmati, vel diſſenſioni populari. deinde vt exẽplum humilitatis daret prædicatoribus, vt facile cedant, nõ ſolum ſuperioribus, ſed etiam paribus & inferioribus in munere prædicandi. 2. à pœnitentia exorſus eſt, ſicut Ioannes, tũ vt eius doctrinam cõfirmaret, tum vt doceret nos, non aſpernari aliorum, qui nos præceſſerunt, ſi bona ſit, doctrinã. Ad hæc vt oſtenderet, primam & auream clauem, qua peccatoribus aperiatur regnum cœlorum, eſſe pœnitentiam, hoc eſt, dolorẽ de peccatis vitæ anteactæ, confeſſionem eorundem, & ſatisfactionem per bona opera. Hac enim pœnitentia regnum cœlorum, quod propter peccata lõgiſſimè à nobis receſſit, rurſum nobis appropinquat, modo vera fides catholica à pœnitentia non abſit.

Et circuibat totam Galilæam, docens in 39.

Synagogis, & ſanans omnem languorem, & ſecutæ ſunt eum multæ turbæ. magnificantes eum. Cõſidera, hic in Chriſto, velut in ſpeculo formã boni Prælati, & prædicatoris. Primò enim debet circuire, id eſt, omẽ ignauiam excutere, & ſubditos inuiſe, cognoſcereq; num omnes recte credãt & viuant. 2. circuire Galilæam, in qua ex gentiles mixti Iudæis, pauci diuites, multi pauperes, id eſt, omnes promiſcuè Chriſto lucrifacere hęreticos, malos Chriſtianos & inopes. 3. docere in Synagogis, tradere doctrinam Chriſtianam, in ſcholis & templis. 4. adiumẽto eſſe non ſolum in rebus ſpiritualibus, ſed etiam in corporalibus. 5. doctrinam tradere non curioſam, ſed animabus ſalutarem, & communi omnium Chriſtianorum conſenſu approbatam, doctrinam verbis traditã, ſtabilire exẽplo.

MEDITATIO XI.

De ſocru Simonis. Matt. 8. Marc. 1. Luc. 4.

1. *EGreſſi de Synagoga venerunt in domum Simonis. Socrus autem ſimonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt Ieſum pro ea.* Conſidera, non caruiſſe myſterio hunc tranſi-

transitum Iesu ad domum Petri ex Synagoga Nusquam legimus illum post itineris & prædicationis labores ad quietē vel cibum capiendū diuertisse ad magnifica palatia, sed ad piscatorum, aliorumque pauperum ædes, vti hæ Petri fuere. Quid autē aliud erat hæc Petri domus nisi Ecclesia; cuius Petrus custos & pastor factus est, dum CHRISTVS ei diceret. *Si diligis me, pasce oues meas.* Quas Christus elegit in sponsam, repudiata rebelli Iudæorum Synagoga 2. considera Apostolos non solum invisisse ægram, sed etiam intercessisse pro illa, vt discas, cum non potes opere, precibus saltem apud Deum & homines diuites infirmos iuuare, deinde & implorare auxilia Sanctorum in cœlo, vt patrem misericordiarum pro nobis & illis interpellent. Ioā. 21.

IESVS *accedens illam imperauit febri, & manu eleuauit eam, & mox surgens ministrabat eis.* Considera, cur Iesus cōscius illam ægrā esse, expectarit, donec discipuli rogarent pro ea. Nempe quia domus Petri debuit esse domus fidei, caritatis & orationis, & ideo illas virtutes in ea exercere voluit. Potuit & verbo absens eam sanare, sed ad ostendenda maiora amoris

signa voluit in persona propria cã adire, manuq; tãgere, & febri imperare, vt tãgendo se hominem, imperando Deum esse monstraret. 2. Considera, quomodo febris non solũ recesserit, sed vires ita in firmatæ fuerint, vt repente ex lecto exilire ceperit magno studio, vt gratam se ostenderet, ministrare. Vt discas, non te dare otio, cũ à peccatis fueris solutus, & iactum præteriti temporis in morbo vel corporali vel spirituali factam, nouo studio recuperare.

3. *Vespere facto varios ægros ducebant ad eum, & dæmoniacos, & ille manu imposita eos curabat. Dæmonia autem clamantia, Tu es filius Dei, non sinebat loqui.* Considera, non sola Petri domo, id est, Ecclesia Romana esse absolutionem ab omni genere spiritualium morborum, id est, peccatorũ, & etiam corporalium, quãdo fiunt miracula. 2. vesperi vel nocte tribulationum pleres sanari, quã luce prosperitatis, peraduersa enim plures redeunt ad se, & cõuertuntur ad Deũ, quam per prospera. *Vexatio dat intellectum.* 3. Christum non permisisse loqui dæmonia, vt doceret nos, dæmonem semper pro hoste infesto habendum, & nunquam ei communicandum,

Isa. 28.

sine

siue in bonis, siue in malis. Quo enim videtur commodis nostris amplius fauere, hoc amplius nostræ saluti insidiatur.

MEDITATIO XII.

De Paralytico iuxta piscinam sanato. Ioan. 5.

IESVS *à paralytico* 38. *annorũ iuxta piscinam Hierosolymis iacente cum rogasset. Vtne sanus fieri? Is respondit. Hominem non habeo, qui me mittat in piscinam.* Considera diuinæ sapientiæ altitudinẽ, quod ex plurimis ægris ibi iacentibus vnum tantum sanandum sumat: id enim facit, vt conseruemur in timore Dei, in cuius manu vita æquè ac mors nostra posita est. Deinde vt magis excitemur ad illum amandum, cuius gratia scimus nos misericordissimè præuentos. 2. Considera, licet Dominus nõ ignoraret, quid hic æger peteret, tamẽ ab eo rogauit, velletnè esse sanus, vt suã exponeret voluntatem. Iesus enim nõ est Saluator eorum qui nolunt, sed volunt, & suæ saluti cooperãtur. nam vt dicit B. August. *Qui creauit te, sine te, non iustificabit te sine te.* id est, sine cooperatione tua. Tum 1. *Ser. 15 de ver. Apost*

rogauit, vt eum accenderet ad desideran-
dam sanitatem, sicque dignior illa redde-
retur. 2. Considera per paralyticum hu-
designari peccantes ex consuetudine lon-
ga, per cæteram vero turbam languidos,
cæcorum, claudorum & aridorum, iacen-
tium ad piscinam peccantes ex negligen-
tia, ignorantia, fragilitate, & malitia, q
si velint, omnes sanari possint.

Dicit ei Iesus. Surge, tolle grabatum tuum & ambula. Et sustulit, ac ambulabat. Tunc Iudæi Sabbathum est, inquiunt, non licet tibi tollere. Et ille. Qui me sanauit, iussit. Con-
sidera, tunc Dominum peccatori dicere
Surge, quando cõdonato peccato, infun-
dit illi suam gratiam. Tunc autem pec-
tor tollit grabatum, cum displicent, qu
prius delectabant, ambulat verò, cum gra-
tię acceptæ cooperatur, exercẽdo se in o-
peribus bonis. 2 considera, Iudæos argue-
re in paralytico, quod videbatur eis re-
prehensibile, & non quod erat laudabile,
nempe miraculum adeptæ sanitatis, pe-
uersi enim in aliis notare tantum solent
mala, quę publicent, non autem bona: a
si nocent, in malam partẽ interpretantur.
3. considera. crabatum esse bona huius vi-
tæ, opes, honores & voluptates, in quibus

homo æger decumbit, quando illis delectatur. quando verò pro onere reputat, signum est eum sanum esse & ambulare.

Iesvs *cum declinasset à turba, inuenta postea in templo paralytico dixit. Sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Considera, Iesum ideo declinasse, vt doceret in bonis operibus nō quærendum hominum applausum, deinde aliquando expedire digredi ab illis, qui ad calumniandum sunt procliues, & optima intentione facta, in pessimam partem interpretantur. 2. considera, paralyticum postea inuentum á Christo in templo, vt discas, quoties gratia aliqua à Deo ditatus fueris gratias ei referre, non lingua tantū, sed religiosa etiam conuersatione, frequētando Ecclesias, audiendo conciones, & vitam pristinam in meliorem commutando, ne subtracta à Deo per ingratitudinem nostram gratia, deterius aliquid nobis contingat, hoc est, in priora peccata relabamur, & in iis ex desperatione veniæ, moriamur.

MEDITATIO XIII.

Nazareni Christũ voluere præcipitare, Matt. 13. Marc. 6. Luc. 4.

1. IESVS *ingressus Synagogam in patria sua explicato loco Isaiæ plicuit librum, dicens: Hodie impleta est hæc Scriptura.* Considera, Iesum noluisse initium prædicationis & miraculorum facere in patria Nazareth, ne videretur, ad id potius humano in populares affectu, quam puro animarũ zelo permotus. Noluisse tamen omnia illius præsidia subtrahere, tum quod lege quadam naturę, dilectionisque ad id esset obligatus, tum quod officium eius esset omnes ad salutem vocare. 2. Cõsidera eum post quædam ex Isaia lecta plicuisse librũ, vt indicaret non omnia omnibus promiscuè prædicanda, sed habendam rationẽ capacitatis auditorum. Deinde nõ dixisse ea de se scripta, sed tunc esse completa, vt indicaret, quam modestè de rebus ad laudem vel honorem nostrum pertinẽtibus loqui debeamus.

2. *Et omnes mirabantur eius doctrinam, dicentes. Vnde huic sapientia, nonne hic est faber, filius Mariæ? & scandalizabantur in eo.*

Con-

Considera stultos Nazarenos indignari Christo ob parentelę humilitatem, atque si homo sapiēs, & miraculorum patrator non posſit nasci ex humili prosapia, cū & Dauid tot regū radix, & Moses ex humili pastorum stirpe orti sint. Deinde recte Christū ab iis dici fabrū, vel filium fabri, quia filius erat fabri illius magni qui fabricauit totū orbem terrarū. 2. Cōsidera, cur cum Nazareni petierint etiam signū aliquod exhiberi in patria sua à Christo, sicut fecerat in Capharnaum, tamen non fecerit. Nēpe, quia ex vanitate petierant, ne ipsorum ciuitas videretur contempta præ alijs: deinde, quia cum esset sanctus sanctorum & alij sancti Christi parentes apud eos nati, tamen, velut ingrati, tātum beneficium nihili fecerūt, & vnde mouerī debuerant, vt Christum magni facerēt, nempe ex doctrina admiranda & miraculis inde ansam arripuerunt eū calumniādi. Sed mirum non est Nazareth non cognouisse suum Christum, cum nec mundus, teste sancto Ioanne, cognorit. *Ioā. 1.*

IESVS *dixit eis. Nemo propheta acceptus* 4.
est in patria sua. Et repleti ira eiecerunt eum
extra ciuitatem, & in montem duxere præcipitandum.
Ipse autem per medium illorum ibat. Consi-

dera CHRISTVM non cælare veritatem Nazarenos, etiã si sciat illos ægre latura quia magno beneficio afficimur, dum nobis nostri defectus & imperfectiones patefiunt, licet illud nõ agnoscamus. Nazarenos autem qui Christo ideo mortem intentarunt, imitantur omnes illi, qui contumaces & doctores veritati patrocinantes persequuntur. 2. Considera, Christum præcipitare se conantibus non restitisse, sed quiete per medium illorum transisse, vt discamus iniurias nobis illatas dissimulare, & aliorum malignitatem patientia vincere.

MEDITATIO XIV.

De electione 12. Apostolorum. Matth. Luc. 6.

I. CVM *Iesus in oratione pernoctasset in monte, vocauit ad se discipulos, & ex eis elegit duodecim, quos & Apostolos nominauit* Considera, CHRISTVM digressum a suis in solitarium locum precandi causa, totamque noctem in precibus consumpsisse, non quod ipse indigeret hac prepa-

ratio-

ratione ad electionem Apostolorum; sed vtnos doceret exemplo suo, cum pro rebus magnis serio orādum est, vt digrediamur ab hominum turba, & in oratione perseueremus. 2. considera, in monte electos Apostolos, vt intelligerent, qui alijs præesse, eosque docere volunt, debere rerum cœlestium scientia, & vitæ sanctitate aliis præeminere, & alienissimos esse à cupiditate rerum terrenarum, opum, honorum, & voluptatum huius mundi. 3. considera, vocatos esse Apostolos, id est, missos, nuncios, tabellarios, vt nomine ipso admonerentur humilitatis & obedientiæ, ac cogitarent quicquid essent, quicquid possent, se non suis viribus, sua sapientia, suoque merito, sed sola gratia Dei & volūtate adiutos præstare.

Et præcepit eis, ne in via tollerent virgam 2.
peram, panem, æs, nec duas tunicas haberent, & irent calceati sandaliis. Considera, quomodo mittat Apostolos prædicatum, instar pauperum viatorum, prohibens ne secum ferrent quicquam superuacaneum, sed tantum necessaria; quo omni cura terrena soluti liberius inuigilarent officio prædicationis. In-

cedebant quidem pannosi, sed caritate gregié vestiti; vacui nummis, diuina autem virtute pleni; destituti adminiculo baculi, sed firma fiducia nixi. atque ita conueniebat, vt qui aliis prædicaturi erant de contemptu mundi, ipsi iam ante eum contemplissent. 2. Considera, si sis religiosus, quomodo Christus eorum quos in Apostolos assumpsit virtutem probarit: vt non mireris, in religionis ingressu vnum vel plures annos probationis institutos, quibus solent tyrones in humilibus quibusque officijs exerceri, quo solidum fundamentum perfectionis Christianæ in humilitate iaciant. Sicut enim habitus virtutum non acquirũtur, nisi crebris actibus, teste Philosopho, ita humilitas religiosa non acquiritur, nisi crebro & diuturno exercitio, vt ait Sanctus Bernardus[ep.87], humiliationis.

3. *Ecce ego mitto vos, ait, sicut oues in medio luporum. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete autem ab hominibus.* Considera, etiamsi terrere potuerit Apostolos talis missio, qua prædicerent lupis, tamen contra magno solatio illis fuisse, quod mitterentur ab eo qui defenderet eos à lupis, sed etiam vi-

tutem dediſſet conuertendi immanes lupos, in manſuetos agnos. Monet vero eos, vt ex parte ſua ſint prudentes, vt ſerpẽtes, qui ad voces incantantium aures occludunt, hoc eſt, ne ſinant ſe decipi hoſtium blanditiis; Et ad caput tuendum exponunt totum corpus, id eſt, vt ſinãt potius totum corpus diſcerpi, quam fidem & ſalutem animæ eripi: Deinde monet, vt ſimplices ſint, ſicut columbæ, hoc eſt, patientes, & malum malo non reddant, ſed potius bonum. Secundò. Conſidera, quod monet cauendum eſſe ab hominibus, hoc eſt, proſpiciendum, cum quibus agant, quia ſæpe inimici domeſtici eius, & nonnunquam homo nequam malitiam cuiuſuis ferocis beſtiæ, imò & dæmonis ſuperat; tum quia lædit eos etiã, à quo nullo modo eſt læſus, ſed beneficiis affectus, tum quia nocet etiam iuſtis & innocentibus, quos dæmon accedere non audet. *Matt.* 10.

(..)

MEDI-

MEDITATIO XV.

De ambulatione Christi super aquas. Matt. 14. Marc. 6. Ioan. 6.

1. CVM *Apostoli in mari ob ventum contrarium iactarentur, Iesus in terra stans, & videns eos laborantes in remigando, venit ad eos supra mare.* Considera mare, esse circumsum mortalis vitæ, in quo omnes nauigamus. Venti contrarij sunt inordinatæ concupiscentiæ nostræ & desideria, quæ militant, teste sancto Iacobo, *in membris nostris.* Caro enim assiduè pugnat cõtra spiritum. Contra hos ventos cum Apostolis remigandum est alacriter. Deus non deerit conatibus. CHRISTVS in littore stabit, qui respicere solet, non in eos qui suauiter viuunt, & manibus stant complicatis, sed qui sibi imperantes prauorum desideriorum fluctibus resistunt. O quam suauis est labor ei, q̃ cogitat oculos Christi in se intentos, & paratam habere perseuerante in finem immortalem coronam; Secundò. considera, CHRISTVM cùm discipuli tota nocte laborassent in mari, tandem ambulasse super mare versus il-

Iac. 4. *Gal.* 5.

sus illos, cũ amplius ventis obluctari nequirent, vt discerемus, non statim animum despondere, cum aliqua aduersitate conuertimur, nam licet Deus ad bre. ue tempus differat auxilium, vt nostram probet fiduciam & patientiam, tamen tandem præsenti ope moram suam compensat.

Cum IESVS *iam esset proximus naui, & velitque præterire, Apostoli putarunt phantasma esse, præmetu clamantes. Et mox* IESVS, *Habete fiduciam, ego sum.* Considera, CHRISTVM potuisse discipulis propitios largiri vẽtos, sed noluisse, ne tempori potius, quã diuinæ virtuti attribuerent. Voluit eos agitari fluctibus, vt probaret quãrum suis viribus possent. Voluit tota nocte laborare, & non progredi, vt scirent se sine gratia Christi nihil posse. Voluit terreri viso, quasi à dæmone submergẽdi essent, vt diuinũ inuocarent auxilium, quo inuocato mox CHRISTVS iussit eos non timere dicens. Ego sum magister, saluator, Deus vester. Vnde summam consolationem accepere, vt discas nũquam desperare, quia dum pericula ad summum peruenere, diuinũ præsto est auxiliũ. 2. cõsidera, ingeniũ huius mũdi ẽẽ, res diuinas, & ope- 2.

& operū bonorū exercitia reputare phā-
taſtica, & hypocritica, cum tamen in ijs
omnis ſalus noſtra ſit repoſita.

3. *Tum Petrus. Domine, ſi tues, iube me ad te venire ſuper aquas. At ipſe ait. Veni. It mergi incipiens, clamauit. Domine ſalua me fac. Tum* IESVS *manu eum apprehendens Modica, ait, fidei, quare dubitaſti? Et naui ingreſſo ceſſauit ventus, & nauis venerat ad terram.* Conſidera eximiam Petri fidem, quod crediderit ſe quoque virtute Chriſti poſſe ambulare ſuper aquas. deinde eximiam caritatē, quod expectare non potuerit, donec Chriſtus ad ſe veniſſet. In vero enim amore nulla eſt mora, nulla aduerſitatū formido, donec fruatur amato. 2. conſidera, nihilominus Chriſtum permiſiſſe ſubmergi Petrum, tum vt occultē eum moneret, talia non eſſe ordinariē a Deo petenda, quæ omnes vires humanas ſuperant, ne videamur curioſi: tum vt oſtenderet fidem eius non fuiſſe omnino parte perfectam, & ſic humilitatē coleret. 3. cōſidera, Chriſto in nauē recepto ceſſaſſe omnes vētos & fluctus, quādo enim in timē intra Eccleſiæ nauim fide & caritate coniuncti ſumus Chriſto, ilico omnes tētationū diabolicarū vēti cōcidūt, omnes aduer-

aduersitatum fluctus franguntur, vel certè sine animi perturbatione tolerantur, non secus quam si ad terram applicuissemus, & in portu versaremur.

MEDITATIO XVI.

De Transfiguratione Domini. Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9.

IESVS *assumpsit Petrum, Iacobum & Ioannem in montem excelsum, vt oraret.* L. Considera vitę æternę pulchritudinē non capi, nec veram Spiritus sancti consolationem accipi, nisi ab iis, qui vehementer amant cum his tribus Apostolis Christum, eiusque doctrinam; deinde mōtem mortificationis, aliarum que arduarum virtutum ascendunt, ac solitudinem diligunt, hoc est, soli Deo, non mundo placere conantur. 2. considera, mirabile Dei artificium, quo conatur nos ad vitæ æternę desideriū, & rerum terrenarum contemptū accendere: nempe corporis glorioſi splendorem ostendit, vt cogites, tum quanta sit futura animæ gloria, tum ne refugias carnem cum anima exemplo Christi in hac vita crucifigere. Non *enim condignæ sunt* Ro. 8. *huius vitæ passiones*, teste Apostolo, *ad futuram gloriam.*

2. *Transfiguratus est ante eos, & facies ut sol. vestes autem eius, sicut nix, splenduere. Et apparuere Moses & Elias loquentes de excessu eius.* Considera Christum inter orãdum in monte esse transfiguratũ, sicut & olim Moysis facies post sermonẽ cum Deo habitum mirè resplenduit, vt discamus nullare magis illustrari animã luce gratiæ aliorumq; donorũ spiritualium ac beneficiorũ feruẽtis orationis, vel colloquii cũ Deo. 2 cõsidera, quanto gaudio exilierint Moses & Elias, quod viderent Dominũ in carne præsentem, quem tamdiu expectarant, & quidem tanta maiestate refulgentem, secumq; loquentem de excessu suo, id est, passione & resurrectione, ipsorumq; liberatione 3. perpende Dominum in summa illa gloria miscentem tamẽ sermonem de re tam tristi, tum vt indicaret quanto desiderio patiẽdi teneretur, tum vt nos doceret vt *in die bonorum*, iuxta Sapientem, *nonsimus immemores malorum*, rebusque prosperé fluentibus, expectemus & aduersa.

Eccl. 1.

3. *Tum Petrus ad Iesum. Bonum est, inquit, nos hic esse. Faciamus tria tabernacula. Et ecce nubes lucida obumbrauit eos, & vox audita de cœlo. Hic est filius meus dilectus, &c, Apostoli in faciem cecidere, quos erigens*

Iesus

IESVS. *ait. Nolite timere, & tacere, quæ viderant, iussit.* Considera, Petrum cum guttulam delitiarum gloriæ æternę degustasset; mox huius mundi voluptates fastidisse, cœlestis enim consolatio, facit hominē esse extra se, & voluptatum mundanarum obliuisci. Vnde disce & tu de futura felicitate animi & corporis cogitare, & facile mundi illecebras, & carnis commoda despicies, dicesq; si religiosus fis vel pię congregationi adscriptus. *Bonum est nos hic esse*, hoc est in cœtu, vbi occasio est contemplandi res diuinas, & multa bona operā exercendi, animamq; saluandi. 2. Considera in hoc admirando mysterio totam S. Trinitatem apparuisse. Nam Patris persona declarata est *voce*. Filii vero in carne, Spiritus sancti autem in forma splendidæ nubis, quia ille est, qui nos diuinarum cōsolationum rore semper irrigat, & cœlestium donorum imbre perfundit. 3. considera Christum Apostolis mandasse, ne cuiquam ante mortem suam hanc visionem patefacerent, vt discas ea quæ ad honorē & gloriam nominis tui pertinent potius supprimere, quam p. re palare multis.

MEDITATIO XVII.

De Lunatico ſanato. Marc. 9. Matt. 17. Luc. 9.

1. CHRISTO, *de monte Thabor deſcendenti, quidam genibus prouolutus obtulit filium lunaticum, quem ſpiritus allidebat dicens, diſcipulos non potuiſſe illum eiicere.* Conſidera Chriſtum poſt tantam transfigurationis gloriam non dignitatum iterũ cõuerſari cum ſimplici turba, ægris, & energumenis curationis cauſa adductis, vt diſcamus, etiamſi excellamus magnis naturæ & gratiæ donis, demittere nos etiam ad informandos homines rudes & pauperes, imò & peccatores, ac quotquot infirmi ſunt ſpiritu. 2. conſidera, tunc nos eſſe lunaticos, cum variis animi perturbationibus nos agitari ſinimus, casq; non domamus, ac ita Deo nõ ſolum, ſed hominibus etiam reddimus exoſos, ac tandem eo peruenimus, vt nec diſcipulorũ Chriſti, hoc eſt, Præceptorum & patrum ſpiritualium monita audiamus.

2. *Cum vidiſſet eum* IESVS, *ſtatim à ſpiritu eliſus in terram ſpumabat. Tum Pater. Si quid potes, adiuua nos. Et* IESVS. *Si potes credere, omnia ſunt poſſibilia credenti. Tum*

ille. Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Et IESVS *iussit spiritum exire, nec regredi.* Cõsidera, hominem non solere tentationibus agitari, quando vitam solutam ducit secundum voluntatẽ dæmonis, sed dũ conatur se ab eius imperio abducere, & ad Christum per vitam piam redire. Vnde sapiens dixit. *Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Eccl. 2. 2. considera, quod dæmon miserum hunc adolescẽtem primo deiecerit in terram: tum variis modis afflixerit; Hoc enim præcipuũ dæmonis munus est, vt hominem per peccatum etiam vnicum lethale in terram deiiciat: nam semel prolapsum facile deinde in alia præcipitat. 3. considera Christum mãdasse dæmoni, non modo vt exiret, sed etiam, ne rediret, vt indicet peccatorem tum perfecte resipiscere, quando non solum pristina peccata deserit, verum etiam in eadẽ non relabitur, vnde qui facile redeunt ad vomitum, declarant se non habuisse perfectam contritionem.

IESVS *tenens manum, eleuauit sanatum, & surrexit. Discipulis autem secreto rogantibus, cur non potuissent eiicere spiritum, respondit, propter incredulitatem vestram, &* 3.

quia hoc genus oratione & ieiunio tantum ejiciquent. Considera sanatum manu elevatum, vt intelligeret peccator, in manu sua quidem esse labi, & peccare, sed non insurgere à peccato, si absit Dei gratia: deinde vt sciret se postquam peccata euomuit non debere ociari, sed in sanctis operibus se exercere. 2. considera, Christum non reprehendisse palam, sed secretò discipulos suos; cum enim essent futuri aliorum magistri, non cõueniebat eorũ imperfectiones populo esse notas vnde discimus, opportuno tempore & loco arguendas esse quasdam personas: & non semper publicè. 3 considera quoniam non potuit ipse ritus ille fugari, nisi acriori remedio orationis & ieiunii, non nunquam adeò expanda quædam vitia, vt quæ sunt consuetudine corroborata, opus esse asperioribus pœnitentiæ remediis, vt ieiuniis crebris, ciliciis, disciplinis, confessione & cõmunione,

MEDITATIO XVIII.
De muliere adultera, Ioan. 8.

IESVS *rogatus à Pharisæis, sit ne mulier adultera secundum legem lapidanda.* cùm

clinauit se digito scribens in terra. Considera tantam fuisse Christi misericordiam in peccatores, vt inde pharisæi calumniandi ansam quæsierint: vt discas fiduciam in Christo ponere certus de remissione peccatorum, licet grauia sint, & in lege graui pœna mulctentur, modò ad cor redeas: si autem homini fidas, ille te coram DEO & hominibus accusabit. 2. Considera, cur Iesus distulerit responsum, nempe vt Principes & iudices discant, audita accusatione prius causam, & circumstantias eius expendere, ne iniustam sententiam proferant: deinde, vt quando nos audimus aliquem lapsum, non mox eum apud alios condemnemus, sed potius excusemus, cogitantes nos quoque fragiles & è terra fictos, posseque labi. 3. Considera, non debere nos refugere etiam humiles actus & ritus, licet videntur inciuiles quando possumus ea re proximo prodesse.

Cum isti pergerent quærere, IESVS *erexit se dicens: Qui sine peccato est, primus in illum lapidem mittat, & iterum in terra scribit, & mox alius post alium discessit.* Considera, hoc dicto Christi nos moneri, ne facile malè loquamur vel iudicemus de proxi-

ximo, sed consideremus imperfectiones nostras: Quantumcũque enim homo sanctus sit, semper, si bene conscientiam examinet, & digito discussionis interra conscribat, inueniet quod in se reprehendat, nec facile lapidem in alios emittet. 2. Considera, sicut adultera ab omnibus condemnata est, antequã sisteretur Christo, ita vero præsente omnes se subduxere: sic nos quando manemus in peccato, à dæmone & propria conscientia condemnamur, ubi vero per confessionem humiliati nos subiecerimus Christo, absoluimur. 3. Considera, Christum denuo se inclinasse in terram, ne magis eos, si diutius respexisset, pudefaceret, & liberius se inde subducerent: vt discas, cum quis tua monitione satis est pudefactus, non amplius instare.

℣. *Tum erigens se* IESVS *ait. Mulier, nemo te condemnauit? Respondit, nemo. Tum ille, nec ego te condemnabo. Vade, & iam amplius noli peccare.* Considera, quanti fecerit Christus ordinariam superiorũ potestatem: nec enim mulierem ante absolutam, quam intellexerit, eam á nullo condemnatam: quo discas nunquam aliquẽ ab amore vel obedientia superiorum abducere. 2. cõsidera clementiam Christi, quod nullo pro-

lo probroso nomine adulterã appellarit, sed mulierem, indicans sexus fragilitatem cum tamen ipse solus hoc peccato offensus esset, sicut peccato Dauidis, qui dixit. *Tibi soli peccaui*: gratior enim est Deo maximus peccator pœnitẽs, quam superbus, qui sibi videtur iustus. 3. considera Christum non absoluisse eam, nisi postquam locuta est: vult enim vt ex parte nostra quoque cooperemur, confitendo peccata nostra, & laudes diuinas prædicando. Deinde parum admodum ab ea postulare, nempe vt deinceps non delinqueret. *Ps. 50.*

MEDITATIO XIX.

De cæco nato. Ioan. 9.

CHRISTVS *cum cæcum natum vidisset & discipulis quærentibus, an ob peccata sua, vel parentum ita natus esset, respondisset, id factum ad manifestandum opera Dei, luto ex sputo facto liniuit eius oculos, & lauare in natatorio Siloe iussit.* Considera, Christum vidisse cæcum non otiosè & frustra, sed vt eius miseriæ opem ferret: vt disceremus, non satis esse cognoscere proximi ęrumnas, nisi etiam operã demus, vt ab illis liberetur. 2. considera modum, quo curauit 1.

rauit cæcum. 1. eum respexit. 2. lutum imposuit oculis. 3. ad fontem misit, sic tria peccatori facienda sunt, vt Deo reconcilietur. Primo enim opus habet auxilio diuinæ gratiæ vt resurgat. 2. agnoscere debet fœditatem peccati per confessionem. 3. abluere illud vel per baptismum, si sit infidelis, vel per lacrymas contritionis, si sit fidelis, relapsus.

2. *Cæcus post visum receptũ sæpiusà Phariseis rogatus quomodo vidisset, cum constanter respondisset, à Christo id factũ, eiectus est ex synagoga.* Considera cęcum nunquã in lõga cõtentione hac verbum vllum defendẽdi sui causa effutiuisse, sed magno zelo Christi patrociniũ suscepisse, cõtempto honoris suipericulo: vt doceret nos, iniurias nobis illatas non magnifacere, illatas verò Deo nullo modo tolerare. 2. considera, cũ synagoga pulsum, quod nomẽ Christi tueretur, vt intelligas, simulatque inceperis seruire Deo mundum tibi fore contrarium, & te ex sua societate exturbaturum, Christum autem te non deserturum.

3. IESVS *cæco iam foras eiecto, dixit Tu credis in filium Dei? Tum ille. Quis es Domine; Et* IESVS? *Ego sum. Tum ille: Credo Domine, & procidens adorauit eum.* Consi-

dera

dera IESVM ideo manifestasse apertè se esse filium DEI, (quod & Samaritanæ fecerat,) vt doceret omnes pios, qui magnas afflictiones propter Christū subeunt longe Christo esse cariores, & ideo plura & maiora beneficia Christum illis conferre, quam aliis qui earū sunt expertes 2. Considera Christum quæsiuisse cæcum, & tandem inuentum rogasse, num crederet in filium DEI? vt discas, DEVM ne minimum quidem opus nostrum bonum irremuneratum relinquere, sed statim gratiā suam nobis offerre, vt ad perfectionem vitæ Christianæ perueniamus sed quia nostram cooperationē requirit, idcirco quærit à cæco, an credat in se. Et quia verè & perfectè credidit, ideo & opere mox declarauit, adorando illum.

MEDITATIO XX

De adolescente diuite. Matt. 19. Marc. 10. Luc. 18.

CHRISTVS *adolescenti roganti, vt posset saluari, respondit. Serua mandata, vnum autem addidisset, si vellet perfectus esse, bona sua daret pauperibus, abiit tristis.* 1.

Consi-

Considera Christum primo iuueni recitasse præcepta 2 tabulæ, deinde consilia, vt doceret nos, si ad perfectionem vitæ Christianę cõtendamus, opus esse, vt primum nos exerceamus in operibus ad caritatem proximi spectãtibus, quæ sunt propriæ vitæ actiuæ. Deinde, vt intelligeremus non nõ esse semper securos de salute, si præcepta seruemus, quæ iuuenis ille seruarat: & ideo contendere debere ad maiorẽ perfectionẽ, ac longius in cursu virtutis progredi, exemplo sagittariorum, qui vt scopum valde remotum attingãt, arcũ paulo altius attollunt. 2. considera, hunc iuuenẽ, licet magno desiderio salutis teneretur (nam flexis genibus petiit instru)tamen, vbi de opibus deserendis mentio facta est, resiliisse, id enim multis aliis piis & deuotis contingit, qui vbi prospere illis omnia fluunt, nec quicquã aduersi in honore, & corporis cõmodis patiuntur, strenue Deo seruiunt, at vbi pati aliquid cœperint, ab amore proprio victi, langueſcunt,

2. *Tunc* IESVS. *Quam difficile est diuitem introire in regnum Dei. Facilius est camelum per foramen acus transire. Tum discipuli Quis ergo poterit saluus esse? Et Christus. Impossibile est apud homines, sed non apud*

DEVM

DIVM. Considera mirandam hominum cæcitatem, qui cum sciant non à Salomone, sed æterna Dei sapientia hanc prolatam de diuite sententiam, inhiando opibus, in tam apertum salutis discrimen se coniiciant. De diuite epulone, certe Scriptura nullam aliam damnationis affert causam, quam quod habuerit multa bona in vita sua. *Fili*, ait Abraham, *recordare, quia recepisti multa bona in vita tua, & ideo nunc cruciaris* 2. considera, cur Christus dicat impossibile esse apud homines, vt diues saluetur. nempe quia generatim loquendo omnes homines *auaritiæ fere student à minore vsque ad maiorem*, vt prophetæ loquuntur, & loquitur Apostolus, *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ* IESV CHRISTI. Deinde, quia qui *volunt diuites fieri*, eodem teste, *incidunt in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem.* Apud Deum autem possunt salui fieri, qui diuina gratia munitinon student auaritiæ, & amicos faciunt de mammona iniquitatis pauperes.

Luc. 16. Is. 56. Ier. 6. Phil. 2. 1. Tim. 6.

Et Petrus. Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis? Cui Christus. Sedebitis mecum super sedes 12. *iudicãtes tribus Israhel:* 3.

imõ

imò quotquot reliquerunt omnia, propter me centuplum accipiēt hic, & postea vitā æternā.

3. CONSITERA, cur cum Petrus & alii Apostoli tam pauca reliquerint, nempe pauperes piscatores, tamen tam magnū cum præmium Christus illis promittat. Nempe quia non solū facultates suas, parentes, amicos & patriam reliquerant propter regnum Dei sed etiam affectum ad illa, ac cupiditatem plura habendi, deinde reliquerant seipsos, suamque volūtatem, eam subiicientes alterius voluntati & obedientiæ. Et ideo voluit Dominus eos quoque esse de mercede securos, vt qui in die iudicii essent secum futuri iudices totius mundi. Considera, quā conueniens fuerit eos esse aliorum iudices, qui tam boni fuerunt iudices sui ipsius, & verorum bonorum, vt qui scirēt paupertatem opibus, crucem voluptatibus seculi anteponendam, maximè autē debebant esse iudices tribuum Israhel, id est, iniquorum iudices in Iudæa, à quibus Apostoli erant iniuriè flagellati, & omni dedecori effecti; considera, secundum responsum Christi in omnes fideles quadrās, esse illud, quod toti mundo persuasit contemptum mundi, quod compleuit monachis deserta, & monaste-

nasteria, quod omnes docuit vim inferre sibi & regno cœlorum Hi enim sunt, qui pro desertis voluptatibus seculi, centuplũ illud quotidie experiuntur, id est, mille maiores voluptates spirituales, quam mundani; pro vno patre, matre, fratre, domo deserta, habent centum patres, matres, domos.

MEDITATIO XXI.

De suscitatione Lazari. Ioan. 11.

CHRISTVS, *audito nuncio de Lazari agrotatione, per biduũ substitit, vt euidentius foret miraculum.* Considera, Martham & Mariam sorores per nuncium certiores reddidisse Dominum tunc vltra Iordanem agentem, dicẽtes. *Ecce, quem amas infirmatur.* vt discas in omni aduersitate primo curare, vt recõcilieris Deo, ne forte peccata tua causã dederint morbo. deinde vti oratione plena resignationis vt est ista; qua nihil petas, sed omnia Deo cõmittas, dicẽdo. *Ecce quem amas, patitur hoc vel illud;* Quod enim me ames, certissimis indiciis scio ex sanguine pro me fuso, aliisq; beneficiis mihi collatis. 2. Considera, cur Christus biduum in eodem loco moretur cum tanto optimarũ sororum dolore, & sinat 1.

& sinat Lazarum mori. Nempe, vt ostenderet maiorem erga eas amorẽ. *Quos enim amo*, ait alicubi, *arguo, & castigo*. Suscitatione enim Lazari quatriduani factum est, vt & ipsarum corda, discipulorumque & aliorum magis in fide confirmarentur, & Dei gloria per tam fidos & amicos testes vbique prædicaretur, ac imprimis vt dum Iudęorum pectora magnitudine miraculi tandẽ frangerentur. Vide quomodo Christus non aliud quærat in suis operibus, quam Dei gloriam, & nostram salutem.

Apoc. 3.

2. *Ait Christus discipulis. Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum. Martha & Maria Magdalena occurrunt Christo venienti, & dicunt. Domine, si fuisses hic, frater non fuisset mortuus.* Considera, quod Lazarum amicum suum Christus dicat dormire, cũ iam esset mortuus, quia amici Dei propriè non moriuntur, sed dormiunt tantum; tum Deo, quia ei tam facile est ad vitam illos reuocare, quã dormientem excitare; tum ipsis, quia iustis mors est ianua ad vitam ęternã, & perpetuam quietem. 2. Considera mulierem currere ad Christum pro antidoto contra mortem, quia congruebat mulierem primum accurrere ad clementissimũ redemptorem,

ptorẽ, quæ primo aures præbuerat pessimo seductori; primam exorare vitam, quæ prima adsciuerat mortem. Deinde perpende, licet fides eorum non fuerit perfecta (quia putarũt Lazarum non potuisse sanari à Christo absente) tamen eas recte dicere, Lazarum non fuisse moriturum, si adfuisset: quia vbi est vita, nequit esse mors, vnde & dixit. *Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me, etsi mortuus fuerit, viuet.* Quibus verbis mota Martha dixit. *Ego credidi, quia es filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.*

CHRISTVS *collacrymans, oratione fa-* 3.
ta, cum lapidem iussisset amoueri, clamauit, Lazare veni foras, excitatumq; solui iussit.

Considera CHRISTVM Mariæ & Iudæorum lacrymis commotum, infremuisse & voluntariè turbasse seipsum, vt discamus aliorum afflictionibus compati ex caritate. 2. lacrymasse, ad docendum nos, quod flere debeamus, & pro nobis quia omnes sumus peccatores, per Lazarum significati, & pro miseriis spiritalibus proximorũ, maximè si sint mortui coram Deo. 3. iussisse, moueri lapidem à sepulcro, quia nihil æquè impedit verã resurrectionem à peccato, ac obduratum cor in peccando.

4. eleuasse oculos in cœlum, vt discamus in ærumnis non fidere meritis nostris, sed confugere ad Deum. 5. clamasse, vt concionibus & inspirationibus diuinis pareamus. 6. iussisse solui vincula, vt per confessionem peccatorum absolutionem à peccatis quæramus apud Apostolorũ successores sacerdotes. 7. iussisse Lazarum abire, vt post acceptam peccatorum remissionẽ, sobriè, piè, & iustè vitam instituamus.

MEDITATIO XXII.

De filio prodigo. Luc. 15.

1. PRODIGVS *extorta portione substantiæ, in regionem longinquam abiit, eamq; dissipauit viuendo luxuriosè.* Considera prodigum esse peccatorem, vel in vocatione sua deficientem, qui portionẽ substantiæ postulat, cũ quærit libertatem, & vult sui esse iuris. Dicitur autem portio, quia omnis huius mundi libertas, vel voluptas exigua est, si ad æternam gratiæ & gloriæ substantiam conferatur. 2. in regionem longinquam abiit, qua homo terrenis deditus & suo arbitrio viuens. nõ diu potest esse sine peccato mortali, & sic separat se à Deo, à domo paterna, ac aliquando vocationem suã deserit, eoq; peruenit, vt nõ possit pa-

loqua-

loquentes audire. 3. dissipat portionẽ suã, hoc est, gratia Dei spoliatur, virtutibus, & donis spiritualibus, ac etiam bonis tẽporalibus, vt non habeat quod comedat, & quo induatur, ac demũ turpissimis peccatis se dedat, mẽteq; & corpore corrũpatur.

Fame valida coorta factus subulcus cupiebat vẽtrem implere porcorum siliquis, & nemo ei dabat. Et reuersus in se ait. Ibo ad patrem dicens Pater peccaui in cœlum & coram te. Cõsidera peccatorem valida fame premi, cum auulsus est à Deo patre, qui solus animam satiare potest, solus quietam & tranquillam reddere conscientiam. Pascere autem porcos, (quorũ est in cœno volutari, & oculos nũquam in cœlum erigere) quãdo it post concupiscẽtias suas, passionibus suis obsequitur, & omne respuit aliorum imperium & obedientiam, nulli quoq; rei inhiat, nisi honori suo, & voluptati, beneficiorũ Dei immemor, orationis, confessionis & bonorum operũ. Cui peccatori id etiam contingit tãdem, vt & ab aliis contemnatur, & nunquam voluptatibus, quas quærit, frui vel expleri possit 2. Considera, sicut peccator in peccatis hærens se porcum facit & bestiam, sic quando cogitat de emendatione, redit ad

se, & fit iterum homo; dum adiuuante diuina gratia primũ aperit oculos & agnoscit miseriam vilitatemque suam. deinde dolet de petulantia sua, ac concepta fiducia de paterna Dei clementia surgit, & in viam se dat pœnitentiæ, ac procidens in terram peccata sacerdoti confitetur.

31 *Pater autem videns redeuntem à longe, accurrit, & osculatus eum iussit ei reddi stolam primam, annulum, calceos, & conuiuia parari in gratulationem.* Considera Dei Patris benignitatẽ, qui statim ad peccatoris conuersionem se conuertit, etiamsi lõgè absit, id est, nondum plenam contritionẽ de peccatis habeat, nouo auxilio occurrit, signa caritatis ostendit, osculatur, peccatorem sibi coniungit, primam iustitiæ stolam facile reddit, annulo caritatis eũdem sibi desponsat, virtutibus tãquam calceamentis ornat, & mirabili consolatione quasi conuiuio reficit, angelos omnesq; Sanctos in cœlo inuitat ad illud, vt gaudeant super vno peccatore pœnitentiam agente. 2. considera, sæpe illos qui in magnis peccatis fuerunt, maiori caritate in Deum ferri, quam qui nũquam in grauia peccata sunt lapsi, vt non desperes si aliquando grauiter peccasti.

MEDI-

MEDITATIO XXIII.

De cœna apud Bethaniam. Matt. 26.

CHRISTVS *in domo Simonis leprosi cænabat, & pariter Lazarus, Martha autem ministrabat.* Considera quãto solatio fuerit hæc cæna sex diebus ante passionẽ instituta tum Christo, tum aliis conuiuis. Christo, quod cænaret in cœtu suorũ dilectorũ, à quibus sciebat se amore maximo, non in domum modo, sed etiam cor receptum. Aliis verò, quod summopere gauderent, se pro beneficiis ab eo acceptis posse aliquod grati animi signum ostẽdere. Hospes enim Simon à lepra curatus fuerat. Lazarus vitæ restitutus. Magdalenæ ex sordibus peccatorũ extracta. Martha priuilegium Christum hospitio excipiendi, eique ministrãdi acceperat. Vnde & nunc in aliena domo ministrauit. 2. cõsidera, cur Lazarus, vt fertur, post suscitationem suam nunquam riserit, vel aliud lætitiæ signũ dederit. nempe tri mirabatur. 1. horrendum Dei iudiciũ & alterius vitæ supplicia improbis parata. 2. quod Deus ex tanta maiestate in tantam vilitatem ob salutẽ hominis se demiserit. 3. cæcitatem & ingratitudinem hominum tã-

ti beneficii magnitudinem non æstiman-
tium, nec futurum iudicium metuentiũ.

2. *Maria fracto alabastro vnguentum effu-
dit super caput Christi, eiusq; vnxit pedes
& capillis tersit, & impleta est domus ódo-
vnguenti.* Cõsidera officium Mariæ tanto
gratius fuisse Christo, quanto amor eius
longius excedebat aliorum amorem. Ala-
bastrum enim illud non erat nisi cor eius
amore diuino flagrans; fractio vero nil ni-
si amoris impatientia in corde bullientis,
nil nisi liberalis oblatio, qua non solum
totum suum amorem effunderet Christo,
sed & cor suũ, quo tanquam vase ille cõ-
nebatur. 2. considera, vnguentum fuisse
pretiosum, quia Deo offerenda sunt quæ
sunt pretiosissima. Eo autem vngimus ca-
put Christi, cum omnia opera nostra diri-
gimus ad gloriam Dei; pedes vero, cum
nostram, & proximorum salutem iisdem
synceræ quærimus. 3. considera, odore vn-
guenti totam domum impletam, nempe
Ecclesiam, quia generosum hoc Magdal.
factum vbique hactenus in ea celebratum
est & celebrabitur; vt discas magni face-
re opera caritatis & humilitatis, quæ tam
bonum odorem vbique relinquunt.

3. *Cum obmurmuraret Iudas. Vt quid per-*
ditio

ditis hac? respondit CHRISTVS. *Quid molesti estis huic mulieri? Bonum enim opus operata est in me.* Considera opera bona, quo præstantiora sunt, hoc nonnunquam calumniis magis esse obnoxia, etiam apud bonos, qui zelo quidem bono, sed non secundum scientiam ea carpunt. sed non idcò à seruis Dei omittenda sunt, modo bona intentione ad maiorem gloriam Dei, & salutem animarum exerceantur. Fieri enim non potest, vt in omnibus semper hominibus simul & Deo placeamus. 2. considera reprehensum à Christo Iudam, & alios discipulos, quod putarent consultius potuisse pretium vnguenti dari pauperibus nã misericordiam in pauperes alibi sæpe laudarat. vt discas, sicut arguendi non sunt qui bona sua erogant in pauperes, ita nec arguendos, qui erogant in honorem Christi, pro extruendis Ecclesiis vel monasteriis, & vnum bonum opus alteri posse præferri, neutrum tamen reprehendi.

MEDITATIO XXIV.

De ficu arefacta, & altera eiectione vendentium è templo. Luc. 19. Matth. 21. Marc. 11. Ioan. 11.

1. CHRISTVS *manè è Bethania exiens esuriit, & conspecta ficu habente solùm ne fructibus, (non enim erat tempus ficorum) maledixit eam, & mox exaruit.* Considera Dominũ illum, qui in cœlo pascit omnes beatos spiritus, & in terra omni animę viuenti prouidet cibũ in tempore, ideo manè esurire, quia nullo pridie sumpto cibo pernoctarat in oratione, pro cæcitate Iudæorum & tua curanda solicitus. 2. considera, cum fame cõpulsum adire ficum, si forte ad sedandam famem in ea fructum reperiret, & quia nihil reperit maledictam fuisse. vt discas tibi idem accidere posse, si solis bonorum desideriorum, & propositorum parum firmorũ foliis onustus inueniaris; quod fiet, si instar ficus istius propinquus maneas viæ publicæ, id est, vitæ laxæ & mundanæ. 3. considera, cur cum non fuerit tempus ficorũ, tamẽ ficus maledicta sit, nempe quia ira Domini non in illam arborem, sed in Synagogam Iudęorum

rum, & in omnes obstinatos in peccatis ferebatur, quibus semper tempus est, faciendi fructus bonos pœnitentiæ Hac fame cruciabatur CHRISTVS, vt passionis suæ merito videret obstinata nostra corda molliri & conuerti; simul indicans, si tantam gratiam repellamus, fore, vt prorsus deseramur, sicut & Iudæi verè deserti sunt.

Et veniens Hierosolymam, cum introisset templum cœpit eiicere omnes vendentes & ementes è templo dicens. Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum, Considera. morem fuisse Christi, quoties Hierosolymam veniret, primum adire tẽplum, vt formam nobis religionis veræ præscriberet, ne ante ad alia negotia nos conuertamus, quam in templo, vel alio loco opportuno per preces nos commendauerimus Deo. 2. considera, si tam terribilem se declarauit erga materialis tẽpli profanatores, quid sit facturus contra profanatores templi spiritualis, id est, animæ nostræ, quæ est templum spiritus sancti. Nam B. Paulus ait *Qui hoc templum violauerit, disperdet illum Deus.* 3. considera, si domus Dei domus orationis est, quanta deuotione & attentione in illa precibus vacare debeas, maxi- 2. 1 Cor. 3.

mè cum Christum realiter habeamus in altari præsentem. Si enim in locis vbi reges mũdi versantur, summa seruatur modestia & silentiũ, quanta seruari debet, in præsẽtia regis regũ, creatoris cœli & terræ

3. *Et cæpit illis loqui in parabolis. & erat quotidie docens in templo, accedentes autem & claudos sanans: & vespera facta egrediebatur ex vrbe.* Considera Christum cum sciret se quæri ad necem, non tamẽ à quotidiano aditu templi, & prædicatione abstinere: vt intelligerent ipsum non refugere mortẽ, sed sponte ad eam se offerre: idcirco enim in publico loco comparebat vt facilius inueniri posset. 2. considera eum post totum diem in laboribus prædicationis & institutionis popularis cõsumptum ieiunium excedere vrbe, quia nemo erat, qui necessitati eius succurreret; vt doceret nos pro laboribus in proximi salutem expensis non exigere temporale præmium; nec quærere apud eos quietem qui proditiones machinantur; deinde nõ conuersari diu cum secularibus, sed tantum, quantum opus est, & deinde redire in Bethaniam, id est, domum obedientiæ, vbi mandata Dei seruantur. 3. considera Christum in eodem templo misericordiã

miscuisse cum seueritate, quia licet eiecerit sacrilegos, tamen cæcos & claudos sanauit, & alios in vita pia & sancta instituit.

MEDITATIONES

De Apparitionibus residuis post Resurrectionem.

MEDITATIO XXV.

De Apparitione facta B. Virgini

1.

CONSIDERA, B. Virginem instante resurrectionis hora, quã sciebat, nõ dormitasse, sed in oratione subinde verba illa ingeminasse. ***Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara*** magnoque desiderio filii sui glorioſum reditum præstolatam. Deinde summo diluculo resplenduisse repente conclaue & filium cum admirabili gloria illi astitisse, cor autem B. Virg. tãta lætitia perfusũ fuisse ex illustri aspectu, vt aliquãdiu ne verbũ quidem profari potuerit. Si enim Patriarcha Iacob accepto nũcio de filio suo Ioseph superstite vix apud se fuit, quid post tantas contumelias, dolores & cruciatus filii tanta gloria cõpẽsatos euenisse putamus B. V? 2. perpende, non

Psa. 56.

Gen. 45

non ſolum Chriſtum ei apparuiſſe, ſed etiam ſanctiſſimos quoque Patres Adamum, Abrahamũ, Dauidem alioſq; prophetas, quibus ſummũ gaudium erat oculis videre totius humani generis redemptoris matrem.

2. Conſidera, quænam fuerint colloquia filii & matris, quę arcana matri filius enarrarit; vt, quid in ædibus Pontificũ antebiduũ perpeſſus fuerit, quomodo animæ à corpore exceſſerit, quid apud inferos egerit, quantã gloriã ſit adeptus; qua narratione omnẽ mœſtitiã ſuperiorũ dierũ deterſit. 2. perpende quando gaudio affecta fuerit, cum videret gratioſiſſimũ filii vultũ ſuo candori reſtitutũ, quãdo ſenſit vultus ſui lacrymas ſacris eius manibus abſtergi, cum poteſtatẽ factã ſibi videret, vt in ſuauiſſimos diuinorũ brachiorũ rueret amplexus. Vide eam cum ſumma veneratione ad genua eius, adorandi cauſa, ſe prouoluentem, & ſanctiſſima vulnera pedum, manuum, atq; lateris cum incredibili conſolatione exoſculantem, & exclamantem. Verè fili mi *ſecundum multitudinem dolorum meorum, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Pſ. 93.

3. Considera, quid B. Virgo totis 40. diebus,

diebus, quibus filius in terris rediuiuus apparuit, egerit. Nec enim dubiũ est, quin filius qui toties apostolis, & aliis se videndum exhibuit, crebrius etiã adfuerit matri, eam multis de rebus instruxerit, & mirificè consolatus fuerit, multa de Ecclesia sua, de fidei propagatione, de martyrũ coronis, de sua & beatorum gloria, aliisque multis prædixerit: omnes deinde Christianos, quibus illam cõstituit aduocatam & patronam, illi commendarit. 2 perpende, sanctos Apostolos, & imprimis B. Ioannẽ retulisse illi quæcũque à filio, quoties apparuerat, audierint: vt de insufflato in eos spiritu sancto, de potestate peccata remittendi concessa, de Petro omnium fidelium pastore constituto. Contra verò B. Virginem, quæ ipsa audisset Apostolis communicasse, eosque consolatã fuisse, & erexisse ad perpetiẽdas fortiter omnes persecutiones nomine CHRISTI inferendas.

MEDITATIO XXVI:

De apparitione facta Mariæ Magdalenæ. Marc. 16. Ioan. 20.

PETRO *& Ioanne digressis, Maria perse-* 1.
uerauit ad monumentum foris plorans.
Considera Petrum & Ioannem, qui simul cum

cum Maria ad monumentum venerãt, timore occupatos abiisse, Mariã verò mansisse impauidã; cum enim perdidisset Magistrum super omnia dilectũ, nihil putabat supereſſe in mundo q̃ perderet, quia cum ipso & vitam & omnẽ ſpẽ ſuam perdiderat. 2. perpende, ſolam Mariam mansisse videre Chriſtũ, quia ibi perſeuerauit. Deꝰ enim nõ remunerat actiones noſtras, niſi in illis perſeueremus. 3. nota, Mariã ſtetiſſe iuxta ſepulcrũ & ploraſſe, quia vita animæ ſanctæ in hoc exilio eſt, ſẽper ſtare iuxta ſepulcrũ Chriſti conſiderando amariſſimã eius paſſionẽ, & peccata, propter q̃ Saluator mortuus eſt, deplorando.

2. *Flens ergo inclinauit ſe & proſpiciens in monumentum vidit duos angelos, dicentes. Mulier quid ploras? Et reſpondit. Tulerunt Dominũ meum, & neſcio vbi poſuerunt eum. & conuerſa retrorſum, vidit Ieſum, idem negantem.* Cõſidera Mariam nõ cum ſtare, ſed cũ inclinaret ſe in monumentũ, & introſpexiſſet, dignã factã viſione & angelorum & Domini; vt diſcas tempore orationis & cõtemplationis rerũ cœleſtium, te demittere etiam ad cõſiderationem tuarum imperfectionum & lapſuũ, ac humiliare te coram potenti manu Dei tanquã gratia

gratia indignũ, & ilico aderit angelica cõsolatio. 2. cõsidera, quãdo in oratione nõ inuenis statim Christũ, hoc est, consolationẽ spiritualẽ, te non debere ab ea desistere, sed perseuarare cũ compũctione & desiderio, auxiliũq; Sanctorum menti occurrentiũ implorare, vsq; dum cõpareat.

Putans autem Iesum, quem videbat, hortulanum esse, Domine, ait, si tu sustulisti eũ, dic mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Tum Iesus. Maria Et illa. Rabboni. Tum Iesus. Noli me tangere, nõdum enim ascendi ad patrẽ meum. 2. Cõsidera Mariã quidem Iesũ vidisse, quia amabat, sed non cognouisse, quia imperfecta erat in fide; vt discas, quãdo imperfectiones nimis multas miscemus amori nostro in Deum, fieri vt nõ magnũ gustum spiritalẽ in diuino seruitio sentiamus. 2. nota Mariã simulatq; agnouit Dominũ inconsideratè cucurrisse vt illũ amplecteretur, & ideo repulsã passam; vt discas, si quãdo ex singulari Dei gratia animus in oratione exardescat ad aliquod opus bonum faciẽdum, discretione & prudentia in eo exequẽdo vtare, & sedulo circumspicias, quid tẽpori, loco & personæ tuę vel alienę cõgruat. 3. nota, Christũ apparuisse in hortulani specie, vt discas imitari. proprietates hortulani. Eius munus est

hortũ colere, & instruere arboribus, stir-
pibus & herbis fructiferis, & hominis p-
atq; Christiani, si saluus esse velit, est hor-
tum animæ suæ colere & exornare opti-
mis spiritualis doctrinę, virtutumque do-
cumentis & exemplis.

MEDITATIO XXVII.

De apparitione facta 7. discip. piscan-tibus. Ioan. 21.

1. DISCIPVLI CHRISTI *septem cum na-*
cte piscantes nihil cepissent, & mane
littore Iesus petiisset, num pulmentarium ha-
berent, id est, pisces? respondere, nõ Conside-
eos noctu piscari, & sine fructu labora-
qui opera bona exercent in peccato mor-
tali, vel q in bonis operib⁹, nõ Dei gloriã
animarũ salutẽ, sed sua tantũ cõmoda, ve
humanam gloriã oculis propositã habẽt.
Vel qui proprio iudicio & voluntate, non
Superiorũ, nec inuocato Christi auxilio,
opus licet bonũ aggrediũtur. *Qui enim*
Lu.11. *colligit mecũ*, ait Christus, *dispergit*. 2 consi-
dera Christum Apostolis apparuisse mer-
catoris specie quasi pisces vellet emere, vt
quæstione illa factus familiarior, tãdẽ ad
miraculũ veniret. vt discãt, qui alios Chri-
sto lucrari volũt, primũ familiares miscere

sermo-

sermones de mercaturę, militiæ, negotiorũ aliorũ successu, ꝙ experti bonũ cõsiliũ meliora cõsulẽtib. deinde facilius credãt.

Ait Iesus. Mittite rete in dexteram. Faciunt, & tot capiunt, vt rete attrahi non posset. Iohannes ait: Dominus est. Petrus mox nudus in mare prosilit, alij ad littus cum reti properant naugio. Consydera mirabilem obedientiæ vim, qua effectum est, vt longe minori labore Apostoli maximum fructum fecerint. Tota enim nocte suo nutu laborantes nihil ceperant, nunc alienonitentes pisces spe omni plures & maiores. Noctu adsinistram incerant rete, quia sua tantum commoda spectabant, nunc autẽ ad dexteram, quia quod egerunt, propter Deum & Christi gloriam egerunt. 2. Consydera, Ioannẽ antealios cognouisse Christum, quia illi sunt capaciores diuinarum rerum, qui cum Ioanne mente & corpore sunt puriores, & castiores, teste Hieronymo. *Beati enim mũdo corde, quoniã ipsi Deũ videbunt.* Petrus autem nudus abijcit se in mare, quia quam primum anima gustat, quã suauis sit Dominus, eiusꝙ; iugũ, mox nudus nudum omnibus impedimẽtis abiectis Christum optat sequi, & cum eo mare tribulationum & crucis calcare, licet 2. *Ep. ad Pammach.*

alij malint trahentes rete, id est, onus temporalium bonorum, manentesque in naui id est seculo, ad littus salutis paulatim tendere.

3. *Apostolis attractis 153. piscibus in littus, vt viderunt prunis impositum piscem, Iesu ad prandium inuitatis panem & piscem distribuit.* Considera, sicut Iesus, dū illi piscatentur nutu suo, parauit eis prandium & coxit piscem, ita dum nos hic in diuino seruitio fatigamur, ipsum incœlis parare cōuiuium, quo nos excipiat, & coronas, quibus laborem nostrum remuneret. 2. cōsidera iucundum & felix hoc conuiuiū. Vide quomodo Dominus, q̄ paulo ante pro consueta humilitate sua & caritate cocum egerat, iam in prandio agat & ministrum, porrigat panem & piscē, simulq; cum illis comedat. Stabāt boni discipuli, nō audentes loqui præ reuerentia & stupore, velut oues circum pastorem, aut filij circum amantissimum patrem, tantoq; gaudio spiritu & corpore perfundebantur vt in lachrymas soluerētur: quæ nō alia de causa facta sunt, quam vt credetent verè eum resurrexisse, & post labores huius vitæ cū ad littus, id est, ad vitā æternam venerint, se remunerandos 2. considera per pruinas

ignem

ignem Spiritus sancti, per piscem assum Christum passum in veru crucis, per panē verò memoriale passionis, id est, sacram Eucharistiā designari, vt tria tibi potissimum commendata habeas in laboribus huius maris vel mundi, primum ignē spiritus sancti, id est, gratiam vel ardentē in pectore caritatem in Deum & proximum, a quo igne caritatis & Christus passus est. 2. crebram meditationem passionis Christi. 3. sequentem communionem Eucharistiæ, si ignem illum conseruare velis.

MEDITATIO XXVIII.

De Apparitione in monte Galilææ Matt. 28.

P. *VNdecim discipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat illis* IESVS, *& videntes eum adorauerunt.* Considera, hanc præcipuā fuisse Christi apparitionē, qua Christus in ea ostēdit, quāta suā passionē secuta sit gloria, & potentia, arcanū vocationē gentiū discipulis aperuit, Apostolos & Episcopos orbis eos fecit, & fūdamentū Ecclesiæ iecit: vt discas, quanto gaudio soleat præteritas afflictiones cōpēsare, quas cū Apostolis p Christo sustinueris num. 2. nota, nos verū spiritū homines cō-

uertendi accepturos, quãdo cũ Apostolis deserta valle, id est, huius seculi cõmodis ascenderimus montẽ perfectionis, & soli Christo, confixi cum eo cruci, adhæserimus.

2. *Et accedens eos Iesus dixit. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo in totum mundum, docete omnes gentes seruare mea præcepta, & baptizate, &c.* Cõsidera summam humilitatem Christi filiam glorioſi, qui cum, vt Deus omnem potentiam habuisset ab æterno, & vt homo, a primo momento cõceptionis datam habuisset, tamen ita loquitur acsi post resurrectionem prius accepisset, ad confusionem nostram, qui in omnibus rebus gloriam & honorem nostrum quærimus, & dona nobis, nõ auctori Deo ascribimus 2. cõsidera, quantũ gaudiũ obortũ sit in Apostolorũ animis, cum primũ intelligerent Christo tantam potentiam post passionẽ & resurrectionem contigisse, vt non solum ab omnibus huius vitæ infirmitatibus & incõmodis esset liber; sed tantus cœli & terræ Dominus, vt & opitulari eis possit de inceps in terra & in cœlo regnum æternũ conferre, deinde cum audirent sibi etiam candẽ quadantenus potestatem conferri, vt in-

vt nimirum toto orbe liceret Euangeliũ prędicare, peccata remittere, & omnes homines ad ſalutẽ adducere. 3. nota eos non ad quietẽ, ſed ad magnos labores vocari.

Qui crediderunt, in nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquẽtur nouis, ſerpentes tollent, ægros curabunt. Et ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Conſidera, illud eſſe vetæ fidei viuæ per caritatem operantis argumentum, ſi zelũ proximos iuuandi habeamus, vt ſi efficiamus, vt dæmonia eiiciant, id eſt, peccata per confeſſionem euomant, ſi ea loquamur quę gloriam Dei & ſalutem animarum promoueant, ſi dolos & fraudes ſerpentinas mundi auerſemur, ſi vacillantes in via fidei vel vitæ ſanctæ monitis noſtris reducamus, ſi in perſecutionibus cõſtantes in pietate permaneamus fiducia omni coniecta in Deũ, qui fidem ſuam non fallet, cũ hic promittat ſe nobiſcum futurum & quidẽ nõ ſerò ſed opportunè *Ecce* enim pręſẽs & opportunum deſignat tempus, q. d. quoties opus erit adero. *Ego* autẽ ſignificat eum, qui ex omnibus periculis liberare queat; ego ſcilicet, qui principem huius mundi, mortẽ & mundum totum iam expugnaui.

MEDITATIONES DE COMMVNI SANCTORVM.

MEDITATIO I.

De Communi Apostolorum. Matth. 9. n. Marc. 6. Luc. 6. 9.

DIE *facto Iesus vocauit ad se discipulos suos, quos voluit, & elegit duodecim ex illis, quos vocauit Apostolos.* Considera, neminem discipulorum ante vocationē ad Apostolicum munus, id est, vt mitteretur ad prædicandum obtulisse, imò Christus quendam vltro se offerentem & dicentem, *Sequar te quocunque ieris*, repudiauit. Vnde discis, neminem licet idoneū se putet, debere ingerere se in functionem alios docendi vel regendi, sed expectare donec ab iis, qui Christi vices obeunt, vo-

cetur

cetur, ne dum vano pietatis zelo quærit lucrifacere aliorum animas, perdat suam. 3. nota Apostolos à Christo vocatos in medio occupationum suarum, vt dum piscarentur, vel aliis negotiis temporalibus vacarent, vt indicaret seruitium Dei omnibus huius viet negotiis anteferēdum. Vnde habent, quod metuant, qui à Christo vocati, ob commoda temporalia, vel alios respectus humanos venire negligunt.

Et misertus turbæ iacentis instar ouium non habentium pastorem dixit. Messis mulsa, operarii autem pauci. Considera, Dominum tam paucos discipulos ad opem toti mundo ferendam elegisse, vt indicaret, licet reuera deberent esse multi prædicatores & pastores Ecclesiæ, tamē semper paucos fore veros operarios, multos autem mercenarios sua commoda quærentes. Semper enim pauci sunt, qui quærant labores, & animarum salutē, plurimi autem qui sectētur otiū, & aucupentur honores, opes, & diuitias. Quare recte dixit Christus discipulis, vt Dominum rogarent pro operariis, nempe bonis & idoneis in messem ablegandis. 2. nota, CHRISTVM vt Apostolos extolleret super omnes sanctos voluisse eos coram mundo esse contemptos,

& abiectos, & humilitati operam dare, ut metum iniiceret iis pastoribus, qui sæpe ad maiores honores & opes contenderent, ne tandem ad infimum locum detrudantur, si non in hac vita, saltem in futura.

3. *Apostolis item dixit. Nolite possidere aurum vel argentum, nec quicquam per viam portare, non sacculum, nec virgam, nec panem, neque duas tunicas.* Considera, nusquam legi Apostolos in totum orbem amandatos secum tulisse vllum cõmeatum pro sua sustentatione, imò hic eis vetitum videtur: ut intelligant serui Dei studio iuuandi animas accensi, non debere ipsos esse solicitos de victu vel amictu corporali, sed dilectare omnem fiduciam in Deum, qui nunquam est negaturus necessaria, cum ad omnes ipse dixerit. *Nolite soliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur.* 2. nota, quod Dominus, iubens quæ ad alios pertinent, mandarit, ne sumerent virgam, indicans non seuerè, & asperè, sed humaniter & benignè à pastoribus tractandas spirituales oues. nec duas tunicas, ne superfluis se onerarent, sed erogarent in pauperes.

Matt. 6.

II. PARS.

NON *vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat, vt quod petieritis patrem in nomine meo det vobis* Considera, eos quibus incumbit cura animarum, nō posse sperare laborum suorum fructum, nisi à Deo electi, & missi sunt per eos, qui Christi locum tenent, & licet putent se aliquem facere fructum, is tamen stabilis non est. Deinde, vt electi sint à Christo, nō debent tamen fructum quem colligunt, suæ industriæ tribuere, sed gratiæ Dei; si enim opem eius implorent, omnis sufficiētia eorum ex Deo est, vt loquitur Apostolus. Idq; fit vt conseruentur in humilitate, ne dum aliis prædicāt, vt idem alibi dicit, ipsi à Deo reprobentur. 15. 2. Cor. 2. 1. Cor. 6.

Si mundus vos odit scitote quia me priorem odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret. Considera, te ex his verbis posse scire, cuius partes sequaris, Deine an mundi: nam si ob cultū veræ pietatis, & vitiorum fugam, rideāris, contemnaris & grauiter ab aliis affligaris, signum est te exosum esse mundo, ac proinde electū à Christo, qui dicit tales non esse de mun-

de mundo, cum sint potius de cœlo. Contra vero, si quia conaris amicitiam cum mundo colere, amaris & honoraris ab omnibus, signum est te diligi à mundo, ac proinde vehementer dubitare, an meaeris in numero eorum, qui sunt à Christo electi. Nemo siquidem potest simul placere Deo & mundo. *Quicquid enim est in mun-*

1. Ioan. 2. *do, aut est concupiscentia carnis, aut oculorum aut superbia vitæ,* vt loquitur S. Ioannes, qui sunt tres fontes omnium malorũ, Deoq; exosi.

3. *Ecce ego mitto vos, vt oues in medio luporum. Estote ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Considera, Dominum Apostolis, & per eos omnibus Christi seruis consulere, vt in conuersatione cum hominibus imitentur simplicitatem columbinam, & prudentiam serpentinam. columba caret felle & malitia. Si pellitur, redit, si pulli ei tollantur ę nido, gignit alios in eodem. Serpens vero pro defensione capitis periculo exponit totũ corpus, sic Christi seruus, cogitare debet bene de omnibus, dicta factaque aliorum in bonã partem interpretari, malè agentibus bene facere, diligere inimicos & beneficiis eos sibi deuincire. At vbi viderit indiscre-

mati

men vocari gloriam Christi, vel animæ suę salutem: instar serpentis, non solum facultates suas temporales, sed etiam vitam, si opus sit, propriam, ad tuendum diuinum honorem, suamq; salutẽ debes exponere.

MEDITATIO II

De iisdem Apostolis.

CONSIDERA, sicut Deus olim ad frangendam Pharaonis superbiam, ei immisit non leones, vel tigrides, sed exiguas muscas, Holophernis fæminã Hebræam, Madianitarum paucos milites armatos lagenis & tubis, sic ad frangendam tyrannidem dæmonis & mundi misisse simplices & rudes piscatores, nempe, vt fructus eorum, id est, conuersio mundi tribueretur diuinæ potentiæ. sciretúrque Euangelii propagationem, non humanum sed diuinum opus fuisse. 2. vt ipsi agnoscerent se non merito suo, sed ex gratia ad Apostolicam dignitatem vocatos. 3. vt exuti curis temporalibus in prædicatione essent prõptiores, aliisque suaderent paupertatem Euangelicam. 4. vt experientia propriæ fragilitatis & ruditatis discerent, aliorum infirmitatibus compati. Secũdò, nota numerum Apostolorum præfiguratũ multo ante 1.

ante in duodecim fontibus deserti heli
lapidibus pretiosis in Rationali, panibus
propositionis in templo, lapidibus ex qui-
bus erectum altare, bobus sustinentibus
Apoc. mare æneum, leonibus throni Salamonis
21. 12. fundamētis sanctæ ciuitatis Ierusalem,
ex quibus cognosci potest, quam nobile &
sublime fuerit officium Apostolorum, eo-
rumque qui illis successerunt.

Considera, quam singularis gratia fue-
rit, eos ex toto orbe seligi, vt cū orbis Do-
2. mino familiariter conuersarentur, vt fie-
rent noui testamenti ministri, & diuinorū
mysteriorum dispensatores, vt post angu-
larem lapidem Christum essent lapides
primi & fundamenta Ecclesiæ, vt ipsi ex-
truerent Ecclesiā, cuius materiam omnes
Patriarchæ & Prophetæ comportarant, vt
donis gratiæ iisdem, & omnibus regibus
ac principibus, qui fuerunt & erunt, præ-
ferrentur. Vnde & in Scriptura vocantur,
Principes super totam terram regnantes,
Pastores & Doctores, Dij fortes, amici &
Ps. 44. fratres Christi, cœli, montes, agni, sal te-
Ier. 3. ræ, lux mūdi. 2. nota, quam magna & mul-
Ioā. 15. tiplex iis collata fuerit potestas. 1. fuit cō-
Ioā. 10. secrandi corpus & sanguinem Domini, ac
offerendi. quam ne angeli quidem habēt.

a dis-

2 dimittendi peccata, & pertiendi regnũ cœlorũ, quia facti sunt quasi Dij 3. pascẽdi oues, & regendi Ecclesiam. 4. docendi nouam legem gratiæ 5. Scripturas canonicas edendi, quia Spiritus sanctus per eorum ora loquebatur. 6. miracula, quo doctrinam suam confirmarent, patrandi.

Considera, fructum quẽ fecerint, nam 3. primo totum orbem Euangelio compleruntfalsorum Deorum cultum exciderũt oraculis eorundem ora clauserũt, radices peccatorum euulserunt, igne spiritus sui syluam mundi accenderũt, demum quicquid boni hodie in Ecclesia cernitur, ab illis profectũ est. Ab his manauit cõstantia martyrum, iustitia confessorũ puritas virginum, zelus Doctorum, sanctitas Sacerdotum, rigor monachorum, vnde admirans hunc fructum clamat Propheta: *Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis* Ps. 138. *confortatus est principatus eorum.* Quod si tanta fecerunt dum essent mortales in terra, quid iam facient immortales in cœlo? 2. perpende, quantum laborum præmium eis cesserit in hac & altera vita. In hac quidem, pax conscientiæ, eis ante mortem relicta, cum Christus diceret. *Pacem meam* Io. 14. *do vobis.* 2. gaudium cordis, cum ait, *iterum* Io. 16.

videbo

Marc. 10. *videbo vos & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Atque hoc est centuplũ illud promissum relinquentibus omnia. 3. persecutiones, cruces, & mors gloriosa pro Christo tolerata. nulla enim re homo similior Christo fit, quam qui pro eo patitur. Vnde Apostoli gaudebant, quod dignihabiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati. Act. 5. B. Paulus gloriabatur in suis tribulationibus. In altera vero vita primum præmium Matt. 19. eorum fuit, quod sessuri sint super sedes, Luc. 22. iudicaturi 12. tribus Israel imo vt ait Apostolus Paulus, erunt & iudices angelorum. Alterum erit quod edant & bibant in mẽsa regni Christi, id est, omnib. delitiis, quæ mente excogitari non possunt, circũfluent, eoq; amplius, quo ceteris erunt beatiores.

MEDITATIO III

De S. Martyribus.

1. CONSIDERA, opere Martyrij nullũ esse præstantius. 1. quia est nobilissimus caritatis actus. *Maiorem caritatem nemo habet*, ait Christus, *quam qui ponit animam* Ioã. 15. *pro amicis suis.* 2. quia est actus inuitæ fortitudinis, qua contemnũtur omnia genera pœnarum, ac ipsa mors. 3. quia actus in

supe

superabilis patientiæ, de qua Christus. *In patientia possidebitis animas vestras.* 4. quia excedit omnia alia sacrificia. & oblationes nam in his externa tantum, in illo verò omnia, externa, & interna offeruntur Deo. 5. quia reddit martyres similiores Christo nempe milites duci. *Qui vult venire post me,* ait Christus, *tollat crucem suam, & sequatur me.* 2 nota varios esse martyres, & quidē proprie dictos, 1. qui pro fide & confessione Christi trucidantur. 2. qui ob defensionem veritatis, vt S. Ioannes Baptista Isaias, Ieremias. 3. qui ob obseruationem diuinę legis, vt Machabæi 4, qui ob defensionem immunitatis Ecclesiasticæ vt S. Thomas Cantuar. 5. qui ob probitatem vitam, vt iustus Abel.

Luc. 21.

Luc. 9

Considera quam liberaliter Deus remuneretur hoc heroicū opus Martyrij in hac vita & futura. In hac quidem, quia promittit illis in Euangelio se tantā efficaciā daturū eorū verbis, vt omnes eorū aduersarij non possint iis resistere, & ideo nō debere vel præmeditari, quid respondeant. 2. etsi flāmis ardeant, vel à bestiis discerpantur, ne vnū quidē capillum eorū periturū. 3 quia certo scitū it se mox à morte fore saluos. & ideo Augustinus ait, iniuriam fieri mar-

1.

martyri, si quis oret pro eo post mortem. Vnde Psal 11. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* 4. quia tanta solatia in ipsis tormentis Deus suppeditat, vt in corpore sępe nullum dolorē sentiant, vt accidit S. Laurentio, & S. Stephano videntibus cęlum apertū. In altera verò vita Deus quoque copiose remunerat martyrium, quia perfectissimè vicere mundum, carnem suā
Ps. 20. & dæmonem, vnde de iis dicitur. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Et coronam quidem duplicem. Vnam auream, quę est communis omnibus beatis, nempe gloria essentialis Alteram, aureolam, quę est gloria accidētalis debita iis qui heroico opere victoriam ex hoste retulerunt. Quo pertinet & gloria, qua post Apostolos in tota Ecclesia eorum festa celebrantur solemnius, patrocinium q̄ue à fidelibus inuocatur.

Consideta, & alios esse martyres, im-
3. propriè quidem ita dictos, sed tamen veros & eiusdem præmii cum superioribus participes, vti sunt illi, qui non in corpore sed in animo acerbissima perpessi sunt, vt
Luc. 2. fuit B. Virgo Maria, de qua S. Symeon vaticinatus est, quod animā ipsius pertransiturus esset gladius, nempe cum staret sub

cruce

crucē filij. qui gladius ei tantum dolorem cōciliauit, vt ea de causa dicatur plus quā martyr, & regina martyrum. 2. ij q in anima & corpore multa pro fide, vel iustitia perpessi, tamen occisi nō sunt, vt B. Ieb. S. Iohannes Apostolus S. Athanasius, & innumeri eremitæ, virgines alijque religiosi, qui per omnem vitam carnem suam crucifixere cum concupiscentiis, & acerbitatem passionis martyrū, diututnitate mortificationis non solum æquarunt, sed etiā crebro superarūt. Quis enim dubitet plus meteri eū, qui 10 30 vel 40 annos in summa humilitate, castitate paupertate & obedientia ante Deo promissa egit, multisq; bonis operibus claruit, quam qui breui temporis momento ob fidem Christi occisus est? Vnde S. Bernardus notauit Christum in Euangelio idem tribuisse præmiū pauperibus spiritu (vtrorūque enim ait esse regnum cœlorum) & martyribus, quoniam voluntaria paupertas sit quoddam Martyrium.

MEDITATIO IV.

De SS. Confessoribus.

1. CONSIDERA, Confessores vocati generatim eos, qui citra profusionem sanguinis in omni pietate & sanctitate vitam clauserunt, & confessi sunt Christum 1. corde, in eum credendo, eumq; adorando vt creatorem cœli & terræ. 2. ore, eum assidue laudando & benedicendo, gratiasq; pro beneficiis agendo, deinde eiusdem honorem & doctrinam verbis & scriptis, vt fecerunt Ecclesiæ Doctores, defendendo. 3. factis & operibus. i. e. mandatis divinis parẽdo, & vitam Christiano homine dignam agendo. 2. perpende & confiteri Deum eos cum merito, qui se accusant ob proprios defectus. *Iustus enim*, vt habet Sapiens, *prior est accusator sui.* Confitendo enim peccata, fatemur Deum solum esse iustum, & sanctum, solumque esse misericordem, qui possit peccata remittere, sicut monet S. Ioannes. *Si confiteamur*, inquiens, *peccata nostra fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Prou. 11.

2. Considera, speciatim inter S. Confessores

res numerari. 1. eos qui post exilia, carceres, alisq; tormenta pro Christo perpessa tandem in pace obiere. 2. Doctores, qui sanctitate vitæ & doctrina scriptis q; libris orbem illustrarunt, & conuerterunt. 3 qui omnibus huius mundi bonis relictis se in solitudines vel cænobia abdidere, & durissimam vitam duxere in paupertate, castitate & obedientia. 4. qui eximii in caritatis operibus corporalibus vel spiritalibus fuere, vt Iob, Tobias, Constantius & Carolus Magnus, S. Ioannes Eleemosynarius, & alij qui in seculo sanctè vixerunt.

Considera, quantum præmium hos confessores maneat. nam Matth. 10. dixit Christus. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram angelis Dei, & coram patre meo qui in cœlis est.* quod sine dubio futurum est, in extremo die iudicij in totius Ecclesiæ militãtis & triũphantis conspectu. Cogita, quanto gaudio exiliẽt animæ eorũ, qui tunc nominatim laudabuntur, & iubebuntur sedere inter primos diuinæ & regiæ aulæ illius Principes, vt fulgeant sicut stellæ firmaméti in perpetuas æternitates. Vide & illos, q omnia sua hic reliquerũt, ad sublimiorem gradum euehi, vt sedeant super

Matt. 19. sedes duodecim, iudicātes duodecim tribus Israhel, id est, omnes fideles. Ac denique lautissimum omnibus apparatum conuiuium, in quo Christus ipse trāsiens ministret, vt loquitur B Lucas.

Luc. 12.

MEDITATIO V.

De communi SS. Virginum.

CONSIDERA CHRISTVM, cū de cœlo in terram descendit, instituisse familiam Virginū, vt sicut ipse in cœlo adoratus erat ab angelis, ita in terris angelos haberet, qui ei seruirēt. Dedit fidelibus spiritu, vt se puros & castos seruarent, ac corpora sui vas, vt monet Apostolus, in sanctificatione & honore custodirent, & non in passione desiderij. Fuit virginitas in cœlo incontaminata, & ad homines delapsa, ac post iudicij diem in cœlo, vbi neque nubet neque nubentur vlli, sed omnes erunt vt angeli Dei, sēper perseuerabit; perpende Christum eam aliis cōsuluisse, & etiam seruasse perfectissimè, quippe qui erat candor lucis æternæ, & speculū sine macula Matrem quoque suam Mariam omnium Virginum reginam esse voluisse. Fuit

1. Thes. 4.

Matt. 22.

Matt. 19.

Sap. 7.

item suum Ioannem Baptistam, & inter Apostolos carissimum S. Ioannem.

Considera status Virginei dignitatem. Primo enim Virgines sunt Christi sponsæ Vnde S. Agnes ad Tyrannum *Ipse sum desponsata, cui angeli seruiunt, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur.* 2. magis conformes sunt Christo eiusque matri, & S. angelis in carne enim esse, & non secundum carnem viuere, non humanum, sed angelicum est. 3. in parabola sementis S. Patres Virginibus tribuunt fructum centesimum a viduis sexagesimum, coniugatis autem trigesimum. 4 curis seculi sunt solutæ. *Virgo* enim ait Paulus, *cogitat quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & spiritu.* 5. quia Virginitas, teste S. Ambrosio, est mater martyrum, imo & ipsa est martyrium, nã martyrium sæpe breui tempore absoluitur, at Virginum cum carne pugnantiũ diuturnum est martyrium. 6. quia voto continentiam perpetuam offerre, Origeneteste, est holocaustũ Deo gratissimum. 2. Matt. 13. 1. Cor 7.

Considera Virginum præmium à S. Ioanne descriptum. Vidit enim agnum stantem supra montem Sion, & cum eo 144. millia habentium nomen eius, & Patris scriptum in frontibus suis: audiuit vocẽ 3. Apoc. 14.

citharædorum, addēs, *isti sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocunque ierit.* Mons Sion, est Ecclesia triūphans. Agnus immaculatus est Christus, quem congruebat stipari à Virginibus mente & corpore puris, quæ in fronte nomen eius habebant, qa opere fidem quam in corde habebant professæ sunt. Citharas, quæ habent chordas ordine extensas, pulsabant, qua mortificantes membra sua quasi extensa fuere & confixæ cum Christo in ligno crucis dum viuerent, & suauissimum in auribus Dei sonum reddiderunt.

FINIS.

MEDITATIONES, DE BENEFICIIS DIVINIS.

MEDITATIO I.

De beneficio creationis.

CONSIDERA, opus ipsum, quid ab æterno vsque ad diem conceptionis tuæ in vtero matris fueris, nempe purum purumque. Nihil, quod qualibet creatura etiam minima & vilissima vilius est. Secundo, cum nihil esses, & nihil referret te esse aut non esse. DEVM ex mero amore tui te creasse, & totum tibi dedisse, quod es. 3. cum Deus potuerit te aliud facere quam hominem, vt bestiam, lapidem, vermiculum, feciſſe te creaturam rationalem, omnium aliarum corporalium Dominam.

4. hominem non stultum, cæcum, claudũ, leprosum, sed sanis & integris membris, ad imaginem & similitudinẽ suam. Ad imaginem quidem, quia intellectu, voluntate & memoria præditum. Ad similitudinem vero, quia omnium virtutum pulcherrimarum capacem quæ sunt quidam diuinæ naturæ quasi characteres.

Considera, tuæ creationis finẽ, qui est vt vicissim Deum creatorem ex toto corde, tota anima, & tota mente & omnibus viribus tuis ames, quia totum te, quantus quãtus es creauit. Si enim parentib. secũdum Aristotelem, non possumus reddere æquiualens, qui corpus genuerunt, quomodo poterimus Deo, qui totum hominem cõdidit? 2. vt omni humilitate & pietate Deo seruias, obsequendo eius, & Ecclesiæ spõsæ suæ mandatis 3. vt cũ ob beneficia præstita, maximè amẽ creationis perpetuo colas, laudes & glorifices. Sim. in veteri testamento vix vllum beneficiũ populo Israhelitico contulit, quod non voluerit anniuersari, & solemni recolere memoria; quid nõ exiget à nobis pro hoc beneficio creationis immẽso nobis præstito, quo non solum ad imaginem suam nos condidit, sed animam immortalem

impert-

impertiit, vt immortalibus aliquando bonis frueretur? Vnde rectè quidam sanctus concludit, hominem non toties respirare, quoties tenetur Dei sui recordari. Sicut enim ipse semper est, ita debere Deo semper gratias agere pro immortali esse quod ab eo accepit. 4. vt postquam dicta in hac vita præstiteris, tandem felicitatis æternę cum Deo particeps efficiaris, quo nullum maius bonum excogitari potest.

Considera, finem creationis aliarum creaturarum corporalium, qui est vt nobis seruiant & auxilio sint ad consequendum finē nostrum. Creauit n. Deus cœlos, solē, lunam & stellas ac elementa, vt nobis ad distinctionem dierum & noctiū vsui essent, vt suo influxu hæc inferiora pro nostra necessitate afficerent. Deinde varia animalium genera, alia ad subleuādos labores, alia ad præstandum victum & amictum alia ad recreationem, alioq; vsus quotidianos. Similiter Deus alijs omnibus donis suis naturalibus, & supernaturalib. nobis cōcessis, vt ingenio, prudētię fortitudini corporis, sanitati, doctrinæ, diuitijs, honorib. &c. hunc finē præstituit, vt seruiant nobis ad salutē. Et ideo si nō seruiant, contraria potius nobis esse o-

ptanda & eligenda, vt ægritudinem potius quam sanitatem, mortem quam longam vitam, paupertatem, quam diuitias, religiosam vitam potius, quam secularem.

MEDITATIO II.

De beneficio conseruationis.

1. CONSIDERA Deum postquam te fecit, etiam conseruare & gubernare. quod non est minus beneficium priore. Illud enim semel tantum tibi factum est; hoc autem semper repetitur. Quotidie enim Dominus quodammodo te creat, quia semper conseruat, quem semel creauit. nec minor vel potentia, vel amor requiritur in vno, quam in altero. Si igitur multum illi debes, quia subito te creauit, plus debebis, quod iugiter te cõseruet. Quotquot enim temporis momẽta habuit, & habet, & habebit vita tua, tot partes sunt istius beneficii, quia nec in vno illorum subsistere potuisses, si Deus oculos suos à te auertisset.

2. Considera Deum omnia alia bona mũdi condidisse, vt iuuarent ad tui conseruationem & gubernationem, ac imprimis ange-

angelos ipsos qui assistunt sẽper ante faciem eius. *Omnes enim*, teste B. Paulo, *sũt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Idem dicendum est de omnibus aliis creaturis corporeis totius mundi, quæ diriguntur à Deo in hunc finem, vt hominẽ in suo esse conseruent. cœlum cum planetis, aer cũ auibus, mare & flumina cũ piscibus, terra cum bestiis, fructibus, floribus, coloribus & odoribus, quod mirabatur Propheta dicens. *Quid est homo Domine, quod memor es eius: aut filius hominis, quoniã visitas eum? Gloria & honore coronasti eum. & constituisti eum super opera manuũ tuarũ. Omnia subiecisti sub pedibus eius; oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi.*

Heb. 1

Psal. 8. 3.

Considera, sicut omnia bona sunt nostra beneficia, sic etiam omnia mala esse nostra beneficia, quia ab illis Deus nos cõseruauit Alios enim videmus affligi calculo, alios podagra, alios lepra, alios epilepsia, aliisve morbis. Mundus enim hic nihil aliud est, quam infinitarum ærumnarũ & laborũ pelagus: nec in ea vel vna domus inuenitur, in qua nõ sit aliqua calamitas. Itaq; si ab his liber & immunis sis, est q; Deo p tãto beneficio gratias agas.

Cum

Cum enim omnia mala, aut ex natura, aut culpa oriantur, & in re vtraq; causa adsit, cur non similes in te existunt effectus? quis malorum illorum diluuium impediuit, quo minus te obruerit, nisi diuina gratia & beneficentia?

MEDITATIO III.

De beneficio Redemptionis.

1. CONSIDERA à quo sis redemptus, nempe à filio Dei tuo creatore & conseruatore, qui humanam naturam assumere dignatus est, vt perfectissimo modo te redimeret à peccatis, & perpetua damnatione inferni; quam per peccatum merebaris. 2 considera quantum amorem in hac re erga te & omnes homines Deus demonstrarit, nempe quantum maximum potuit. Nam cum non posset pro suis peccatis satisfacere vllus homo, si Deus nõ fieret homo, ipse pro homine voluit fieri homo & quidẽ mortalis & passibilis, ac potius mori pro homine, quam vt periret homo. Non secus, ac magnus rex aliquis pro vilissimo mancipio, quod pro grauissimis sceleribus nullo supplicij genere compe-

sare posset partis lęsæ offensam, vel seipsũ vel filium suum mactandum offerret.

Considera, quo modo sis redemptus, 2.
nempe perfectissimo. Poterat enim Deus sola voluntate, verbo vel nutu, antequam fieret homo, nos redimere, sicut vno verbo creauit Et factus homo poterat vna oratione, vno gemitu, vna gutta sanguinis etiam in circũcisione sua profusa totum genus humanum redimere, sed voluit totius sanguinis effusione, passioneq; omnium acerbissima, & ignominiosissima redimere 2. Considera, tantam acerbitatem fuisse vt ipsi in horto oranti cogitatio solã futurorum cruciatuum sudore sanguineum toto corpore expresserit Flagris siccontusus, colaphis cõtusus sputisque oppletus est, vt videretur leprosus Manus pedesq, clauis obeusis confossi, caput spinarum aculeis per cranium transfixũ. Et super hæc trabem crucis ipse suis humeris iam conuulneratis gestare coactus est, sed supra vires, quia sub onere corruit. 3. Considera, quam ignominiosa fuerit tota passio. Primo enim a proprio discipulo proditus, deinde funibus & catenis per vias in habitu alieno velut stultus pertractus, per ludibrium tanquam rex adoratus, Barraba la-

bæ latroni posthabitus, in medio latrónum velut sceleratissimus crucifixus, & in ipsa cruce variis conuitiis lacessitus.

3. Considera, à quantis malis sis redemptus. Primo enim redemptus es à peccatis, quorum tanta est grauitas, vt expiari non potuerint nisi sanguine filii Dei. 1. à perpetua tyrannide & seruitute diaboli, cui per peccatum eras manciparus. 3. ab igne æterno, diabolo & angelis eius parato. 2. Considera, quanta bona ex hac redemptione consecuta sint. Primo enim ex filio diaboli factus est filius Dei. 2. ex hærede æternæ damnationis, factus est hæres æterni regni. 3. factus est particeps gratiæ & amicitiæ diuinæ, omniumq; donorũ spiritualium. 4. vt, si in peccata vetera relabaris, iterum possis per pœnitentiam in gratiam restitui. 5. vt in gratia existens mereari augere gratiam, & vitam æternam. 6. vt suscipias fontem gratiæ, nempe in SS. Eucharistia, ac etiam, (vt pro tot beneficiis à Deo acceptis dignum aliquid reddas) Patri cœlesti eundem offeras, quod fit in sacrificio Missæ.

ME-

MEDITATIO IV.

De beneficio Vocationis ad fidem Catholicam.

CONSIDERA non prodesse nobis beneficium redemptionis, nisi subsequatur beneficium vocationis ad veram fidem, & iustificationem. Sicut enim emplastri nullus est vsus, si non applicetur vulneri, sic nec passionis Christi in nobis vlla sequitur vtilitas, nisi per fidē & sacramenta fidei nobis applicetur. 2. Considera, sine peculiari ope & auxilio diuino neminem vocari ad veram fidem. *Nemo potest venire ad me*, inquit ipse Christus, *nisi pater meus traxerit illum.* Sicut enim lapis natura sua semper cadit deorsum, nec potest tendere sursum nisi auxilio externo, sic homo propter peccati corruptelam semper inclinatur in amorē rerum terrenarū, nec potest ad amorem cœlestium mentem erigere, nisi dextera excelsi adiutus. 1. *Ioa. 6.*

Considera quot millia non dico hominum, sed nationum infidelium & hæreticorum ab initio mundi, & ante Christum, & post Christum, ac etiam hoc seculo iusto DEI iudicio hanc necessariam da sa- 2.

ad salutem vocationē consecuti non sint, ac proinde perierint & pereant in sua infidelitate, vel hæresi. Cogita, quid de te factum esset, si inter Ethnicos natus esses, si ligna & lapides adorasses. Deinde si hæreticos parentes, cognatos, patriam habuisses. Vide quantas gratias debeas Deo tuo, quod in tanta reproborum multitudine voluerit te inter domesticos Ecclesiæ tuæ Catholicæ Romanæ nasci, lacte Apostolorū nutriri, & sanguine Christi inebriari. Quod voluerit te p. sacrū baptismū renasci, filium Dei, & vitæ æternæ herēdē fieri.

Considera, quot millia Christianorum sint, qui per veram fidem in Christum & baptismum à peccatis & damnatione æterna quidem sunt liberati, & diuinæ gratiæ & amicitiæ restituti, sed tamen postea vel in hæresin, vel in grauia peccata relapsi sint, ex quibus non emerserunt; tu autem toties relapsus, & naufragium passus, arrepta pœnitentiæ tabula ad portum salutis redieris; quam patienter tecum sæpe Deus egerit, quod vel grauia peccata committentem, vel diu in illis hærentem, & non dolentem, imo alios etiam ad illa solicitātē sustinuerit. Quod in medio peccatorū multas sæpe inspirationes

pias

pias suggesserit, & adresipiscendum vocaverit eũ, qui nil aliud faciebat, quã quod vocantem offenderet. Quod deniq; clamore tam alto vocarit, vt non secus, quã Lazarum à morte ad vitam reuocarit, ac tanta gratia ornarit, vt etiam suaue sit & iucundum à pristinis peccatis abstinere, & Deo seruire.

MEDITATIO VI.

De beneficiis peculiaribus, cuiq; propriis.

CONSIDERA, si quæ peculiaria à Deo beneficia tibi tota vita tua cõtigerint, quæ non sunt aliis, etiam Catholicis, inter quos vixisti, communia, siue sint naturæ siue fortunæ, siue gratiæ. Naturæ & fortunæ esse possunt hæc: Quod infans non sis in vtero materno extinctus. Quod nõ sis natus ex parẽtibus infamibus, illegitimis, hæreditario morbo infectis, corpore vitiatis, magis & veneficis, mendicis, latronibus, aliisque nebulonibus. Quod à parentibus piis ab infantia educatus, & abiisdem pædagogis magistrisq; catholicis ac probis traditus instruendus. Quod seuiora disciplina domestica, & scholastica, fueris à societate petulantiũ lasciuorum.

que puerorum, & à variis peccatis abstu-
ctus.

2. Considera beneficia particularis gra-
tiæ, maximè post annos pueriles. Quod
tibi præceptores obtigerint docti & pij,q
simul veram pietatem Christianam cum
litteris instillarint Quod occasionem ha-
bueris multas cõciones & exhortationes
audiẽdi. Quod ad eas scholas, Academi-
as, hominũq; piorũ sodalitates peruene-
ris, in quibus frequẽs est vsus sanctiss. Sa-
cramentorũ Confessionis & Eucharistiæ:
vbi multa præclara exempla veræ pietatis
publicè, priuatim q, cernuntur Vbi vigent
exercitationes repetitionum quotidiana-
rum, disputationũque priuatarũ, & pub-
licarum. Vbi nulla est iuuentutis vanitas
& dissolutio, vbi summa erga præcepto-
res obedientia & reuerentia. Vbi denique libere exercitationi omnium bono-
rum operum ipsique honestati sine cuius-
quam ludibrio & conuitio, quisq; vacare
potest.

3. Considera alia beneficia magis arca-
na & occulta, tibique omnino propria,
vt si sis à parẽtibus hæreticis natus, in hæ-
resi ab hæreticis præceptoribus instru-
ctus, & tamẽ tandẽ mirabiliter ad veri-

dem tra-

dem traductus: si in ea perstiteris, etiam postquam à parentibus vel amicis es exhæredatus, vel derelictus. Item, si à societate maiorum singulari gratia abstractus. Si ex sordibus grauis alicuius peccati, in quo diu hæseris, emerseris & à periculo singulari, vel animi vel corporis liberatus, vt à naufragio, à morte post lethalia vulnera, à grauissima tentatione, v.c. se necandi, vel ab aliis periculis tibi ignotis. Quis enim scit, à quot tentationibus te Deus præseruarit, à quot occasionibus peccandi? quoties laqueos inimici in via existentis ruperit, ne illis implicareris? Quare sicut pro occultis peccatis quotidie orasse dum propheta. *Ab occultis meis munda me Domine*, ita & pro occultis istis beneficiis debes gratias agere. Ps 18.

MEDITATIO VII.

De beneficio æternæ Prædestinationis.

CONSIDERA hoc beneficium non esse commune, sed peculiare, eorum duntaxat, qui ab æterno à DEO electi sunt ad vitam æternam, quod est omnium beneficiorum maximũ, & gratia 1.

gratiarum, non solum quia datur ante omne meritum, ex sola immensa Dei bonitate, sed etiam quia cæterorum est fundamentum. Cum enim homo electus est ad vitam æternam, mox quoq; Deus, quæ ad illam consequendam requiruntur media impertitur. Ro.8. *Quos enim prædestinauit*, inquit Apostolus, *hos & vocauit, & iustificauit*. Sicut enim Pater carnalis, qui filium educat, vt aliquando Ecclesiasticus fiat, curat vt a teneris annis litteris operam det, & moribus Ecclesiasticis assuescat, sic æternus Pater semel ad gloriam æternam electos paterna sua cura dirigit in viam iustitiæ, donec ad finem destinatum perueniant.

2. Considera, etiam si hoc prædestinationis beneficiu in hac vita nobis maneat occultum, tamen signa quæda illius haberi posse: inter quæ maximum est perseuerantia in vita pia & sancta. Qui enim multis annis in timore Domini vixit, atq; omni studio peccata mortalia fugit, pie potest credere, quod, vti Apostolus loquitur, confirmabit eũ Dominus vsque in finem sine crimine in diem aduentus Domini & quod vti incepit, sic finiet. 1. Cor. 1. 2. considera, neminem quidem de hac perseuerantia

rantia posse esse securu, nam & Salomon, cum diu pie vixisset tandem defecit tame quia via hyrundo non facit ver, & proverbium est, *Adolescens iuxta viam suam, etiã cum senuerit, non recedet ab ea*; humiliter de infinita DEI bonitate præsumi potest, quod qui ita perseuerat, electorum numero sit assciptus, sicut præsumit se saluandum: hoc enim illud præsupponit. Prou. 22.

CONSIDERA, quanti faciendum sit hoc beneficium, ac proinde quæ unq; gratiæ tibi pro eo sint agendæ Deo opt. max. Primo enim nihil excellentius, vel sublimius esse potest fine & scopo prædestinationis: est enim ipse DEVS, vel æterna diuinæ visionis, & omni voluntate plenissima fruitio, quod bonum est omnium maximum, quo maius desiderari non potest. Deinde prædestinatio est antiquissima, quæ non incepit cum mundi constitutione, sed mundo multo antiquior, imò ipsi DEO coæterna quemadmodum ab æterno est, sic ab æterno dilexit suos, & te. Tertiò, quia est electio immutabilis: quod enim Deus semel voluit & decreuit immutari non potest. *Ego* DEVS, inquit ipse, apud prophetam *& non mutor*. Quartò, quod te cum quamplurimis aliis inter tot centena millia hominum

num, qui sæpe meliores fuerunt, dignatus sit eligere, in numerum prædestinatorũ, idque ab omni æternitate; quod pectori diuino tui memoria insculpta fuerit ante omnia secula, quod p filio Dei adoptivo habitus sis, & in splẽdoribus Sanctorum, cum Pater cœlestis dixit filio naturali. *Ego hodie genui te.*

MEDITATIO VIII.

De *beneficio vocationis ad Religionem, quæ est pro Religiosis.*

1. CONSIDERA, si religiosus sis, aut desiderio ingrediendi religionem teneris, hoc beneficiũ quoque esse peculiare & post diuinam prędestinationẽ omnium maximum, paucisque concessum, & ideo Christus dicebat de illo, *Qui potest capere capiat.* Et *Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Religio enim est status perfectionis, non quod omnes perfecti esse debeant, qui eam suscipiũt, sed quod quotidie proficiendo per obseruationem non solum præceptorum, sed etiam consiliorum diuinorum debeant ad vitę Christianæ perfectiones tendere. Hæc est, dem-

Matt. 19.

pto mar-

pro martyrio angustissima porta & arctissima via quæ ducit ad vitam æternam, & pauci sunt, qui inueniunt eam In hac, si quis conuenienter suę regulę in vita pia & sancta perseueret, probabilissimum argumentū habet se esse in numero prædestinatorum. *Matt. 7.*

Considera, causam cur hoc beneficium tanto sit in pretio habendum. Vna est quia in S. Scriptura sola temporalium facultatum in pauperes propter Christū distributio, amplissimā habet promissionem à Christo vt quod magnū thesaurū eiusmodi habituri sint in cœlo. deinde, q centuplum in hoc seculo accipient quoad domos agros, & fratres, & in futuro vitā æternam Qui ergo habebūt, qui præterea se castrant propter regnum Dei, & voluntatem suam, ac iudicium subiiciūt voluntati hominis loco Dei, & hoc palam solemni vel simplici professione Deo, & omnibus Sanctis vouent vti faciūt omnes veri religiosi: Altera est, quia S. Patres cōparant ingressum in religionem alteri baptismo, eo quod per illum homo, sicut per baptismum liberetur ab omnibus peccatorū pœnis S. Gregorius addit, sicut holocaustū excedit alia sacrificia, sic ingressum reli- 2. *Matt. 19.* *Marc. 10.* *Atha. in vita S. Anton.* *Hier. ep 15.* *Greg. hom. 20. in Ezech.*

Bern. serm. 20. in Cent. Bles. serm. 8. 3. religionis, omne genus pœnitentiarũ ve satisfactionum etiam publicorum excedere. B. Bernardus vero & Petrus Blesensis etiam comparant religiosam vitam, & labores continenti martyrio.

Considera cur S. Patres his comparationibus sint vsi. Prima causa est, S. Thomę Aquinatis, quia paucis eleemosynis potest homo satisfacere pro pœnis peccatorum, iuxta illud Danielis. *Peccata tua eleemosynis redime*, ergo multo magis satisfacit, qui nõ solum omnia sua dat pauperibus, sed etiam seipsum tanquam seruũ offert DEO & religioni, imò vouet se nihil amplius propriũ possessurum. Secunda causa est, quia tota professio veri religiosi consistit in continua deportatione crucis suæ hoc est, abnegatione proprii iudicii & voluntatis, mortificatione sensuum, passionum, omniumque cupiditatum prauarum carnis & mundi, secundum illud. *Si quis vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie*, & hoc est spirituale martyrium. Vnde Sapiens dicit, *eum, qui dominatur animo suo meliorem esse expugnatore vrbium* Imò Seneca philosophus gentilis agnouit, *imperare sibi maximum esse imperium*

Da. 4. Luc 9. Prou. 16. Epist. 123.

MEDI-

MEDITATIO IX.

Denouem bonis religionis à S. Bernardo descriptis. hoc rythmo.

IN RELIGIONE HOMO.

Viuit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius; quiescit securius, ornatur crebrius, purgatur citius, moritur confidentius: muneratur copiosius.

CONsidera primum, cur VIVAT PURIVS, nempe 1. ob puritatem intentionis, quia omnia facit, ad Dei gloriam, & animę salutem, *Si oculus tuus fuerit simplex*, ait Christus, *totum corpus tuum lucidum erit*, 2. ob puritatem à peccatis mortalibus, quæ sola animam verè impuram faciunt, quia boni religiosi malunt mori, quam scienter peccare mortaliter. 3. ob puritatem mentis & corporis angelicam, quia promiserunt DEO & religioni castitatem. II. Considera, cur CADAT RARIVS, nam, quia in ea fama vel nulla sunt offendicula, vel lapides scādali, in quos impingat. 2. nulli laquei dæmonis, ratione opum, honorum, vel voluptatum mundi,

1. Matt. 6.

1.Tim. 6. mundi, quas apperat *Qui enim volũt diuites fieri*, ait Apostolus, *incidunt in laqueum diaboli* Hic autem non solum non vult diues fieri, & magni haberi, sed etiam paupertatem amat tanquam matrem, & cuvit ab omnibus contemni 3. quia econtra multa in ea sunt adminicula Superiorũ, confessariorum, & Præfectorum spiritaliũ, a quibus sustentetur, ne cadat III Cõsidera, cur SVRGAT VELOCIVS. quia lapsus ei⁹ ordinariè nõ sunt nisi veniales, qui multis modis expiari queũt, oratione Dominica, aqua benedicta, tunsione pectoris, confessione generali, gemitu, actu feruenti caritatis, &c 2 quia à multis sociis fratribus potest subleuari. Vnde dicitur *Væ soli, quia non habet subleuantem* &c. 3 quia angelica ministeria in angelico isto statu ei sunt prõptiora, & diuina præsidia nomine *centupli in hac vita*, sũt promissa.

Eccl. 4.

Marc. 10.

2. Considera bonum quartum, cur INCEDAT CAVTIVS. nempe I. quia sicut Deus nullum relinquit peccatũ impunitum, sic religio omnes lapsus expiat per pœnitentiam 2 quia in religionum regulis omnes fere imperfectiones ꝓhibẽtur, in quos aliquis incidere possit. 3. quia omnes Superiores, æquales & inferiores habet sua-

bet suorum morum inspectores & quasi obseruatores, quibus cauet, vel minimam dare occasionē offendiculi. II cur QVIESCAT SECVRIVS. nempe quia I expers est omnis curæ rerum ad victum, vel amictum necessariarum. *Nemo militans Deo*, ait B. Paulus, *implicat se negotiis secularibus*. 2 Tim. 2. 2. quia nullum bellum vel exiguū habet, cum mundo, quē deseruit, & carne, quam per mortificationis virtutē crucifixit cum vitiis & concupiscentiis 3. quia summa fruitur cōscientiæ pace. *Securamens*, ait Sapiens, *quasi iuge conuiuium* II. Considera, bonum sextum, cur IRRORETVR CREBRIVS. nēpe I. quia in quotidianis exercitiis spiritualibus orationū meditationū, sacrificij Missę, & Cōmunionis sępe particeps fit diuinarū inspirationū, *Super quem requiescet spiritus meus*, ait Dominus, *nisi super humilem & quietū, & contritum corde*? 2 cōsolationū cœlestiū etiā in mediis afflictionib. vt ieiuniis, disciplinis, ciliciis. 3. nouarū virtutū & donorū Spiritus sancti. Gal. 5. Prou. 15. Is. vlt.

CONSIDERA bonum septimum, cur 3. PVRGETVR CITIVS. nempe I. quia in ea visitatum est quotidianū examen conscientiæ tam particulare, quam generale, in quo inquirit in singulos lapsus, dolet,

dolet & emendationem proponit 2. quia crebro iteratur confessio sacramentalis & post illam deuota communio 5; quia in ea frequentes sunt satisfactiones pro expiandis pœnis peccatorum, tum sponte susceptæ, tum à Superioribus, Confessariis, vel regula iniunctæ, quas si sedulo seruet, purgatione opus non erit in altero seculo.

II. Considera cur MORIATVR CONFIDENTIVS, nempe I quia scit promissionem generalem, & specialem esse infallibilem. Generalem, *Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.* Et specialem. *Vade & vende omnia, & habebis thesaurum in cœlo* 2. quia scit, prouerbium esse, qui bene vixit, & angustam viam tenuit, nõ posse male mori, seculares que solitos sub mortem dicere. Vtinam in religione tali vel tali vixissem 3. quia, vt supersint adhuc aliquæ inperfectionum reliquiæ expiandæ nouit se habere in extrema hora exprimi legio Ordinis indulgentiã plenariam, ac ante & post mortem communionem omnium sui Ordinis precum & sacrificiorum, aliorumq; operũ bonorum. III Considera, cur REMVNERETVR COPIOSIVS, nempe I, quia qui relictis omnibus secuti sunt Christum sedebunt super sedes

Matt. 10. & 19.

Matt. 19.

duode-

duodecim iudicantes, & centuplum accipient in hac vita, & in futuro vitam æternam. Centuplum accipiunt, quia pro Patre vno relicto, in religione plures spirituales patres, pro fratre plures fratres, pro vna domo plura collegia vel cœnobia. 2. quia, teste Apostolo, *Deus reddet vnicuique secundum opera sua. Et qui seminauerit in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* at religiosus quotidie vacat operibus vel religionis orando & laudando Deum, vel humilitatis, vel misericordiæ corporalibus, aut spiritualibus. Deinde quælibet eius opera etiam adiaphora vt dormire, comedere, studere, sunt meritoria, tum quia semper fere est in Dei gratia, tum quia omnia ad Dei gloriam refert, & facit ex obedientiæ virtute. 3. quia præter ea quæ omnibus beatis sunt cõmunia, religiosis maximè competunt tres aureolæ, martyrum scilicet, Virginum & Doctorum, quæ sunt accidentalia quædam præmia.

Marc. 10.

Ro. 2. 2 *Cor.* 9.

MEDI-

MEDITATIONES
De Peccatis.

MEDITATIO I.

De grauitate peccatorum ex parte Dei.

1. CONsidera *Peccatum* secundùm B. Augustinum, *esse dictum factum, vel concupitum contra legem Dei*, hoc est, prævaricationē diuinorum mandatorū. 2. expende, quantum malum sit, & idcirco summo studio cauendum quatuor de causis. Primo quia Deo maximè exosum. *Odio est Deo impius*, ait Propheta, *& impietas eius* 2 quia expiari non potuit nisi sanguine filij Dei 3 quia ex diabolo est, & diabolo acceptissimum *Qui enim peccatum facit*, ait B. Ioannes *ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat.* 4. quia nihil æquè homini noxium.

Sap. 14.

1. Ioan. 3.

2. CONSIDERA, vnde constet Deo esse exosum, nempe ex grauissimis quibus illud castigauit, pœnis, primo in angelis, deinde in hominibus. In angelis quidem,

quos

quos vna cum principe Lucifero, cum esse omnibus naturæ & gratiæ donis in sua creatione ornati, Deoque gratissimi, ob vnam superbam animi cogitationē, quasi pares diuino numini esse vellent, è cœlo ad tetertimum obscurissimum q; inferni carcerem deturbauit 2. Considera, quid ibi agant. Nimirum, nec quicquam boni facere, nec quicquam mali omittere ibi possunt, perpetuo dolentes de amissa felicitate, tum naturali, qua beati fuere, tum diuina, qua esse potuerunt, desperantes omnem resipiscendi facultatem, furentes odio in Deum, sibi graues, nobis inuidentes, & omnibus fraudibus ac insidiis homines sanctos circumuenientes, ac denique flammas sempiternas, quibus adurantur, sed non consumantur, vbicunque sint, secum deferentes.

Considera quomodo in hominibus Deus illud castigarit. Et primo in omnium hominum principe Adamo, quē sua manu formarat, cui imperium orbis terrarum detulerat, quē plurimis naturæ gratiæq; dotibus locupletarat, cui æternā felicitatē promiserat, & in paradyso loco omniū totius mundi pulcherrimo collocarat: hunc enim vna cū cōiuge sua, ob decerptum 2.

cerptum è medio paradisi contra mandatum Domini pomum detepente omnibus gratiæ opibus exutum eiecit, è summa felicitate ad summas miserias, ad laborem manuum, ad sudorem vultus, & quod cogitantem reddat attonitum, totam cum eo posteritatem, id est, omnes homines, qui sunt, fuerunt, & futuri sunt vsque ad mundi finem. Nam omnes huius seculi & futuri ærumnæ, vt peccatum originale, & alia, morbi, paupertas, fames, bella, & damnatio æterna ex illo solo Adę lapsu prodierunt. 2. Cõsidera quam grauiter subinde de variis seculis alia quædam peccata in hominibus castigarit; nam tempore Legis naturæ & Noe totum mundum perdidit diluuio, Sodomam & Gomorrham igne & sulphure. Tępore vero legis scriptæ murmur Dathan & Abiron, inobedientiam, Saulis, & Dauid adulterium Ac inpoua, mendacium Ananiæ & Sapphyrę, notum
Act. 5. est, quã duriter puniuerit, & puniat quotidie vel in vno peccato mortali decedentes in hac vita, nempe æternis inferni flammis.

MEDITATIO II.

De grauitate peccatorũ, ex parte Christi pro peccatis mortui.

CONSIDERA tantam esse peccatorum nostrorum grauitatem, vt filium Dei de cœlis in hanc terram traxerit, & ad carnem humanã assumendam in qua pro iis expiandis pati posset commouerit. Nam cum malitia peccati lethalis sit infinita, vtpote contra bonitatem Dei infinitam, nõ potuit nisi satisfactione infinita deleri. Vnde vel infinita pœna toleranda erat, quæ in creaturam finitam conuenire nequit, vel tempore infinito, sicut luunt damnati in inferno, vel infinitæ dignitatis persona substituenda, quæ actione aliqua infiniti meriti Deo satisfaceret; cuiusmodi fuit persona Christi, q̃ hoc negotiũ ex incredibili suo amore erga salutem nostram suscepit 2. Considera inde consequi, sicut peccatori sua peccata in inferno sedem parant, & sicut furi parãt sua furta supplicium, sic peccata cuiusque nostrũm Christo humanam carnem assumendi, & moriendi necessitatem attulisse. 1.

CONSIDERA Christum, vt peccatorum nostrorum, quæ in humeros suos sus- 2.

cepit, grauitas magis eluceret, non solum vitam duxisse laboribus & afflictionibus plenissimam, sed etiã mortem sustinuisse omnium acerbissimam contumeliosissimamque, quo nõ solum infinitatem culpę, infinita satisfactione, (quod fieri poterat vna gutta sanguinis, vno gemitu, vna oratione, vno actu caritatis) plenè expiaret, sed etiam absolutissimo iustitiæ modo, id est, atrocissimõ cruciatu & pœna expiaret.

3. CONSIDERA, non inde magnitudinem peccati extenuari, quod non pro tuis solius, sed totius mundi peccatis Christus tam atrocia passus sit, sed potius declarari passionis virtutem. Vt enim si Solis huius clarissimi solus lucem & calorem percipias, nõ magis tibi soli ille lucebit, quam si eius splẽdore & ardore cũ ceteris mortalibus perfruaris: vtque non minus hominem occidas, si solus eum gladio confodias, quam si decem alios ad cædem faciendam tibi adiungas, sic vnum peccatum mortale tuum, ad quod expiandum necessaria erat passio filii Dei, non est minus causa passionis Domini, quam si eum reliquis peccatis totius mundi cogiteur coniunctum. Nec minus vtilitatis nobis

adfert

adfert passio Christi pro totius mũdi peccatis susceptæ, quam si pro te solo eandem suscepisset.

MEDITATIO III.

De grauitate peccatorũ ex parte dæmonum, quia eis maximè placent.

CONSIDERA, inde quoque cognosci peccati, maximè mortalis fœditatem, & ideo magnopere esse fugiendum, quod nihil æquè exhilaret antiquum nostrum hostem diabolum: quod ex tribus signis colligitur. Primum est, quia in tota rerum natura non aurum, non argentum, nõ lapides pretiosos, nõ cibi potusue lautitias quærit, sed tantum animas, quemadmodum in Genesi adumbratur, vbi dicit rex Sodomorum in persona diaboli. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Ita enim B. Gregorius exponit. Animas autẽ capere nõ potest, nisi laqueo peccati lethalis. Quam autem anima semel esca peccati capta exhilaret dæmonem, B. Anselmus declarat exemplo pueri, qui filo alligatam auiculam manu retinet, & si quãdo laxato fune longius auolare eam permittat, tamẽ illico cum magno gaudio & risu retrahit.

Gen. 14.

Lib. Similium. c. 189.

2. CONSIDERA alterum signum, ex quo cognoscimus dæmonem amare peccatũ, nempe assiduas tẽtationes, quibus hominem oppugnat: nunquam enim fatigatur in eo ad peccatum solicitando. Sex iam millia annorũ sunt, quod huic vni studio incũbat quo homines peccare faciat, nouosque quotidie modos delinquendi excogitet, & quo plures in errorem inducat, hoc alacrior & ardentior ad tentationes augendas redditur; quemadmodum colligitur ex libro Iob. Cum enim Deus illum rogasset, vnde veniret, respondit. *Circuiui*
Iob. 1. *terram, & perambulaui illam.* Adeo enim occupatus est in peccato promouendo, vt dormiendi tempus illi non suppetat, sicut
Iob 30. testatur Iob, cum ab eo tentaretur. *Quia non comedunt*, inquit, *non dormiunt.*

3. CONSIDERA tertium signum, vnde liquet dæmoni acceptissimum peccatum: nempe, quia nunquam eo potest satiari. Licet enim infinita hominũ millia, propter impietatem, & peccatorum fœditatem hactenus in tartara præcipitata sint,
1. Pet. & indies præcipitentur, non tamẽ fames
5. eius expletur, sed pergit *circuire sicut Leo*
Iob *rugiens, quærens quem deuoret*, vt loquitur
40. Apostolus Petrus. *Absorbebit fluuium*, ait
Iob. 40

Iob, & *non mirabitur, habebit fiduciam, quod Iordanis influet in os eius* Os eius infernus est, fluuius in illud influens sunt peccatores, qui magno cum impetu, velut rapidissima flumina, hiatu inferni absorbentur. In vitis Patrum narratur principem dæmoniorum summo honore satellitem quendam suum dæmonem affeciisse & in throno regio collocasse, quod monachum quendam, cui per quadraginta annos insidias struxerat, ad vnum luxuriæ peccatum pertraxisset. 2. Considera, sicut mali angeli magnopere ex lapsu hominis exhilarantur, sic contra bonos angelos summopere lætari hominis conuersione. *Gaudent enim super peccatore*, vt est apud B. Lucam, *pœnitentiam agente.* *Luc.* 15.

MEDITATIO IV.

De grauitate peccatorum ex parte effectuum.

CONSIDERA, animam tuam ad imaginem & similitudinem Dei conditã, dum perseuerat in gratia & amicitia Dei, tam splendidam esse, totque donis spiritalibus ornatam, vt creator ipsius delectetur habitare in illa. simulatque vero 1. in peccatũ lethale consenserit, tam spurcã & abom-

abominabilem reddi, vt peccator si copiam eam videndi daretur, aspicere eam pre horrore non possit. Nam omnibus beneficiis diuinis spoliatur, & quum plurimis malis obruitur. Quod ad beneficia attinet. Primo Deus ab ea recedit. 2. peréitius gratiam & amicitiam. 3. familiaritatē Spiritus Sancti. 4. participationem meritorum Christi. 5. paternam Dei prouidētiam. 9. virtutes infusas, & dona Spiritus sancti. 7. pignus regni cœlestis. 8. Communionem bonorum Ecclesiæ. 9. pacem & securitatem conscientiæ, 10. meritum & fructum omnium bonorum operum ipsamque vitam æternam.

4. Considera, quanta mala adferat consensus in idem peccatum. Primo enim Dei odium conciliat & iram. 2. turpissimis sordibus animam conspurcat. 3. eam efficit æternæ damnationis. 4. delet è libro vitæ. 5. præsidio angelico destituit. 9. seruituti dæmonum subiicit. 7. remorsum affert conscientiæ. 8. periculum in grauiora peccata labendi. 9. obligationē peccata deflendi, pudorem confitendi, & laborem pro iisdem satisfaciendi. 10. hominem commutat in bestiam, secundum illud. *Homo cum in honore esset, non intel-*

Psa. 48

xit: si-

zit: similis factus est iumentis insipientibus.
2. Considera, cum hæc fide Catholica verissima esse credamus, quam horribile sit quod tam facilè in peccatum mortale labamur. Cum tamen ad nomen solum peccati mortalis ita exhorrescere deberemus ac si fulmen de cœlo caderet, vel si infernus ipse ad nos absorbendos dehisceret. 3.

CONSIDERA, etiam peccato veniali Deum offendi, licet non tam grauiter, vt propter illud gratiam suam nobis subtrahat; & ideo pietatis amantibus est fugiendū ob sequentes eorū effectus. 1. quia obligat ad pœnam huius vitæ, vel futuræ in Purgatorio. 2. animam nonnihil deturpat. 3. minuit caritatis feruorem, sicut aqua flammā. 4. animi vires debilitat, sicut onus ambulantē. 5. retardat gloriam æternam. 6. minuit meritum & gloriam vitæ æternæ. 7. disponit ad peccatū mortale. 8. obstaculum ponit nouæ gratiæ. 9. impedit deuotionem in orando, & progressum in vita spiritali, atque vt Deum non perfectè amemus. 10. quia displicet Deo, & angelis. & ideo non licet peccatū veniale committere, etiamsi spes affulgeret totum mundum per illud conuertendi ad Christū. 2. Considera dicta Patrum.

nam S. Augustinus ait nullum peccatum esse tam paruũ, quod contemptum non fiat magnum S. Hieronymus dicit non esse in peccatis leuibus considerandũ, quod sint parua, sed quod magnus sit Deus, cui displicent. S. Gregorius scribit, veniale aliquãdo periculosius esse mortali, eo quod hoc facile notetur, illud nõ item. Sic multæ paruæ guttæ subeuntes carinam, quia notatæ non sunt, tandem submergunt nauem, quam magni fluctus non submersere.

MEDITATIONES

De Miseriis, in quas natura humana per peccati malum prolapsa est.

MEDITATIO I,

De miseria natiuitatis humanæ.

1 CONSIDERA solos primos parentes nostros Adam & Euam, vt docet S. Gregorius, perfectè cognouisse humanæ vitæ miserias, quia soli felicitatem, in qua creati erant, experientia ipsa didicerant, nos autem, qui in miseriis nati sumus & educa-

educati, velut phrenetici miſerias noſtras non ſentimus, & ideo ſicut illi qui loca malè olentia incolunt, fœtorem non olfaciunt, tollente ſenſum longa conſuetudine, ita nos non abhorremus etiam perpetuo, neglecto cœlo in huius vitæ miſeriis perdurare. 2. perpende, quomodo poſſis à tam graui errore liberari: nempe ſi accuratè meditando examines primum natiuitatis humanæ miſerias, deinde totius vitæ curriculi.

Conſidera, Deum hominem creaſſe, vt docet Scriptura, ex limo terræ, id eſt 2. *Gen.* 1. ex viliſſima totius mundi materia. Itaque licet Rex ſis, Cæſar vel Papa, tamen non es niſi gleba, fimus & limus, qui omniũ calcatur pedibus: modum conceptionis humanæ eſſe tam fœdũ, vt Chriſtus, licet illudi & conſpui ſe paſſ⁹ ſit à viliſſimis mãcipiis, & non homo, ſed vermis haberi, tamen eo modo concipi noluerit. 3. quid miſerius muliere parturiente: quis dolor intollerabilior, quis planctus miſerabilior? 4. beſtiæ, dum naſcuntur, prodeunt vel calceatæ, vel lana, ſquamis, corio, aliisve rebus tectæ. Solus homo nudus prodit cũ immunda tunica, & galero immũdiori. Item illæ ſimulac natæ ſunt, natant, volant,

lant, currunt & quærunt necessaria, sine magistra: solus homo nihil scit, nihil potest, nisi aliorum vlnis portetur, aliorumque manibus foueatur, sed nec edendi, bibendique modum habet, nisi doceatur. Natura nihil demum eum docuit, nisi plorare: & vix ante quadragesimum diem post ortum ridet.

3. CONSIDERA, quid aliud sit corpus humanũ, quam testa putrida, aut vas corruptum, cui quicquid infunditur mox accescit Quid aliud quam saccus stercoribus fartus, & candida niue tectus, qui foris quidem pulcher apparet, sed intus excrementis, & sordibus plenus est. vbi gentiũ tam sordidũ volutabrũ reperitur? vbi terrarum existit stagnum tot fætores infra supraque exhalans? Arbores, herbæ, bestiæ multæ gratissimi odoris excrementa effundunt, at homo solus tam abominanda eiicit, vt non nisi cloaca quædam sordium videatur. Hoc Ethnicus Plotinus quondam perpendens, nunquam passus est corporis sui effigiem depingi, satis esse sibi asserens, quod onus tam immundum & anima sua indignum toto vitæ tempore circumferre cogeretur.

MEDI-

MEDITATIO II.

De miseria breuitatis humanæ vitæ.

CONSIDERA, raro ad annum septuagesimum, aut, vt maximum, ad octogesimum peruenire. Nam Propheta ait. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.* 2. considera, si numerum dierum subtiliter inire velis, tẽpus infantiæ, pueritiæ, & somni esse excludendum. nam vita infantis & pueri potius bestiæ est, quam hominis, cum in ea nihil discatur vel agatur homine dignũ. Dormiens quoq; potius mortuus, quã viuus censetur, ob rationẽ, sensusque sepultos. Vnde & Poeta somnum vocauit gelidissimæ mortis imaginem. Cum autem homo quotidie octo horas & sæpe plures somno tribuat, sequitur tertiã partem vitæ solo somno illi detrahi, ac proinde etiam in longæuis vitã esse perbreuẽ. 1. Psal. 89.

Considera, si hanc vitam cum æternitate conferas, quam breuis futura sit. Sapiens ait vitam hominis longissimam esse 100. annorũ. Quid autẽ sunt centũ anni, sicum æternitate conferantur? certe nil aliud quã guttula aquæ cũ immẽso mari. Si enim 2. Eccl. 18.

Si enim totus mundus collatus cum eo extremo est instar puncti, quid temporalitæ nostræ collatum cum æternitate erit, nisi minus quam momentum, imo nihil. Hanc breuitatem cum æternis pœnis sibi collatum agnoscunt damnati in infernis, dum ita apud Sapientem loquuntur. *Sap. 5.* *Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia tanquam umbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non est vestigium inuenire: aut auis, quæ transuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius: aut tanquam sagitta in locum destinatum. Ita & nos nati continuo desiuimus esse, & nullum virtutis vestigium valuimus ostendere.*

CONSIDERA hinc sequi, nullam posse maiorem esse amentiam, quã sempiternas intolerabilesq; pœnas momentaneæ tantillæ vitæ voluptatula sibi mercari. Et cùm hæc vita tam breuis sit, futura verò tam longa, quæ potest stultior esse amentia, quam huius vitæ res tã solicitè accurare & de his quæ ad vitam æternã pertinent nolle semel cogitare. 2. Considera, cur æterna sapientia voluerit hanc vitam esse

breuem.

breuem, nempe primo, quia sciebat hanc vitam nobis non esse nisi continuam miseriá, exilium, & miseriam, ac idcirco ab ea citò nos liberaret, & ad patriam cœlestẽ reuocaret. 2. quia summo amore nos cõplectitur; iam autem constat eum, qui aliquem amat, ægrè dici posse abesse ab eo quem amat. 3. vt eo magis vitam præsentem contemneremus, & aspiraremus ad æternam.

MEDITATIO III.

De miseria incertitudinis hum. vitæ.

CONSIDERA, breuitatem vitæ, si nobis certo constaret, fore tolerabilior, vt si v. c. constaret nos 50. 60. 70. annis victuros, at hoc quoque incertum est. 1.

Nescit homo, ait Sapiens, *finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supernerit.* Vnde scitè dictũ est. *Morte nihil esse certius, hora vero mortis nihil incertius.* Atq; ideo Sapiens quidã vitam humanam cõparat bullis tempore pluuiæ super aquam natitantibus, quarum quædam mox vt ebullierunt residunt, aliæ verò paulò quidem diutius fluctuant, sed omnes tandem euane- Eccl. 3.

euanescunt. Alii enim homines in vtero materno pereunt, alii in infantia, alii in pueritia, alii in adolescentia, vel virili ætate, alii in senectute. Deinde, alii sani subito pereunt, vel morbo, vt apoplexia, vel casu, vt submersione, vel aliunde illata, vt gladio, sclopo, lapide. Alii extinguuntur morbo breui vel diuturno.

2. CONSIDERA, cum terminus vitæ nostræ tam sit incertus, quando sit nostra temeritas, quod tam securè, tamque negligenter viuamus, immemoresque simus verborum CHRISTI toties clamantis.

Matt. 24. *Vigilate, quia nescitis, qua hora filius hominis venturus sit.* quasi dicat, cum horam nesciatis, omni hora vigilate, & quia diem nescitis, omni die vigilate, &c. 2. considera, vt energiam verborum CHRISTI intelligas, cur excubiæ perpetuæ in vrbibus & castris hosti vicinis habeantur, certe non alia de causa, quam quod præsidiarii ignorent, quando hostis venturus sit, si enim scirent, tunc certe tempore intermedio somno & quieti vacarent. Cum ergo eadem prorsus incertitudo sit de hora mortis nostræ, cur non similiter vigilemus? Certe anima nostra, pretiosior est omni-

omnibus mundi vrbibus & castris, & si spectes lytrum quo redempta est, etiam angelis. Deinde hostes animæ sunt plurimi, potẽtissimi & callidissimi, qui noctes diesque insidiantur, & iactus aleæ in hoc consistit, vt simus parati ipso momento quo mors venit, vt liquet ex parabola de fatuis virginibus, quibus imparatis clausa est ianua. *Matt. 25.*

CONSIDERA, cur DEVS voluerit 3. nobis incertũ esse exitum vitæ. Vna causa est, quia multi, si scirent se 60. vel. 70. annis victuros, differrent pœnitentiam, & grauiora peccata committerent: dum vero nesciunt, non differunt pœnitentiam, ne forte in peccatis moriantur. 2. si econtra scirent, se non diu victuros, multa bona opera, primo salutaria omitterent, ac tantum propriæ saluti vacarent. Deinde in conuersatione humana foret, melancholici, tetrici, & fastidiosi, communemque pacem & concordiam turbarent. 3. si quis æger sciret infirmitatem suam non fore vltimam, non cõfiteretur, non communicaret, non inuocaret sanctos, nõ imploraret auxilium aliorum in Missis, & alia bona omitteret: quia autem nescit, sæpe diligentissimè cõfitetur, & qui-

& quidem de tota vita, vota edit, eleem-
synas in pauperes profundit.

MEDITATIO IV.

De miseria fragilitatis humanæ naturæ.

1 CONSIDERA vitam nostram non na-
tum esse breuem & incertã sed etiam
fragilem multisque periculis expositam
sic vt vitrum non sit fragilius. Pestilen-
dor, infectus aer, sol feruentior, hyems
acrior sæpe vitam nobis eripiunt, non so-
lum infãtibus & pueris, sed etiam viris, si
rogaris, cur iste vel ille obierit? Responso
in promptu est. Ex haustu aquæ frigidæ,
quẽ sũpsit auidius, ex potu vini quo se co-
ruit, ex nimio dolore, vel terrore, ex spi-
na hærente in gutture, ex ictu serpentis
demorso digito a fele, &c. 2. considera
ictum Isaiæ de hac materia: *Vox dicentis, in-*
Is. 40. quit *clama: & dixi, quid clamabo. Omnis*
caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos
agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos,
quia spiritus Domini sufflauit in eo. Quæ
Lib. 3. enim firmitudo in carne? ait in illa verba
Hexæ. Ambrosius, quæ salubritas potest esse di-
c. 7. turna? Hodie videas adolescentem vi-
dũ, grata specie, suaui colore, crastina de-

tibi facie & ore mutatus occurrit, Hodie nobilis & diues triumphat, cras in carcerem rapitur.

Cõsidera eandem fragilitatem, quæ est in corpore, cerni etiam in anima nostra? vnde D. Paulus scripsit nos thesaurum, nẽpe gratiæ, gestare in vasis fictilibus. Tam enim multa sunt in hoc mundo pericula lapsus, tot sunt vbique laquei à mundo, carne, & dæmone ad irretiendas animas dispositi, vt Propheta dixerit. *Pluet Deus super peccatores laqueos.* Quos aliquando in visione conspiciens S. Antonius exclamauit. *O Domine, quis tandem euadet omnes istos laqueos?* Hinc est, quod tot animæ pereant quotidie, sic vt B. Bernardus non vereatur dicere, sicut ex decem nauibus in Oceano vix vna in portum peruenit sic ex decem animabus vix vnam loqueos mundi euadere, & ad vitam æternam peruenire. Nec in cœlo securitas fuit, vnde cecidit Lucifer cum tot angelorum millibus. Nec in paradiso, vnde expulsus est Adam cum Eua, nec in schola Christi, in qua periit proditor Iudas, nec in primo cætu Christianorum, in quo Ananias cum Sapphira extinctus est, vt discas te, etiãsi in sanctissima religione viuas, necdum esse securum.

2. Cor. 4. Psal. 10. Athã. in vita

3. Considera causam cur Deus tam fragilem humanam vitã esse voluerit, nempe vt ea ob oculos posita citius à peruersa vita resipisceres: quod enim alius est interstitium inter te & tartarum, nisi cadum? fragilis ista tua vita? quę hodie florés, cras forte exarescet? Quod vt melius intelligas imaginére tibi te videre hominem alicui è tenui filo pendentem, cui subiectus sit puteus profundissimus: & cogita quam ille in metu sit, ne filo rupto in illum corruat: quid nõ offerat, vt periculo illo eximatur? In non minori ruinę periculo, imo maiori est, quiuis homo existens in peccato mortali, filo n. vitæ semel rupto corruet in puteum altissimum inferni, in flammas perpetuas è quibus nunquam emersurus est. Quis vero in tanto periculo luxuriari, voluptati indulgere, nisi queat?

MEDITATIO V.

De miseria inconstantiæ vitæ humanæ.

4. Considera vitam humanã illam esse que habere miseriam, quod mutabilis

sit,& inconstans. Vnde Iob. *Homo*, inquit, *natus de muliere, breui viuens tempore, multis repletur miseriis: qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodē statu permanet.* Homo enim nunc sanus est, mox æger, nunc lętus, mox tristis, nunc quietus, mox turbatus: nunc dubius, mox certus; nūc timidus, mox audax, nunc vult, mox non vult, nunc ridet, mox flet. Breuiter, tot sunt mutationes, quot occurrunt circumstantiæ, & accidētia, vt nec luna, nec Euripus vllus sæpius mutetur. Mare non mouetur, nisi cum vēti mutantur: sed in homine sunt continuę mutationes, siue sæuiant venti siue tranquilla sit malacia. t. 14.

2. Considera hanc mutabilitatem maximè cerni in Saluatore nostro, qui quo die cum maximo gaudio populi receptus est in vrbem Hierosolymam, eodē ab omnibus sub vesperam derelictus est. Prius obuiam processerant Christo cum ramis virentibus, quatriduo verò post aridis ramis percusserunt eius caput. Ante vestimentis suis se exuerunt, vt sternerent in via; post vero eum vestibus propriis spoliarunt, vt flagellarent & crucifigerent. Prius clamabant, Benedictus qui venit in nomi-

ne Domini: paulo post autem acclamarũt Pilato Reus est mortis, crucifige eum. Nõne hæc magna & subita fuit mutatio? Hinc disce, quis sit exitus honorum & dignitatum huius seculi: nec amplius confide eius amicitiæ & prosperitati, quia inconstans est & mutabilis. Cõfide autẽ in solo Deo, eiusque gratia & amicitia: Ille enim solus immutabilis est, & verus amicus in adversis æquè ac prosperis.

3. Considera quanta mutatio & vicissitudo sit etiam in rebus maximis huius vitæ, vt in regnis & imperiis. Monarchia huius mundi cæpit quidem in Assyrijs, sed non perstitit diu, migrauit enim ad Persas, & paulo post ab his ad Lacedæmonios, & ab his ad Romanos, àquibus tandem translata ad Germanos. Quod si imperium, in quo summa totius mundi dignitas cõsistit, tot ties translatum est, quid in hoc mũdo firmum esse potest & stabile? 2. considera vt Ioannem scribere tres columnas, quibus

1. *Ioan.* insistit mundus, tremere & transituras o-

2 *mne*, inquiens, *quod est in mundo, est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, & transit mundus & concupiscentia eius.* Quis ergo non fugiat ex illo? nemo enim manet in domo mundi æternum.

MS.

MEDITATIO VI

De miseria fallaciæ vitæ humanæ.

CONSIDERA. hanc miseriam longe peiorem esse superioribus, nam vt vulgo dicitur. Ficta sanctitas duplex est impietas: sic ficta apparensq; felicitas duplex est miseria. Vnde enim tam longa Dei nobis subrepit obliuio, vnde diuitias tanto studio quærimus, ad honores anhelamus, nulla mortis cura tangitur, nisi quod falso persuademus vitam fore diuturnam, & cassa spe annorũ multorum spacia nobis pollicemur? *Quotidiè*, inquit B. Hieronymus, *morimur, & quotidie commutamur, & contra fidem atque experientiam ipsam nos esse æternos credimus* Et iterum. *Nemo enim tam fractis viribus, & sic decrepitæ senectutis est, vt non putet se adhuc annum vnum superuicturum.* Denique de vita haud secus iudicamus, quam si eius breuitas vel longitudo esset in arbitrij nostri potestate. 3. *Ep. ad Nepot.*

Considera, de officijs honoratis & dignitatibus, ac omnibus voluptatibus quã blanda specie se nobis offerant; & quot confestim, vbi ea receperimus, afflictionibus, periculis, curis, inuidijs & laboribus

sint obnoxia Virgo gaudens pergit ad ædes sui sponsi, non enim videt aliud, quam quod foris apparet: at si videret sementem miseriarum quę illo die seminatur, iustiorem causam haberet plorandi. heu quot molestias illa feret? quot noctes insomnes ducet, quot in re domestica patietur difficultates. 2. cogita, si mundus tibi hic blandiatur, id fieri, vt te fallat. si exaltet, vt deiiciat, si exhilaret, vt postea magis affligat. Dat multa bona, sed cum felle & dolore mixta. Dat tibi liberos, vt gaudeas, sed postea tollit, vt gaudium compenset maiori luctu. Et nescio, quomodo naturam comparatum sit, vt magis semper affligant mala, qnam exhilarent eius bona.

3. Considera omnem hāc fallaciam oriri ex nimio amore nostri ipsorum, qui excæcat nos, vt apparentia bona semper veris anteponamns. Quia enim nimium amamus hāc vitam, odimus mortem, imò nec ferimus de ea mentionem fieri, & ideo non possumus nobis persuadere eam esse vicinam, ne in mœrorem aliquem ex cogitatione incidamus. Hinc fit, vt alios cito morituros facile credamus, nos autem nos: nempe quia non ita tenemur illos, quam nosipsos diligimus. 4. Con-

deri,

dera, & aliam esse causam huius fallacis opinionis, quod plus æquo fidamus vel ætati, vel viribus & sanitati corporis, & non consideramus mille modis hominibus licet sanis quotidie abbreuiari vitam.

MEDITATIO VII.

De multitudine miseriarum huius vitæ.

CONSIDERA, breue, incertum, & fallax, quod in vita nostra est, variis multisque corporis & animæ miseriis esse permixtum, sic vt mors potius quam vita appellanda sit. Vnde recte Sapiens. *Occupatio*, inquit, *magna creata est hominibus, & iugum graue super filios Adæ, à die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ in matrem omnium* 2. consídera nullum temporis punctum præterire, quo non ad mortem festinemus. *Hoc ipsum*, inquit sanctus Hieronymus, *quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur, quot puncta notarii, tot meorum damna sunt temporum.* Et si vita nostra aliud non est, quam iter ad mortem, Ecc. 40.

& hora mortis eadem sit quæ iudicii, quid vita nostra est, nisi iter ad horrẽdum Christi tribunal, qui potest corpus & animam mittere in gehennam?

2. Considera, etiamsi vita nostra brevis sit, breuisq; eius voluptas, longam tamen reuera esse propter innumeras miseriat. eoq; longiorem, quominus nos miseros, velut phrenetici, agnoscim⁹. Quoties homo timore, mœrore, dolore exagitatur, etiam sine vlla causa, vt possit dicere cũ Iob. *Iob.7.* *Quare posuisti*, ô Deus, *me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis?* Quantas molestias & labores sustinet homo, antequam panem lucretur? Auiculæ aliaq; bestiæ sine sudore necessaria sibi parãt. solus homo noctes diesq; sudare debet, *per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.* 2. considera homini illud Psalmi verè cõuenire. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* id *Ps.89.* est, nos in annis nostris velut aranea meditamur. Aranea enim vt victum sibi parare se totam euiscerat, & noctu diuque in reti texendo laborat, & tandem quid capiti vilem musculam. Sic homo noctu diuque laborat pro vili lucello, & tandem vix panem sibi liberisque necessarium parat. 3. considera, vt homo liber sit à labore & cu-

M 3 a.

ta, aliunde tamen alias ei obrepere miſe-
rias, primó innumerorũ morborum, qui-
bus pleni ſunt Medicorum libri, deinde
bellorum, caritatis annonæ, terræmotuũ,
eluuionum, furtorum, aliorumque infor-
tuniorum à beſtiis & ipſis hominib Quot
enim quotidie homines in bellis & extra,
gladio, bombardis, aliisq; armis ab homi-
nibus conficiunrur? Iulius Cæſar paucis
copiis plus quam decies centena hominũ
millia trucidauit, & tamen omnium Im-
peratorum clementiſſimus dicitur. Quid
feciſſet, ſi fuiſſet tyrannus.

Conſidera, pręter hæc omnia, ſingula- 3.
rum ætatũ proprias miſerias. Quid aliud
eſt infans, niſi beſtiola rationis expers in
ſpecie humana; quid adoleſcẽs, niſi equus
indomitus, vel vitulus? quid ſenectus, niſi
omnium morborum & moleſtiarum ſac-
cus? Senex deſerit mundũ, & à liberis ſuis
deſeritur, deſerunt eum propria membra
& ſenſus: deſerit & ſeipſum, cum ſæpe deli-
rus ſit & ratione vti neſciat. Et tamen o-
ptant omnes, quacunque in ætate ſint, fie-
ri ſenes. 2. Conſidera, nullum hominem
ſua ſorte eſſe contentum, quantumuis ſit
potẽtiſſimus. Quot imperatores ſe ſponte
imperio abdicarunt? Quot Epiſcopi E-

Episcopatu? viuunt homines omnes, sicut infirmus, qui nihil aliud agit, quam vtse ex vno latere in aliud voluat, & reuoluat, sperans maiorem quietem, quam non inuenit, & nescit causam inquietudinis suę esse internam infirmitatem. 3 Considera Deũ tot amaritudinibus miscuisse vitã nostrã vt ad eius fastidium nos prouocaret, & ad vitam æternam omnium miseriarum expertem pelliceret. Si enim iam, cum totę rumnis quotidie obruimur, tam ægrè ex statione vitæ huius discedimus? quid faceremus, si omnia prosperè & iucundè nobis in hac vita succederent?

MEDITATIONES

De Quatuor nouissimis

MEDITATIO I.

De Morte.

ORATIO præparatoria erit. Posito ob oculos Deo rogare eum præsentem, vt omnes cogitationes tuas verba & opera dirigat ad suam gloriam, tuamque salutem.

PRA-

PRÆLVDIVM Imaginare teipsum decũbentem in lecto morti vicinum, à medicis desperatum, deposito ad caput cereo, ad pectus imagine crucifixi, extremam iam animam ducere.

II PRÆLVDIVM. Ora Deum vt gratiã tibi concedat, fructum aliquem ex considerationemortis capiendi.

CONSIDERA, ex vna parte mortem esse certam & ineuitabilem: *Statutum est enim*, ait Apostolus, *hominibus semel mori*: ex alia verò parte quoad tempus & horam locum etiam & modum esse incertissimum. Imò maximè hominem persequi solere, cum minime de eius aduentu cogitat, iuxta illud Pauli. *Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet: cum enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus.* 2. considera quomodo affectum se sentiat is, qui omne suum solatium in vita diuturniore positum habet, quando monetur medicum nullam spem dare vitæ. Talis enim mox obiicit oculis mentis perpetuum suum exmundo exiliũ, videt iamiam se abstrahendum, à parentibus, cognatis, amicis, sociis, fauore Principum, dignitatibus, palatiis, agris, vineis.

I. *Heb. 9.*

1. *Thes. 2.*

Dein-

Deinde, quod longe acerbius, animam vi à corpore tantopere amato auellendam, quam pœnã nullus verbis exprimere potest, quia nullus expertus est, nisi qui extremum spiritum reddidit.

2. Considera, quam anxius idem sit futurus, cum sentiet se incertum de salute. Primo ob multitudinẽ peccatorum. 2. quod tunc multorum recordabitur, ante oblitorũ. 3. quod quæ aliâs leuia visa sunt, tũc grauissima apparebunt. 4. quod tunc maximè dubitabit, sitne in odio vel amore Dei. 5. quod anceps hærebit, an veram de peccatis habeat contritionem: ac tandem ita attonitus sit, vt nesciat, quo se vertat. 6. Considera, si Deum respexerit, imminebit Deus ei iratus, distringens instar vindictæ gladium: si oculos deprefferit, videbit sepulcrum tetrum odorem exhalãs suo corpori paratum; animæ verò, quam negligẽter habuit, apertam inferorum abyssum. si seipsum ingressus fuerit, inueniet turbã peccatorum, quorum conscientia eum æternis addicat suppliciis. Si vero circumspexerit, videbit circumstãtium dæmonũ copias, codicem criminum explicantes, & patulis faucibus in prędam inhiantes. Volet quidem miser fugere seipsum, sed fieri non

non poterit: volet terga vertere, sed non concedetur.

Considera extremum conflictum cum 3. vita, agonem & angorem mortis, quãdo cereus accenditur, & in aurem inclamatur vt corde saltem si non ore, se Deo cõmendet. Quo puncto etiam sanctissimi quiq; magno metu cõcuti solent, vt S. Hilarion clamans *Egredere anima mea, quid times, septuaginta annis seruiuisti Deo, & mori times?* perpende, quomodo tunc totus palescat, extrema manuum pedumque frigeant, oculi concidant, corpus totum sudore madescat, pulsus langueſcat, anhelitus ægre trahatur, pectus constringatur, & palpitet, acmox subeat lethalis oppressio, & aculeus mortis, quo cogitur anima è corpore migrare 3. expende, quomodo anima egressa corpus tam laute & honorificè ante ornatum & tractatum, tam deforme & horribile redditur, vt omnes ab eo intuendo & tangendo abhorreant, ac ipsi amici mox laborent, vt inter quatuor vel quinque asseres cum veteri indusio inclusum in terram à vermibus consumendum defodiatur.

Concludes, colloquio cum Deo, quo petes hæc tuo animo ita infigi, vt dinceps sic

sic vitam instituas tuam, quemadmodum velles instituisse, quando ad agonem mortis perueneris: qui enim bene viuit, non potest non bene mori.

MEDITATIO II.

De morte iustorum & piorum.

Sap. 3.

IVstorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.

1. CONSIDERA mortem, licet in se, vt dictum est, sit horrenda, eam tamen ab hominibus piis & religiosis, qui eam habẽt pro ærumnarum huius vitæ termino, & æternæ felicitatis principio, cum desi-
Ps. 43. derio expectari: qui cum S. Propheta dicunt. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad*
Phil. 1. *te Deus.* Et cum Apostolo: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* 2. considera inde non sequi iustos nõ reformidare mortem naturaliter, cum & Christus, vt homo, timuerit, sed lõge aliter quam peccatores; hi enim causam timendi habent, & læpe de salute desperant,

sperant, iusti verò etsi ex infirmitate naturę, dum mors instat, turbentur, tamē quia sciunt post mortem se felicius victuros, gaudent. Itaque timendo lætantur, & lætando timēt: sicut S. Martinus qui in mortē astanti dæmoni fidenter dixit. *Quid hic in vita. astas cruenta bestia, nihil in me funeste reperies: sinus Abrahæ me recipiet.* Et S Ambrosius, *non timeo mori, quia bonum Dominum habemus.* *Sulp.* *Paulin. in Vita*

2. Considera, iustis dolores & angores ægritudinis & mortis apparere iucundos & dulces, ob ingens, desiderium, quo flagrāt patiendi pro Christo, & pœnas meritas expiandi. Deinde exiguum metum illis ab hoste humani generis, quem dum vixerūt sæpius expugnarunt, posse iniici, contra verò præsto futuram multorum angelorū tutelam & consolationem, Beatam Virginem, atque adeo ipsum non raro CHRISTVM. Tertio, eosdem ob bonæ conscientiæ testimonium, percepta Sacramenta omnia, & fiduciam in diuina misericordia positam tantam sensuros pacem & consolationem, vt omni metu depulso initium quoddam voluptatum patriæ sint degustaturi. Denique nec vllo dolore afficiendos quod diuellan-

tur

lantur ab omnibus rebus creatis, quia iã dudum in vita illis renunciamur, scientes se per illas impediri, quo minus perfectè suo creatori coniungi possint.

3. Considera, eos potius gauisuros, quã tristaturos de separatione animæ à corpore, quia agnoscent eam in illo tanquam in carcere fuisse detentam, in morte autem primò solutam vinculis restitui verę libertati, & auolare in suam patriam. 2. nec de statu corporis sui post mortẽ vllum mœrorem capturos, tum quod certo credant, illud suo tempore cum maxima gloria resurrecturum, tum quod, sicut in vita commoda corporis sectati non sunt, & nudi Christum nudum sequi parati fuerunt, ita etiam ex humilitate gaudeãt illud ex terra factum in terram redire. Vnde S. Franciscus voluit nudus in terra mori, & tamdiu post mortem nudus relinqui, donec milliare vnum confici possit. S. Arsenius vero optauit illud proiici canibus deuorandum post mortem.

MEDITATIO III.

De Iudicio particulari.

1. CONSIDERA animã vita defunctã solam ineuntem iter in regionem ignotã,

tam, vt sistatur iudicio particulari Dei, quod non minus metuendum est quam vniuersale in fine mundi futurũ, quia qualem inueniet Deus hominẽ, inquit B. Augustinus, in suo nouissimo die, talem iudicaturus est in mundi nouissimo die 2. considera quatuor personas in iudicio illo futuras Prima est anima iudicanda, quæ in conscientia descriptam geret totam anteactam vitæ historiam. 2. est Christus iudex simul & testis, atroci vultu animæ impiæ minas & pœnas spirans. 3. sancti Dei summa indignatione eãdem detestantes. 4. dæmones peccata exaggerantes, & bona opera extenuantes, Cogita ad quas angustias redigetur misella anima, quando ipsa conscientia teste veríssimas fatebitur omnes contra se prolatas accusationes.

Considera examẽ ipsum quod instituetur factorum, dictorum, cogitatorum in quo tria sunt metuenda. 1. multitudo rerum de quibus reddenda est ratio: nam *cui plus datum est, plus exigetur ab eo*, 2. iudicis exactissima de singulis inquisitio, & seuera punitio. nam non solum nouissimum quadrantem reposcet, sed etiam de omni verbo otioso & cogitationibus occultissimis rationẽ exiget. 3. accerima iudicis de

2. *Luc.* 12. *Matt.* 12.

Soph. rebus existimatio. *Non enim cogitationes*
1. *meæ cogitationes vestræ, neque viæ meæ, viæ*
vestræ, dicit Dominus Qui studiosus estimi-
ditiei, non potest etiam paruas sordes in
pretiosa veste ferre. Sic Christus ipsa puri-
tas non potest ferre etiam minimas macu-
ma nostra sordes. Nos exigua quædã pec-
cata censemus, quæ Deus grauissimè pe-
2 Reg. nit. Imò pro peccatis habet, quæ nos pec-
6. cata esse non putamus, vt quod Oza Leui-
Psal. 18. ta arcam cadentem attigit. Vnde Dauid
exclamat, *Delicta quis intelligit?*

3. Considera, discussis cognitisq; causis
procedendum ad pronunciationem sen-
tentiæ multis nominibus formidabilem;
1. ob constantiam iudicis, qui nullis pra-
bus, lacrymis, intercessione, vel excusatio-
ne à iusta sententia ferenda deduci potest.
2. ob magnitudinem rerũ de quibus age-
tur, non enim de pecuniis vel agris, sed de
summis bonis vel malis, in omnem æter-
nitatẽ duraturis tractabitur. 3. ob immu-
tabilem sententiam iudicis, quæ nullo iu-
dicio retractari poterit. Deus enim cum
summus sit iudex & qui falli in iudicando
non potest, ab eo non erit ad alium appel-
latio. Secundò cogita, quanta trepidatio
miseram animam inuader, quando eleua-

tamã-

ta manu, conuersis in eam oculis iudex CHRISTVS æternam & irreuocabilem proclamabit sententiam. *Discede maledicte in ignem æternum*, Dei faciem nunquã visurus, nihil boni vnquam à me habiturus. Deus bone, quæ desperatio, qui fletus, quæ lamenta hic erunt? Tertiò, econtra cogita quando gaudio exultabit anima, cum audiet optatissima verba *Veni benedicte Patris mei, posside regnum tibi paratum à constitutione mundi.* Matt. 25.

De iudicio vniuersali.

VIDE Meditationem, 26. Dominicæ post Trinitatis, & primã Dominic. 1. Aduentus.

MEDITATIO V.

De Inferno.

ORATIO præparatoria, vt supra, de Morte.

I. PRÆLVDIVM. Imaginare infernum,

locum esse tenebrosum, vastũ, & profundum sub terra positum instar latissimi putei, pice, sulphure, flamma, fumo, vipeis, bufonibus, & serpentibus pleni, in quo nil audiatur præter gemitus, suspiria, maledictiones tortorum, & eorum qui torquentur cum perpetuo planctu, & stridore dentium. II. *Præludium*. Pete gratiam à Deo, vt cordi tuo grauitatem pœnarum, quas dãnati sustinẽt, imprimat, vt hinc inuenias ad vitanda peccata.

I. Considera, in infelici hoc loco tria genera pœnarum inueniri, pœnam sensus, pœnam damni, & vermem conscientiæ. Quod ad sensus pœnam attinet, scias nullum membrum, nullum sensum esse qui non singulari ibi dolore excrucietur, secundum multitudinem, & grauitatem criminum per illos cõmissorum: oculus impudicus horrendo dæmonum aspectu, aures confusione lamentorum ibi resonantium, nares tetro fœtore: gustus rabida fame & siti; tactus ardore & frigore inexplicabili; memoria præteritarum voluptatum recordatione, & intellectus consideratione bonorum amissorum, & malorum impendentium in omne æuum. 2. considera singulares pœnas, quibus nonnulli puniuntur.

Alia

Alia enim pęna ſuperbi, alia inuidi, auari, luxurioſi, &c. puniẽtur, qua in re maxima apparebit Dei ſapientia & iuſtitia exactiſſime ſingulorum exceſſus debitè caſtigantis. Vnde in Apocalypſi in meretricem ſuperaquas ſedentem, talis pronunciata eſt ſententia. *Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* *Apoc.* 18.

Conſidera pœnam damni abſq; omni comparatione priore maiorem, quæ conſiſtit in viſionis Dei & perpetui cum omnibus ſanctis conſortij priuatione. Et licet omnibus damnatis cõmunis futura ſit tamen acerbior erit Chriſtianis omnibus ac imprimis clericis & religioſis, qui maiorẽ occaſionem habuerunt ad viſionem illam perueniendi. 2. Conſidera & tertiam pœnam, nempe conſcientiæ vermem, qui cõtinenter rodens nunquam cõſumetur, ſed perpetuo ſcelera commiſſa exprobrabit. Ah quę ſuſpiria ab ea erumpent, cum ſentiet tã ſæpe inſtinctus diuinos, quibus ab hoc vel illo malo retrahebatur, & ad bonum incitabatur, repudiatos? Quid cogitabit, cum ob illos neglectos aduertet ſe addictam ardoribus ſempiternis & intolerandis? 3.

Conſidera, ſi omnis moleſtia quantum- 3.

uis breuis, exustio digiti in flamma candelæ modica tibi intolerabilis nunc videtur, quid facies in igne infernali acerrimo ad quem comparatus noster ignis etiam maximus pictus videtur? quid in tanto calamitatum & cruciatuum Oceano, quantum nullus mortalium satis animo cõcipere potest? quid dices, vel audito nomine æternitatis? O æternitas, æternitas, quem tui consideratio non mouet ad malam vitam deserendam, is aut fidem non habet, aut si habet, cor non habet. 2. Considera horrẽdas blasphemias, inquas ob nunquã finiendas pœnas infelices animæ erumpent, & contra Deum tanquam inimicum, & contra Christum, tanquam iniquum iudicem, & contra sanctos tanquam alteri parti nimium addictos. Deinde execrationes & maledicta, quæ euoment filij in parentes, & parẽtes in filios, discipuli in præceptores, quod sua indulgentia has flammas pararint, socij deniq; in socios, quod prauis colloquiis, exemplisque se mutuo seduxerint. Atque hæc tanto fient cũ strepitu & clamore, vt si inter nos tale quid audiretur præ horrore planè vt arentia ligna rigidi staremus.

COLLOQVIO cum Deo meditatio concludet.

eludetur, quo gratiã petemus ſemper ob oculos habendi pœnas æternas inferni, vt eo facilius peccatis abſtineamus.

MEDITATIO VI.

De cœleſti gloria:

ORATIO præparatoria eadem cum ſuperioribus.

I. Præludium Pone tibi ob oculos amæniſſimum, altiſſimum, ampliſſimumq; locum eo ornatu, qui Cœlo Empyreo ineſt, ita nominato, quod luce, pulchritudineq; reliquos cœleſtes orbes ſuperet.

II. Præludium. pete à Deo gratiam, vt intimè gloriam patrię cœleſtis intelligas, quo magis exciteris ad ſeruiendum ipſi in vitæ puritate.

CONSIDERA qualis ſit beatorum locus nẽpe vaſtiſſimus & pulcherrimus, ciuitas nempe immenſa, tota ex auro puriſſimo, cuius mœnia ſint pretioſæ gemmæ & margaritæ, portæ ex ſmaragdis & ſapphyris exciſæ, viæ argenteæ, & inſtar chryſtalli pellucidæ, vbi nulla nox, nullæ tenebræ, nullus æſtus, nullum frigus, ſed ſumma amænitas, vbi Sol iuſtitiæ nunquam oritur, nunquam occidit,

sed amabilem suam lucem mira cum voluptate omnium diffundit. 2. Cõsidera tectum huius machinæ solis, lunæ, errantium & non errantium stellarum tanto splẽdore collucet, qualis erit cœlestis illa patria, vbi aula est magni regis regũ, Dei omnipotẽtis, qui carissimis sibi filiis multo maiora præstare vult & potest, quam nos possimus comprehendere. Ideo dicebat Dauid. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Ps. 83.

2. Considera, qualis illa sit domus Dei, omnino nimirum iucũdissima & amabilissima, vbi omnium bonorum est copia, vbi nec quicquam, quod offendat adest, nec quicquam quod delectet abest, vbi amor perfectus, timor nullus, dies æterna, & vnus omnium spiritus. vbi à facie ad faciẽ contemplãtur sanctissimam Trinitatem, & omnia in illa, eandemque ex toto corde, omnibusq; viribus complectuntur & amant. Vbi sanctissimam vident Christi humanitatem, in quam desiderant angeli prospicere. B. Virginem item, vt matrem Dei, & in gloria Christo proximam; tum angelorum choros, & varios hominum ordines, Apostolos, Prophetas, Patriarchas

chas, Martyres, confessores, Virgines, innocentes, parentes, cognatos, socios, & omnes instar solis splendidos, tantaq; caritate flagrantes, vt nullus minus de aliena gloria, quam de sua gaudeat. 2. Considera multitudinem & plenitudinem gaudiorũ quæ erit in omnib. Tanta enim erit multitudo vt solus Deus ea numerare possit, tanta magnitudo, vt solus Deus norit æstimare, tanta varietas & perfectio, vt nihil habeat hic mundus cum illis comparandum. Summum autem gaudium capient experpetua securitate, quod non solum ab insidiis, dæmonis & mundi liberi sint, sed quod inferni pœnas, ad quas tam multi detrusi, euaserint.

Considera quanta sit futura gloria corporum, habebunt enim quatuor singulares dotes, subtilitatem, agilitatem, impassibilitatem, & claritatem, quæ tanta erit, quod teste Christo, *iusti fulgebunt vt sol in regno Patris*. Nec explicari potest, quanta in voluptate ibi futuri sint omnes sensus, quæ ibi lux, quæ colorũ venustas, qui cõcentus, qui sapores, qui odores. Nam, *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se.* 2. Considera, quanto gaudio

3. Matt. 13. Is. 64.

exilient, qui multos labores in corpore sustinuerint, multa pro Christo perpessi fuerint, ciliciis, disciplinis, ieiuniis se contra tentationes munierint, qui pravis carnis cupiditatibus sedulo restiterint, easq; crucifixerint. 3. Cogita tu quoq; quid hactenus egeris, quid agas, quid agere cogites pro gloria cœlesti: Perpende, quibus mediis vsi fuerint sancti omnes, qui nunc cum Christo in cœlo regnant, vt gloria illa non exciderent, eosque strenuè imitare.

COLLOQVIO cum Deo meditationem conclude, quo petas veniam ob tempus hactenus negligenter actum, & decernas te deinceps velle sedulo percurrere viam mandatorum DEI.

ME-

MEDITATIONES DE SANCTISS. SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

Pro iis, qui crebrius communicant.

MEDITATIO I.

De excellentia Sacramenti Eucharistiæ.

CONSIDERA in isto Sacramento contineri. Primò Christi diuinitatem, fontẽ gratiæ omniumq; donorum spiritualium. *In Christo enim inhabitat*, teste Apostolo, *omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in eo sunt reconditi.* 2. animam Christi, omnis sapientiæ, gratiæ, & virtutũ pleniſſimam, omnes creaturas corporales & spiritales pfectione superantem. 3. sanctiſſ. Christi carnem à Spiritu sancto ex puriſſima carne, sanguineq; gloriosæ Virginis Mariæ formatã, & hypostaticè diuinitati vnitam 3. sanguinẽ sacratiſſimum, à Christo primum adhuc infantulo, dum circumcideretur, deinde verò 1. Col. 2.

vero in ara crucis copiosissimè effusum, vt tu discas quoque circumcidere & resecare prauos tuos affectus, & inordinatas animi perturbationes mortificare.

2 Considera, excellentiam huius sacramenti posse nobis constare. Primo, quia Deus illud in veteri testamento præstantissimis figuris præmonstrauit, vt panis & vini à Melchisedec oblati Abrahæ, panum propositionis, panis subcinericij Heliæ, agni Paschalis, Mannæ arcæ fœderis, & farinę Helizæi. 2. variis nominibus appellauit in testamento nouo, vt panis, potus, carnis & sanguinis, Eucharistiæ, communionis, corporis Domini, calicis, viatici, sacramenti, sacrificij 3. multis admirandis miraculis variis locis & temporibus illustre reddidit. 4. quia angeli magno numero, vbi hoc sacramentum conficitur, & reuerẽtia, vt loquitur B. Chrysostomus, assistunt, & supplices illud venerantur. 5. quia omnes S. Patres multis laudibus illud prosequuntur, & pro nobilissimo mysterio, imo omnium sacrificiorum veteris testamenti complemento prædicant. 6. quia Ecclesia non solum quotidie illud conficit, & ad venerationem conseruat, sed etiam sollennibus festis & processionibus

quo

quotãnis celebrat. 6 quia nihil ęque horrent dæmones ac Euchariſtiam.

Conſidera miracula ſtupenda, quæ ſũt in hoc vno ſacramento. Primó enim conſecratione à ſacerdote peracta panis in corpus Domini, & vinum in ſanguinem tranſubſtantiatur, imò vtrumq; in totum Chriſtum, vti iam eſt in cœlo. 2. accidentia panis, vt quantitas, figura & qualitates ibi manent ſine ſubiecto. 3. licet hoſtia variis modis afficiatur, pũgatur, comedatur, caleſiat, &c. nihil tamen inde patitur corpus Chriſti, quia eſt incorruptibile, ſicut in cęlo. Quarto, vnũ corpus CHRISTI non ſolum eſt in duobus locis ſimul, vt in cœlo & in altari, ſed in mille, id eſt, vbicunq; ſunt hoſtiæ. 5. nec ſolum eſt totus Chriſtus cum carne, anima & diuinitate in hoſtia, ſed etiam in qualibet hoſtiæ parte, ſi forte frangatur. 6. totus eſt in minima etiam particula, quæ ſpeciem panis vel vini retinet, cum omni ſua quantitate & accidentibus. Et alia plura. Quæ omnia Chriſtus fecit ex ſolo amore tui, vt tecum eſſe poſſet, tibiq; prodeſſe. 3.

MEDITATIO II.

De causis institutionis huius Sacramenti.

1. CONSIDERA, primam & præcipuam causam esse, vt declararet quãto amore nempe infinito & immenso nos prosequeretur, vnde Ioannes de vltima cœnaturus. *Cum*, inquit, *dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Dedit enim CHRISTVS nobis in hac institutione, non aurum non gemmas, sed thesaurum omnium thesaurorum, corpus suum & sanguinem, animam & dininitatem, DEVM & hominem, quo nihil maius & præstantius pari potuit. Secundò, hoc donũ nobis præparauit eo tẽpore, quo Iudæi præparabant virgas, spinas, contumelias, blasphemias, spinas, clauos, crucem, & omnis generis tormenta CHRSITO. Vnde intelligis, quantum obstricti simus viciſſim amare donum & donatorem, & crebro hoc Sacramentum vsurpare.

Ioã. 13.

2. CONsidera, alteram causam esse vt nobis viuam suæ passionis, imo totius vitæ memoriam relinqueret. Vnde & præ-

cepit

cepit dicens. *Hoc facite in meam commemorationem.* Tertiam vero, vt sua præsentia reali & perpetua continuo solatio sponsæ suæ, quæ est Ecclesia, & cuique animæ fideli esset. Quartam, vt membra capiti in vno corpore coniungeret, sic vt illud membris semper posset se communicare, & in ea influere, sine quo influxu illa mortua essent. Quintam, & hac esca & potu spiritali suæ sanctissimæ humanitatis nos inuitaret & traheret ad contemplationem & amorem suæ diuinitatis. *Matt. 26.*

Considera, & alias causas, vt sextam, ad conseruãdam scilicet vitam nostram spiritualem, cum iste panis sit spiritualis, qui facit nos crescere in spiritu: sicut & cibum corporalem nobis prouidet, vt crescamus in corpore. Septimam, vt medicinam nobis contra quotidianas infirmitates id est, contra peccata relinqueret, sicut & reliquit contra vulnera & morbos corporum. Octauam, vt non careremus sacrificio vero ad diuinam maiestatẽ placandam, quam quotidie offendimus: & ad gratias agẽdas pro beneficiis, qnæ indies recipimus. Nonam, vt nobis occasionem præberet admirabili modo exercendi tres 3.

virtu-

virtutes Theologicas, fidem, spem & caritatem, cum in hoc sacramento id maxime requiratur. Decimam & postremam, vt intime ipsi Deo coniungeremur, quippe cum ipse sit huiusmodi cibus in hoc sacramento, qui manducantem in se conuertat.

MEDITATIO III

De dignitate, quæ homini accedit ex hoc Sacramento.

1. CONSIDERA, dum cõmunicas, te fieri templũ Spiritus sancti, & tabernaculum totius Trinitatis, circundariq; infinito angelorum numero canẽtium, *Sãctus, Sanctus, Sanctus.* Vt ergo templum semper debet esse mundum, & ornatum, sic cogita debere esse cor tuum purum & virtutibus ornatum. 2. animam tuam fieri thecã reliquiarum corporis & sanguinis Domini, quę longé omnes sanctorum reliquias excedunt. Vt ergo eiusmodi thecæ sunt aureæ & argenteæ, margaritisque & gemmis ornantur, sic cura, vt anima tua auro caritatis, & argento castitatis, & aliorum donorum cælestium gemmis sit instructa.

2. Considera te communione fieri quasi matrem

matrem DEI, sponsam IESV, fratrem Christi, imò B. Virginis filiũ. quoties enim communicas, gignis in te Christum, & gigneris á Christo, quia corpus tuũ & animam tuam in suam carnem transformat. Operam ergo dare debes, vt & imiteris B. Virg. maximè in humilitatis virtute, qua facta est mater Dei. 2. te fieri sepulcrum viuum Christi, non mortui, sed viuẽtis, in quo non tantum 40. horis, vt in illo lapideo, sed perpetuo quiescat. vt ergo sepulcrum illud erat nouum & mundũ, & corpus Christi inuolutum in syndone mũda continebat, (vnde & in altari ponitur in corporali mundo) sic cura animam tuam ante communionẽ semper expurgari ab omnibus peccatis etiã venialibus, omnibusque carnalibus affectionibus.

CONSIDERA te, dum cõmunicas, fieri 3. hospitem Christi. Si Christus cum adhuc degeret in terra, vel semel in domũ tuam diuertisset, certe beatissimum te reputasses. Quanto beatior nunc es, dum quoties voles, nõ in domum, sed in corpus & animam tuam, eumque immortalem & glorioſum recipis, nec solum benedictã eius vestem vel carnem tangis, manusque vel pedes oscularis, sed ore ipso sumis & intri-

mè complecteris. 2. fieri te ex crebra communione Dei aulicum & cubiculariũ, assidere mẽsæ regiæ, & vesci epulo pretiosissimo cárnis & sanguinis Domini. Nulla vnquam mater inuenta est, quæ carne sua pauerit proprium filium: at Deus hic proprij filij carnem manducandam apponit. Vide ergo quã debeas esse humilis, verecũdus, comptus, & omni virtute ornatus.

MEDITATIO IV.

De effectibus & fructibus huius sacramenti.

1. CONSIDERA, te quoties corpus Domini sumis, os applicare lateri Christi, & sanguinẽ eius pretiosissimũ exsugere, vt loquitur S. Chrysost. ac ideo participem fieri spiritus Christi, omniumq; virtutum. Vt enim qui cibum sumit, eum sibi eiusque vim sibi propriam facit, sic qui Christũ sumit eius bona & dona sibi propria facit. Vnde sicut patriarcha Iacob indutus vestibus fratris Esau benedictiones eius accepit, sic nos induti carne Christi omnes benedictiones spirituales hæreditamus. 2. considera, omnia mala per com-
n[illegible]nẽ pelli, vt peccata venialia, & ali-
quan-

quando mortalia, cum sunt occulta & incognita, concupiscentiam carnalem minui, tribulationes leniri, pœnas Purgatorij alleuiari, & dæmones fugari.

CONSIDERA per communionem gratiam in anima mirificè augeri, intellectū illustrari, voluntatem accendi, cor cōfortari, conscientiam exhilarari, amorē mundi in Dei amorem conuerti, deuotionem excitari, familiaritatem cum Deo iniri, pignus diuinę gloriæ accipi, omnes virtutes capere incrementum. 2. eiusdem beneficio te posse & debere multas exercere virtutes, quas abstinendo à sacramento non exerceres; nam qui cōmunicare vult, primo templum adit. 2. cogitat de vita emendanda. 3. dolet de peccatis. 4. humiliter confitetur, & absolutionem cōsequitur 5. pœnitentiam iniunctam explet. 6. orat deuotius. 7. ædificat proximum. 8. exercet actus religionis. 9. profitetur fidem. 10. exercet actum amoris erga Christum. 2.

CONSIDERA quot millibus hominum in mundo ignotus sit hic thesaurus, & vt notus sit multis, quam pauci illum quærant, Et vt voluntas sit quærendi, tamen deest occasio: ac vt sit, non permittantur 3.

ea vti. Quot sunt in Germania sola, qui optarent vel micas de mēsa Domini colligere, & copia non datur? Quot reputarent se beatos, si vel semel in mense possent esse conuiuæ Christi? Imò quot monachis & monialibus potestas communicandi adempta est? 2. considera, si nobis Dominus dedit, quod tot hominibus negauit, & quotidie negat, quantas debemus pro tam singulari beneficio agere gratias? Et q̄minus dignas reddere possumus, eo pluris debemus hoc sacramentum facere, & crebrius frequētare, vt ipsemet sibi in nobis, & p̄ nos eas reddat gratias, quas nos reddere deberemus.

MEDITATIO V.

De præparatione ad communionem.

1. CONSIDERA à Scriptura sacra moneri de hac præparatione verbis & exemplis. Verbis, nam in primo Regū dicitur. *Præpara te Israhel in occursum Domini Dei tui, quia ecce veniam, & manebo medio tui.* Et in epistola B. Pauli *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Quam probationem Ecclesia intelligit de confessione & confessione sacramentali peccatorum.

1. Reg. 7.

1 Cor. 11.

torum mortalium. Exemplis verò. Quia si ad mãducandũ panes propositionis, qui erant typus S. Eucharistiæ tanta munditia requirebatur, & ad sumendum agnum Paschalem opus erat tot ceremoniis. Si Ioannes Baptista indignũ se reputabat, vt tangeret Christum, & Petrus, vt secum esset in uaui, ac Centurio, vt intraret sub eius tectũ, quomodo nos digni erimus sine præparatione? Certe de primis Christianis, qui quotidie communicabãt in Actis scribitur, quod multitudinis credentium cor vnum erat & anima vna, & perseuerantes erant in oratione. 1. *Reg.* 21. *Exod.* 12. *Matt.* 3. *Act or.* 4.

Considera, si natura & ars longè melius opus producant, quando materia prius bene est disposita; & si homines huius seculi honoratissimè se vestiant, dum inuitantur ad nuptias; atque item magno studio se comparant, quando princeps aliquis vel dux hospitio recipiendus est, quid nõ facere debeamus, cũ suscipiẽdus est rex regum. & dominus dominantium maximè cũ nõ veniat, sicut Principes terreni, vt tantum hospitio suscipiatur, sed vt animam tuam cœlestibus donis ornet ac locupletet? Deinde, si in communione anima nostra cõiungitur Deo, sicut reuera 2.

coniungitur, quomodo dignè fieri potest ista cõiunctio anima existente impura, & tepida, cum Deus sit purissimus, & ignis consumens?

3. Considera, animam vt Deo dignè coniungatur primo purgandã esse à peccatis, maximè lethalibus, ne iudicium sibi manducet & bibat, idq; per contritionem, confessionẽ & satisfactionem, actimorẽ extremi iudicii & pœnarũ iuferni. 2. ab omni auersione à proximo, contentionibus & rixis, memor verborum Christi. *Mat. 5.* *Quando offers munus tuum ad altare, & ibi vade reconciliari fratri tuo* 3. ab omnibus affectibus inordinatis, & rerum terrenarum cupiditate, vt per amorem animæ Deo, à quo recessit iterum purè vniri possit, ab omni turpium cogitationum specie, quia corpus sumitur purissimum; imò ab omnibus peccatis venialibus, quia deuotionem impediunt. 2. considera cum Centurione te esse omnino indignum sacra communione, & ideo supplex precare Deum, ne respiciat tuam indignitatem, sed dignum te secundũ magnã misericordiam suam, mouendo ad veram contritionẽ faciat. *Psal. 50* *Cor contritum enim & humiliatum Deus non despicit.* Fatere te infirmum

monti-

mortique vicinum, & ideo confugere ad medicum: pauperem & mendicum, & ideo pulsare ad ianuam diuitis: esse filiũ prodigum, & ideo te in terram prostratum clamare. *Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.* Luc. 15.

MEDITATIO VI.

De fine vel intentione communicantis.

CONSIDERA, inter ea quæ ad præparationem sunt necessaria, principẽ ferè tenere locum rectam intentionem vel finem, quem in cõmunicando habere debes. *Si enim oculus tuus fuerit simplex,* ait Christus, *totum corpus tuum lucidum erit: si autem fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* 2. [considera intentionem vitiosam vel certe minus laudabilem esse posse. 1. si communicares, vt mundo habereris pius & sanctus. hæc enim esset hypocrisis & vana gloria. 2. si principaliter communicares ad impetranda bona terrena: nam cum huius sacramenti cibus sit spiritualis animæ, non debet primario referri ad caduca & terrena. 3. si primario spectares consolationem vel voluptatem spiritalem, quia talis intentio nascitur ex Matt. 9.

amore proprio. 4. si tantum id faceres ob consuetudinem, vel quia alii id faciunt.

2. Considera, rectam intentionem esse posse. 1. si communices ad obtinendam remissionem peccatorum, quia hoc sacramentum etiam est sacrificium, quod offertur pro peccatis. 2. vt libereris à graui aliquo malo, afflictione, tentatione, vt impetres singularem aliquam gratiam vel donum spiritale. 4. vt gratias agas pro beneficiis temporalibus, & spiritualibus tibi, aliisque collatis. 5. vt colas laudesq; Deum & Sanctos cum hoc sit sacrificium omnium maximum. 6. vt tanto familiarius te coniungas ex amore cum Christo, & fias vnum cum ipso. 7. vt iuues proximos viuentes & defunctos. 8. vt Christo gratum præstes officium, quem scis summo desiderio teneri vt nobiscũ sit. *Delitiæ meæ*, inquit alicubi, *esse cũ filiis hominum.*

S Bon. in o. pus. de Missa.

Prou. 8.

3. Considera, ex omnibus finibus optimos esse eos ob quos præcipuè est institutum hoc sacramentum. 1. est, vt haberes memoriale passionis Dominicæ, & ideo Christus dixit, *Hoc facite in meã commemorationem.* 2. est, vt sicut cibo corporali corpus, ita hoc spiritali cibo anima pasceretur. Vnde Christus. *Qui manducat hunc*

Ioa. 6.

hunc panem, viuet in æternum. Et: *nisi manducaueritis carnem filii hominis, nō habebis vitam in vobis.* 3. est, vt transformareris in Christum, vt esses in Christo, & Christus in te. *Qui manducat meam carnem,* inquit ipse, *& bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.* 4. est & primarius, vt imbibas spiritum Christi, per quem viuamus, inquit S. Bonauentura, cum illa humilitate, caritate, obedientia, amore paupertatis, mortificatione corporis, contemptu mundi & desiderio multa patiendi, sicut Christus vixit.

MEDITATIO VII.

Quid in ipsa communione & post eam considerandum.

CONSIDERA summo mane eius diei quo communicabis, Dominū magno desiderio te in Ecclesia expectare, vt in anima tua requiescere possit: Deinde adeundo illam cogita, quanto gaudio efficiatur angelus tuus custos, dum te comitatur eūtem, vt suum tuumq; Dominū hospitio recipias. Tertio eandem ingressus cōspecto altari, in quo est sacramentū, humilem illi in corde exhibeas reuerentiam auxiliumque B. Virginis aliorumve San- 1.

ctorum patronorum tuorum inuoca, vt te postea ad communionem euntem comitentur & gratiam dignè, & cum fructu communicandi tibi impetrent.

2. Dum accedis altare cogita tibi dici, *Ecce sponsus venit: exite obuiam ei.* Venit ille plenus desiderio tecum manendi, plenus caritate, benignitate, & omni bono. Tu quoque illi obuia plenus deuotione, gaudio, reuerentia, & humilitate, dicens cum B. Virgine, cum esset conceptura Christum. *Ecce ancilla,* ecce seruus Domini, *fiat mihi secundum verbum tuum.* 2. dum iam sumis, tecum sic loquere. *Vnde hoc mihi vt veniat Dominus meus ad me?* simulq; considera quis ille sit, qui venit, nempe creator & redemptor tuus, ac illud S. Francisci vsurpa. *Deus meus & omnia. Quis es tu & quis sum ego?* adorans interim tota submissione cordis eum tanquam Deum.

Matt. 25.

Luc. 1.

3. Dum ab altari recesseris, age primo maximas Deo gratias, quod dignatus sit animæ tuæ domum intrare. 2. te ipsum tuaq; omnia illi in holocaustum offer, sicut ille se totum tibi obtulit. 3. exerce actus amoris quasi spiritualiter eum amplexando, tangendo, manus & pedes osculando, rogandoque vt tecum maneat. 4. expone

ei mi-

ei miserias tuas, inseruiendi ei desidera, & pete, vt domum tuam optimis virtutib. exornet, gratiamq; largiatur, vt diem illum in omni pietate transigere valeas, ne facile calor deuotionis pereat.

MEDITATIO VIII.

De frequentanda communione.

CONSIDERA, in Ecclesia primitiua quæ ab Apostolis gubernabatur frequenter, imò quotidie communicatū esse, à qua frequentia omnem sanctitatem & ardorē spiritus eius Ecclesiæ manasse certum est. Cōstat enim, quo vsus ille postea magis elanguit, hoc sanctitatem populi Christiani plus imminutam. Vnde & hoc seculo, quo multis in locis vsus ille est restitutus, videmus quoque pristinam reflorescere pietatem & ardorem, Ecclesiamque multis nouis sodalitatibus & religionibus augeri.

Considera, cum hoc sacramentum sit animæ cibus, quo ipsa in vita spiritali alitur & roboratur, manifestè cōsequi, quo sæpius hoc cibo alitur, robustiorem & perfectiorem in vita spiritali reddi. Adde, quod sub specie panis & vini Christus id instituerit, vt indicaret nos eo sæpius vti debe-

debere; nam vt panis communis sæpius comestus vitam conseruat temporalem, sic ille spiritualē. Vnde &S.Patres in dominica oratione, per *panem quotidianum* intelligunt S. Eucharistiam. Si autem ratò sumitur, inquit Ambrosius, quomodo est quotidianus? 2. expende, cum hoc sacramentum sit omnis perfectionis & sanctitatis fons, suosque salutares effectus omnibus dignè communicantibus communicet. certum esse, quo quis communicat crebrius, hoc amplius eorum effectuum participem reddi.

3. Considera, cum inter beneficia Christi maxima sit eius passio, nostraque redemptio, nulla re nos magis ingrati animi notam effugere, quam crebra communione, quia hac secundum institutionem Christi illius renouatur memoria. Ioa. 6. Dixit enim, *Hoc facite in meam*, id est, in meæ passionis *commemorationem*. 4 perpende quod Christus se desideret à nobis recipi, & proposita promissioue, quod velit manere in nobis, & vitam æternā donare, ad recipiendum inuitet: non potest igitur fieri, vt verè amemus Christum, vel desiderio teneamur cum illo manendi, si non recipiamus eum sæpius.

MEDI-

MEDITATIONES

De Sacerdotum dignitate, & virtutibus.

MEDITATIO I.

De dignitate Sacerdotum generatim.

CONSIDERA quam præclara nomina à S. Scripturis, & SS. Patribus Sacerdotibus tribuantur. Vocantur enim 1. Angeli Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiã, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* 2. Vicarii Christi. Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* 3. Sol terræ, lux mũdi, & lucernæ super candelabra positæ. Matth. 5. 4. pastores, doctores, & dispensatores mysteriorum Dei Ioan. 10. & 21. Eph. 4. 1. Cor. 4. 5. Episcopi, Pontifices & Præpositi. 1. Tim. 3. Tit. 1. Heb. 5. 13. 6 mediatores inter Deũ & homines, clauigeri cœli, cubicularii Christi, principes populi, primitiæ Domini, primogeniti Israhel. 1.

CONSIDERA quanto honore affecti fuerint, tum in veteri, tum in nouo testamento, imò etiam apud gentiles. Nam in veteri 2.

veteri hæreditatem non habuerunt inter cæteros Iudæos, vt est Num. 18 sed Dominus erat hæreditas eorum. In nouo quoq; ex redditibus Ecclesiis vel cænobiis piè oblatis vitam traducũt, ideo clerici dicti, quia in sortẽ Domini vocati sint, vel quia pars Domini, & ideo singulari quodam ritu à solis Episcopis ad hunc gradum Deo consecrantur. Sed nec vllus sibi hunc honorem assumere potest, nisi vocatus sit à Deo tanquã Aaron. Heb. 4. Deinde: Constantinus Imperator tantopere eos veneratus est, vt dixerit. Si Sacerdotem videre peccãtem cum fœmina, pallio meo cõtegerẽ S. Martinus Episcopus Turon. prandẽs cum Cæsare, prius socio suo, quod esset sacerdos, poculum porrexit, quã Cæsari. B. Ambrosius dicit regũ ac Principũ colla genibus submitti sacerdotum, eosq; osculata eorũ dextera credere se eorũ orationib. adiuuari. B. Gelasius Papa in epist. ad Anastasium Imperatorem. Duo sunt, inquit, Imperator, quib⁹ principaliter hic mundus regitur. Auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas, in quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quãto etiam pro ipsis regibus hominum in diuino examine sunt reddituri rationem.

Sulpit in vita.

t. c. 2.

Considera, sanctissimos quosque ob summam eius dignitatem refugisse sacerdotium, vt S. Antonium, S. Pachomium, S. Benedictum, & S. Franciscum, cui hærenti, an fieri deberet sacerdos, cum esset diaconus, in via occurrit angelus, gestans vitrum pellucidū clarissimo liquore plenum, dixitque sacerdotis animam similē esse debere illi liquori. Vnde ille sacerdos fieri noluit, quia tantam suę animæ puritatem esse non putauit. Multi quoq; sancti & ætate prouecti eremitæ monasteria deseruere, ne ad sacerdotium proucherētur: alij verò iam ad illud prouecti, vel etiam ad Episcopatum, in remotas terras abierunt, ne agnoscerentur, vt Ioānes Silentiarius, & alij. S. Marcus quoque dicitur sibi abscidisse pollicē, ne fieret sacerdos, & S. Ammonius aures, ne fieret Episcopus. 3.

MEDITATIO II.

De causa dignitatis Sacerdotum nouæ legis.

Considera dignitatem sacerdotum nouæ legis, sumi ex duplici potestate illis collata, ordinis & iurisdictionis. Ratione ordinis possūt cōsecrare corpus & sāguinem 1.

nem Domini: ratione Iurisdictionis possunt homines absoluere à peccatis, & Ecclesiam gubernare. 2. expende quam admiranda sit illa potestas consecrandi. Magnum beneficium credimus præstitũ Iosue, quod imperio suo fecerit sistere Solem, *obediẽte Domino*, vt loquitur Scriptura, *voci hominis*, sed multo maius præstitum est cuique sacerdoti. Ille enim fecit stare solem, vbi ante erat, at sacerdos sistit Christum in cœlo existentem, vbi ante nõ erat, id est, in altari. illi creatura obediuit, huic creator. illi sol semel loquẽti obediuit, huic Deus, quoties verba consecrationis eloquitur, obedit. Quis sacerdos tam stupidus est, qui considerans tam stupendam Christi erga se obedientiam, summi Regis ad subditum, Dei ad creaturã, non vicissim libenter obtemperet Dei mãdatis? Quis cum B. Ioanne Baptista non dicat: *Ego à te debui baptizari*, tibi debui obedire, *& tu venis ad me*, tu mihi obedis?

Ios. 10.

Matt. 3.

2. CONSIDERA honorem qui ante incarnationẽ datus est angelis, vt in persona Dei dicerent. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob*, nunc deferri omnibus sacerdotibus, qui apud Malachiã etiam vocãtur angeli. Nam non in persona

Exo. 3. Actor. 7.

sua,

sua, sed Christi dicunt in consecratione Eucharistiæ. *Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei.* vnde sunt quasi Vicarii Christi & quasi Christus ipse. Quod qui cogitat, quomodo non potest non vitam ducere sanctissimam, ab omnibus sordib. impudicitiæ alienam? Quid enim Christo sanctius? Quæ conuentio Christi cū peccato & Belial? 2. considera, præsepe, crucem, sepulcrum, domū Bethlehem, quia attigerunt Christum, res sanctas haberi, ad quas spectandas, tangendasque homines longa itinera conficiunt, cur ergo non sit sanctus sacerdos, ad quem Christus non tam mortalis, sed immortalis & glorioſus quotidie diuertit? Matt. 26.

Considera, quanta dignitas sacerdoti accedat ratione potestatis & iurisdictionis cum priori coniunctæ, nempe vt parē quasi potestatem cum Deo obtineat, nempe remittendi peccata & ligandi. Dei enim solius est remittere peccata, & infundere gratiam, & tamen tam efficax ei potestas ea dimittendi data est, vt quæ ipse dimiserit, dimissa etiam sint in cœlis, & quæ ille ligauerit, ligata sint etiam in cœlis. vt liquet ex cap. 16. & 18. Matthæi. Ac proinde dum confitentes absoluit, diserte dicit.

Ego absoluo te ab omnibus peccatis tuis in nomine patris, & fil. & S S. Vnde sequitur eius linguam esse clauem, qua clauditur infernus & cœlum aperitur. 2. considera eundem sacerdotem esse constitutum mediatorem & sequestrum inter Deum & homines vt sacrificia offerat pro hominũ peccatis, vt precibus suis iram Dei auertat, vt verbo & exemplo oues sibi subiectas pascat, & animam suam pro salute earum curãda ponat, cum obligatione rationem reddendi in die iudicii, si vel vna earũ pereat. Vnde fit, vt, cum in Ecclesiam ab omnib. conuenitur, toto populo in genua procumbente solus sacerdos erectus steet ad altare, velut pro toto populo vnus decertans. Quis vero tam ingratus sit, vt considerans in quam sublimi gradu à Deo sit collocatus, adhuc se abiiciat in lutum peccatorũ, & fiat sacerdos, sicut populus?

MEDITATIO III.

De virtutibus, quas inesse sacerdoti vult Apostolus Paulus, 1. Tim. 3. & Tit. 1. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, &c.

CONSIDERA nomine Episcopi intelligi sacerdotem, maximè Curarum, ve-

qui

qui aliorum curam gerit. Episcopus enim græcè, latinè idem est, quod superintendens, itaque possunt eo nomine quoque intelligi confessarii, & concionatores, quorū est saluti aliorū promouēdæ incūbere. 2. considera has virtutes requiri à B. Paulo in sacerdote. 1 vt sit sobrius, in potu. 2. prudens prudentia spirituali, & moderatus, ne manus cito imponat ordinandis vel Ecclesiæ dignitate ordinandis, alioquin enim communicabit peccatis alienis, 1. Tim. 5. 3. ornatus, id est modestus in habitu & incessu. 4. pudicus in verbis & factis. 5. benignus & mansuetus. 6. iustus. 7. sanctus. 8. modestus, non turbulentus. 9. hospitalis. 10. amplectens fidelem sermonem, i e. zelosus in fide catholica. 11. Doctor, & aptus ad docendum, vt potens sit eos qui contradicunt coarguere. 12. continens ab vxore, si quam forte ante ordines duxit. 13. suæ domui bene præpositus. Si quis enim domesticorum curam non habet, est infideli deterior. 1. Timoth. 5.

CONSIDERA, Apostolum item velle Primò, vt sacerdos non sit superbus. 2. non iracundus. 3. non litigiosus. 4. non percussor, vel manu, vel ligua, id est, detractor

& calumniator. 5. non vinolentus. 6. non turpis lucri cupidus, nec auarus. 7. irreprehensibilis, id est, quē nemo iure queat reprehendere, quique nullam det occasionem iustæ querelæ, vel etiam qui nullius mali sibi sit conscius. 8 vt sit vnius vxoris vir, hoc est, qui defuncta vxore priori non duxerit secundam, vel qui plures simul vxores non habeat.

3. Considera ideo tantam perfectionem ab Apostolo exigi in sacerdote, quia, vt omnes Patres docent, quo quis est sublimioris status & ordinis, hoc ad ampliorem virtutum perfectionem tenetur, secundum illud Luc. 12. *Cui plus datum est, plus exigetur ab illo* & Sap. 6. *Iudicium durissimum in his qui præsunt fiet. & potentes potenter tormenta patientur.* & S. Gregorius. Sicut Prælatus, inquit, & tot coronas sibi multiplicat, quot Deo animas lucrifacit, sic si peruersa perpetrat, tot mortibus dignus est, quot ad subditos suæ perditionis exempla transmittit. 4. Considera sacerdotem debere esse omnium virtutum, maximè autem fidei, spei, caritatis in Deum & proximum, humilitatis, pietatis & castitatis, speculum & exemplar: si enim lux est mundi & lucerna super candelabrū posita, de-

3. p. past. admon 5.

Matt. 5.

ta, debet luce doctrinæ suæ, & vitæ exemplaris illustrare omnes: si sal est terræ, debet omnes à corruptione peccati conseruare, si pater & magister omnium fidelium, debet in se ostendere, quod omnes imitentur.

MEDITATIO IV.

De præstantia fidei & spei in sacerdote.

CONSIDERA, sacerdotem imprimis debere esse in fide Catholica Romana, sine qua impossibile est placere Deo, constantissimum & certissimum, quia eius velut Magistri & Pastoris est populum in fidei articulis instruere, eandem contra hęreticos, hoc tempore maximè, diligenter & ardenter defendere, modum item resistendi tentationibus dæmonis, mundi & carnis tradere, imò si necesse sit etiam pro ea sanguinem profundere. Bonus enim pastor animam suam dat pro ouibus suis, in vera fide conseruandis. *Labia sacerdotis*, ait Malachias, *custodient scientiam, & legem Dei requirent, ex ore eius.* 2. considera, hoc præfiguratum in veteri lege Numer. 10. vbi iussi sunt sacerdotes, dum iniretur prælium, inflare tubas, vt earum clango- 1. *Ioan.* 10. *Mal.* 2.

re miles redderetur animosior. Cum autem bella spiritalia periculosiora sint & crebriora, quam illa corporalia, ardentius sanè & frequentius tuba oris sacerdotis inflanda est pro fide & sanctis moribus per conciones & exhortationes. *Victoria enim qua vincit mundum*, secundum B. Ioannem, *est fides nostra*. Et Diuus Paulus in epistola ad Hebræos omnia fortia veterum Patrum facta tribuit eximiæ eorum fidei.

Heb. 11.

8. Considera non solum fidem, qua credimus omnia, quæ Ecclesia Romana credenda proponit, excellentem debere esse in eo, sed etiam spem, vel fiduciam, qua omnia possibilia redduntur credenti; ita vt etiam montes queat trãsferre, vt ait CHRISTVS apud Marcum & Lucam. S. Iacobus autem vult illam fiduciam debere esse firmissimam non hæsitantem, *Qui enim hæsitat*, supple, se impetraturum quæ à Deo petit, *similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur: nec æstimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino.* Vnde Christus fere omnia miracula illis firmæ fiduciæ adscribit. Fiat, inquiens, tibi sicut credidisti, vel fiat secundum fidem tuam. 2. perpende rationem huius esse, quia

Marc. 8. Luc. 17. Iac. 1.

Matt. 8. & 9.

quia sacerdotis maxime est orare pro aliis, & vitam piam, sanctamque instituere, vt possit petita impetrare, quia ad hoc à Deo, tanquam mediator inter Deum & homines est constitutus Heb. 5. Vnde & aliis in genua ruentibus tempore Missæ solus ipse stat, quasi integritate vitæ fretus audeat pro aliis metu consternatis orare, vel certe quia hortatur Apostolus, vt cũ fiducia ad thronũ gratiæ adeamus, quo misericordiam consequamur. *Heb. 4.*

3. Considera eum fidei debere habere quoque diuinæ Scripturæ, rerumque Theologicarum pro officij magnitudine coniunctam scientiam & sapientiam, & attẽdere, vt Apostolus monet Timotheũ, *lectioni, exhortationi doctrinæ.* Quilibet enim sacerdos curam habens animarum, tenetur exponere Euãgelium, catechesin fidei Christianæ tradere, & eos qui contradicunt redarguere. Si enim S. Petrus vult omnes esse *paratos ad satisfactionem omni poscenti de fide, quæ in ipsis est*: quanto magis debẽt esse sacerdotes, quia aliorum sunt Magistri & Doctores? Quid turpius est, quam sacerdotem non posse respondere alicui garrulæ mulierculæ, vel proteruo adolescentulo hæretico *1. Tim. 4. 1. Pet. 3.*

obiectanti, vt hoc tempore fit, scripturæ testimonia? Vnde Chrysostomus scribit sacerdotē in omnibus debere esse sapientissimum, & mille instructum oculis, vt non solum sibi sed etiam toti populo seruiat. Deus verò apud Osee prophetā comminatur repulsam a dignitate sacerdotii imperitis. *Quia*, inquit, *tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* & B. Paulus, *Qui autem ignorat*, nempe ea quæ scire tenetur, *ignorabitur*. nempe in die iudicii, cum dicetur. *Nescio vos.*

Ose. 4.

1. *Cor.* 14.

MEDITATIO V.

De caritate, qua flagrare debet sacerdos.

1. CONSIDERA sacerdotem nulla magis virtute, quā caritate debere flagrare, tū quia fides, spes, aliæque virtutes omnes, teste Apostolo, sine illa nihil prosunt; tum quia officium sacerdotis vel pastoris, tā ratione potestatis, ordinis, vt dignè conficiat & administret sacramenta, quam iurisdictionis, quatenus curam animarum habet, id omnino postulet. 2. nota typum huius gessisse veteris testamenti sacerdotes, quorum functio erat ignē sacrū quotidie in altari fouere. Quid enim

1. Cor. 13.

Leu. 6.

aliud

aliud ignis ille designabat nisi sacram Eucharistiam, Deum & hominem in se sub specie panis & vini continẽtem? *Deus autem ignis consumens est*, quem sacerdotes nostri non solum quotidie conseruãt, sed etiam conficiunt. Deinde vestiti esse debebant cocco bis tincto, vt indicaretur sacerdotẽ debere duplici caritate flagrare, in Deum scilicet & proximum. *Deut.* 4.

CONSIDERA, Christum sacerdotum secundum ordinem Melchisedech principem, cuius vices obeũt omnes sacerdotes nostri in consecrãdo corpore, vt diximus, Christi, dum aiunt, *Hoc est corpus meum*, maxime declarasse caritatẽ erga nos cum instituit Apostolos in sacerdotes Nam B. Ioãnes de extrema cœna acturus præmittit, quod *in finem dilexerit illos*. Deinde ex mero in eos amore instituit Eucharistiã, id est, excogitauit modum, quo perpetuo nobiscum realiter maneret. Adhæc longum habuit sermonem de nouo mãdato caritatis. Postremo, ex nimio amore sanguinẽ suum pro nobis profudit *Maiorem enim caritatem nemo habet*, inquit ipse, *quam si animam quis ponat pro amicis suis*. 2. *Psal.* 109. *Ioa.* 13. *Ioa.* 15.

CONSIDERA, quod Christus instituturus principem Sacerdotum & Pastorũ Petrum 3. *Ioa.* 21.

Petrum, de caritate tantum, eum percunctatus est. *Simon diligis me plus his.* Et ille tandem respondit. *Domine, tu scis, quia amo te.* Christus vero Pasce ergo oues meas, indicás ad pascēdas doctrina & exēplo oues, & ad gubernandā Ecclesiā, maxime opus esse ardenti caritate in Deū & proxi-
Eu. 15. mum. Vere siquidem pastoris est, ouē perditā requirere, & inuentā relictis licet 99. ouibus, humeris sublatam in ouile porta-
Io. 10. re. Eiusdē est adueniente lupo, & persecutione exorta, nō cum mercenario, qui nō est pastor, fugere, sed animam ponere pro ouibus. Eius est cognoscere omnes oues, easq; exemplo vitæ sanctæ præcedere, efficereq; vt se suamque doctrinam & vitā sequantur, & non facile impetrabit, nisi multis beneficiis, & amoris indiciis eas sibi deuinciat, ac tandem claue sua cœlesti, quam accepit, regnū cœlorū illis aperiat.

MEDITATIO VI.

De humilitate sacerdoti necessaria.

1. Hom. 38. ad pop.

CONSIDERA humilitatem esse omnium virtutum fundamentum, ac imprimis teste Chrysostomo, officii sacerdotalis, & ideo ea quoque excellere debere sacerdo-

tes. Vt

tes. Vt enim quo domus altius ædificatur, hoc profundius requirit fundamẽtum, & arbor, quo ramos altius educit, hoc profũdius agit radices, & quo fructibus onustior est, hoc magis se in terram inclinat; sic quo sublimior est sacerdotis dignitas, hoc maior debet esse eius humilitas, iuxta illud Sapiẽtis. *Quanto magnus es, humiliate in omnibus.* 2. perpende esse & custodem omnium virtutum, vt vult B Hieronymus, & S. Augustꝰ *Qui enim sine humilitate* inquit B. Gregorius, hom. 6. in Euãg. *virtutes congregat quasi puluerem in ventum portat.* Cõseruat autem eas, tum quia sicut qui iacet, non habet vnde cadat, sic humilis non facile labitur in peccatum, tum quia sicut ignis sub cinere, & fructus sub foliis, ita virtutes sub humilitatis opculo & absconduntur & facilius conseruantur.

Eccl. 3. *Ep. ad Celãt.* *Aug. ep. 56.*

Considera seruos Dei humilitate magna præditos, maxime fuisse a Deo laudatos & exaltatos. Abraham qui puluerẽ & cinerem se vocabat, Pater omniũ fidelium factus est. Dauid qui pulicem, vir secũdum cor Dei S. Ioannes qui indignũ se faciebat vt solueret corrigiã Christi, dignus redditus est, qui Christum baptizaret, & digi-

Gen. 18. *1 Reg. 24.* *Matt.* &

digito monstraret. S. Petrus, cum Domi-
Luc.5. no diceret. *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* audiit statim ab eo *Ex hoc eris homines capiens*; & postea factus est caput totius Ecclesiæ, & clauiger regni cœlorum. Centurio, dicens *Non sum di-*
Matt. *gnus, vt intres sub tectum meum*, audiit à
8. Christo. *Non inueni tantam fidem in Israhel.* B. Virgo ex humilitate se vocans an-
Luc.1. cillam Domini, meruit fieri mater Dei.
2. perpende & Christum summum sacerdotem hanc virtutem inprimis Apostolis
Matt. commendasse, dum diceret. *Discite à me,*
11. *quia mitis sum & humilis corde.* Et rursus. *Si quis inter vos vult primus esse, sit omnium nouissimus.* Atque etiam, cum eos sacerdotes facturus esset, exercuisse, cum lauit eo-
Io.13. rum pedes, & dixit. *Si ego laui pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.*

3. CONSIDERA, cum sacerdotum proprium officiũ sit deprecari & sacrificia efferre pro populo, nihil æquè iuuare ad reconciliandum Deum & impetrãdam gratiã, ac humilitatem precibus coniunctã.
Is.vlt. *Ad quẽ enim respiciã*, ait Deus apud Isaiã, *nisi ad humilem & pauperculum.* Et Dauid.
Ps.50. *Cor contritum & humiliatum Deus non de-*

spicit.

ſpicies. Et Ieſus Syrach *Oratio humiliantis* Ecc 35.
ſe penetrat nubes. Et S. Iudith *Humiliũ,* in- Iud. 9.
quit, *& manſuetorum ſemper tibi placuit de-*
precatio. B Iacobus & Petrus *Deus ſuperbis* Iac 5.
reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Vnde Ioſu. 7.
Ioſue cum in terram ſe proſtrauiſſet, Deũ 2. Reg.
mox ſibi propitiũ reddidit. Et Dauid cum 12.
humiliter peccatum ſuum confeſſus eſ-
ſet, ilico à Propheta audit. *Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuum.* 2. nota, nihil æ-
què valere ad vincendas tentationes dæ-
monis ac humilitatem. cuius ratio eſt,
quia ille ob ſuperbiam æterna felicitate
excidit. Vnde S: Antonius, cũ videret mũ-
dum plenum laqueis, reſponſum accepit
à Deo omnes euadi ſola humilitate. Qua-
re nihil æquè valet ad promerendũ regnũ
cœlorum ac humilitas. *Beati,* inquit Chri- Mat 5.
ſtus, *pauperes ſpiritu,* id eſt humiles, *quoniã* & 18.
ipſorũ eſt regnũ cœlorum. Et *Niſi efficiamini*
ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœ- Luc. 4.
lorum. Et rurſus, *Qui ſe humiliat exaltabitur*
Quę ſẽtentia ter repetita eſt in Euãgelio.

MEDITATIO VII

De caſtitate ſacerdotibus neceſſaria.

CONSIDERA ſi veteris teſtamenti ſa- 15
cerdotes toto tempore quo miniſtra-
bant

1. Par. 24. bant tabernaculo, à domo & vxore abesse tenebantur (ministrabant enim per vices) quanto magis noui testamenti sacerdotes, qui non per vices, sed semper ministrant, debent à coniugio & omni cõsuetudine fœminarum abstinere. Deinde si

1. Reg. 21. Abimelech sacerdos noluit Dauid famelico dare panes propositionis comedẽdos, nisi prius intellexisset eũ ab vxore aliquá diu se continuisse, si idem populo faciendum fuit, cũ esset legẽ à Deo accepturus,

Exod. 19. quanto magis cõuenit sacerdotes nostros ab omni fœminarũ contubernio alienos esse, quibus quotidie in sacrificio Missæ corpus Domini per panes propositionis præfiguratum, non solum sumendum, sed

2. Cor. 7. etiam conficiendum manibusque tractandum est. Considera, D. Paulum docere eos qui vxorem habent solicitos esse quæ sunt mundi, vt placeant vxori, & esse diuisos, id est, in multas solicitudinum partes

Hier. Iouin. vt exponit Hieronymus distractos; qui autem non habent, cogitare quæ Domini sunt, vt sint sancti corpore & spiritu. consequens est sacerdotes minimè fœminis adhæ-ere debere, vt cogitent quæ Domini sunt.

2. CONSIDERA puritatem animi & corporis

poris, non solum à diuinis Scripturis, sed etiam ab omnibus Conciliis, summis Pōtificibus, omnibusque Patribus & Doctoribus, qnotquot in Ecclesia hactenus fuerunt, eamque non vulgarem, sed singularem & eximiam in sacerdotibus postulari idque multis de causis. I. quia sanctissimum Missæ sacrificium quo nihil augustius, crebrius peragere, in eoque purissimum Domini corpus ore suo consecrare, & manibus tractare, aliisque porrigere debent. 2 quia assiduè orationibus, vt sacrarum horarum lectioni, & diuini officii decantationi, quæ mentem puram, tranquillam & in Deum eleuatam requirunt, vacare tenentur. 3. quia prædicatione, & sanctæ vitæ exemplo plebem ad omnem virtutem, earundemq; perfectionem inflāmare. 4. quia magnam partem temporis impendere ouibus suis, vel subditis erudiendis, & in viam, dum à via aberrant, reducendis, ac si ægri sint, inuisendis, solandis & pascendis, pauperibus item iuuandis, peregrinis recipiendis, sacramentis variis administrandis: quæ omnia sane requirunt hominē non solū ab vxore & liberis, sed etiā omniū negotiorum secularium cura liberrimū. Vnde Apost. *Nemo*, inquit,

2. Tim 2. quit, *militans Deo, implicans se negotiis secularibus.*

3. CONSIDERA sacerdotem, si castitatem inuiolatam non seruet, multo grauius peccare, quam peccent in eodem genere homines seculares. Primo, quia sacri-

1. Cor. 3. legiũ committit. *Si quis templum Dei violauerit*, inquit Apostolus, *disperdet illum Deus*, at quis templum Dei sanctum, & Deo consecratum proprie est nisi sacerdos, toties per varios ordines inunctus, & vices Dei & angelorum subiens? 2. quia violat votum castitatis ipsa ordinis susceptione tertio factum. 3. quia summo scãdalo est bonis & malis, imò & vilissimis hominibus: quod scandalum tantum hoc sæculo est, vt causam dederit tot hæresib. 4. quia si in statu huius peccati celebret, aliaque sacramenta administret, Christũ crucifigit, Christo in faciem spuit, Christum cum Iuda prodit, imò pedibus conculcat, & in cloacam proiicit. Quid enim aliud est os sacerdotis impudici vel concubinarii, quid aliud eius anima vel cor, quam cloaca fœtidissima? Quid est margaritas proiicere ante porcos, si hoc non est? hoc est, cum impudicus sacerdos audet celebrare.

MEDI-

MEDITATIO VIII.

De frequentanda celebratione Missæ.

CONSIDERA, Sacerdotē ex vi sui officii & muneris accepisse onus intercedendi pro populo ad Deum, & offerendi dona, vt loquitur Apostolus, & sacrificia pro peccatis suis & aliorum, cum & ipse circumdatus sit infirmitate; cum ergo crebrius, imò quotidie ipse cum aliis peccet, conuenit etiam vt quotidie sacrificet. 2. considera Christum in extrema cœna præcepisse, vt sacrificium hoc Apostoli peragerent in sui commemorationē; cum ergo salutare sit crebrius renouare memoriā passionis, salutare quoque erit crebrius sacrum facere. Imò in Dominica oratione omnes fideles, docuit quotidianum panē, nempe Eucharistiæ postulare. *Si autem, quotidianus est panis,* inquit B Augustinus, *cur de die in diem transfertur, cur non accipitur quotidie, qui prodest quotidie?* Cœlestis *est medicina*, ait Ambrosius; *debeo igitur semper accipere, qui semper pecco, & medicina indigeo.*

1. *Heb. 5.*

Lib. 2. de ser. in mōte

Amb. l. 4. de Sacr: c: 6.

Considera exempla Sanctorum, nam 2.

quotidie se immolare immaculatum hũc agnum cõfessi sunt. S. Andreas Apostolus. S. Ignatius. S. Cyprianus, S. Ambrosius, S. Chrysostomus. S. Augustinus. Ac S. Gregorius refert in S. Cassio Narniensi Episcopo morem quotidie celebranti diuinitus approbatum his verbis. *Age quod agis, non cesset pes tuus, non cesset manus tua.* Hippolytus martyr, ait in die iudicij iudicem, *Venite benedicti*, dicturum sacerdotibus, qui quotidie pretiosum corpus & sanguinem immolarint Siricius & Innocentius I. Pontifices hac ratione suadent perpetuam cõtinentiam sacerdotibus seruandã, eo quod quotidie Deo sacrificia offerant. Primi denique Christiani, vt est in Actis Apostol. quotidie pręseuerarunt in fractione panis quod aliquot seculis obseruatũ est in multis locis: erant ergo qui frangerent quotidie.

hom. 38. Euan. *Orat. de consum.* *Act. 2*

3. Considera, quãto fructu spirituali priuet Ecclesiam sacerdos, si negligat crebrius, dum potest, celebrare. *Sacerdos*, inquit Venerabilis Beda, *non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, priuat sanctam Trinitatem laude & gloria, angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio & gratia, in purgatorio existentes refrige-*

rio.

rio, Ecclesiam spirituali Christi beneficio. & ipsum medicina & remedio. 2. expendat, quanto fructu spirituali priuet se, Qui enim sæpe celebrat, sæpe examinare conscientiam solet, de peccatis dolere, eadem confiteri, propositū melioris vitæ facere, satisfactionem peragere, summo religionis cultu per preces & sacrificia Deum afficere, mentem in Deum eleuare, populū ad rem diuinam audiēdam allicere, vitam tali officio conuenientem instituere, & omnes homines suo exemplo ædificare ac denique maiorem apud Deum gratiam, & ampliorum tot bonorum operum mercedem promereri.

GREGORIVS XIII. PONtifex concessit cuilibet Sacerdoti dicenti ante celebrationē Missæ, quæ sequuntur, 50, annorum indulgētiā.

EGo *volo celebrare Missā, & conficere corpus & sanguinem Domini nostri* IESV CHRISTI *iuxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ ad laudem omnipotentis Dei, totiusq; curiæ triumphantis, ad vtilitatem meam, totiusq; curiæ militantis, pro omnibus qui se commen-*

dauerunt orationibus meis in genere & in specie, & pro felici statu S. Romani Ecclesiæ AMEN.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationem sancti Spiritus, perseuerantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus, Amen.

MEDITATIONES

De votis religiosorum.

MEDITATIO I.

De præstantia Votorum.

1. CONSIDERA: Vouere religiosi non esse aliud quam relicto sæculo se totũ diuino seruitio dedere, & ad perpetuã paupertatem, castitatem, & obedientiam in religione approbata obligare: his enim tribus virtutibus remouemus omnia impedimenta perueniendi ad vitæ Christianæ perfectionem, quæ est religiosę vitæ finis. 1. Io. 2. *Quicquid* namque *est in mundo*, vel sæculo, *aut est concupiscentia carnis*, quæ tollitur castitate: *aut concupiscentia oculorum*, quæ

quæ paupertate? *aut superbia vitæ* quę tollitur obędientia & subiectione?, 2. considera horum Votorum præstantiam inde liquere, quod nobilissima sint. 1. quia fiũt Deo omnis nobilitatis auctori, & in diuinæ eius maiestatis gloriam. 2. quia iis se obligat, Voluntas nostra, quę inter animę facultates tenet principatũ. 3. quia vouere est actus religionis inter omnes morales virtutes nobilissimus. Vnde B. Augustinus dicit, Virginitatem, non quia virginitas est, sed quia per votum Deo dedicata est honorari. 4. quia sicut vita corporalis pendet ex corde, tanquam à principio, sic vita religiosa, & esse religiosum pendet ab horum trium votorum obligatione. *Lib. de virgin.*

Cõsidera hãc votorũ obligationẽ Deo esse gratissimã 1. quia illis quasi tribus clauis voluntariè religiosus se affigit cruci amore Dei, nõ per tres horas tantũ, aut dies, sed per totam vitã. Christus latronẽ in cruce secum pendentem ad breue tempus & pauca verba pia eloquentem statim fecit paradysi hæredẽ, quid ergo faciet tota vita pendenti. 2. quia illis se totum offert Deo in holocaustum, teste B. Greg. Secularis homo bene agens tantũ fructus dat Domino Deo: at religiosus dat arborem cum 2. *hom. 12. in Ezech*

cum fructibus idq; in æternum, quia abrenunciat sæculo, & se totum dedicat diuino seruitio. 3. quia perfectissimo modo se donat Deo, vt nullum sibi ius & imperium retineat, paratus Deo parere & superiori eius vicem tenenti quacunque in re, quando, vbi, & quantum libuerit. Et ideo sine sacrilegio, si religiosus sis, non potes amplius voluntate & iudicio tuo vti, quomodo & vbi libet, sed tantum ad arbitrium Dei, cui es consecratus.

2 Considera, cum religiosi inter omnes Dei seruos sint nobilissimi, vt pote ad perfectionem vitę sanctę semper contendentes, iuxta illud monitũ Christi. *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* & illud. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*, &c. Prorsus conuenit, vt ponderent in tribus illis virtutibus, ducem suũ & Imperatorem Christũ imitaturos. Quid enim pauperius, castius, obediẽtius Christo? 2. perpende, cum tam nobilis sit religionis status, debere etiam à religioso nõ vulgaria, sed heroica opera exerceri, votis congruẽtia. Vt ratione paupertatis ita contemnere opes, vt nec obulum propriũ habere velit, & si opus sit, aut regula postulet vili habitu incedere, & necessaria o-

Matt. 6 & 16.

stiatim

ſtiatim emẽdicare. Ratione caſtitatis, virginitatem ſeruare intactam, nec vlli turpi cogitationi locũ dare, nedum verbis, aut factis. Ratione obedientiæ non ſolum voluntatem, ſed etiam iudicium in parendo ſuperioribus quibus libet in quauis re ſubmittere. Talis enim obedientia gratior eſt Deo omnibus victimis, & holocauſtis.

MEDITATIO II.

De vtilitate Votorum.

CONSIDERA, ſicut arbor, quo altius humi radices fixerit, & vitis quo rectius ſtipiti alligata eſt, hoc meliores producere fructus, ſic voluntatẽ humanam quo plus firmata fuerit in bono, hoc præſtantiora opera producere. Vota autem voluntatẽ in bono opere imprimis reddunt firmiorem, ac proinde & opera eius ſunt Deo gratiora, & amplioris præmij meritoria haud ſecus quam opus paruum à voluntate peruerſa & obſtinata profectum, deteſtabilius eſt aliis malis operibus & grauioris pœnæ meritorium. Secundò perpende etiamſi religioſus per vota ſibi imponat neceſſitatem ſeruandi caſtitatem, & alia, non tamen ideo tollere ſibi libertatem & meritum, quia illa neceſſitas,

non à natura, sed à voluntaria promissione profecta est? & ideo D. Augustinus vocat illam necessitatem felicem, quæ ad meliora compellat facit enim opus volũtatis perfectius & magis meritoriũ. Angeli siquidem natura sunt liberiores homine, & tamen eo beatiores sunt, quo minus possunt vel ad momentum faciem suam à diuinæ maiestatis conspectu auertere.

Considera, procul dubio homini vtilissimũ fore, si Domino vniuersitatis arctissimè esset coniunctus, atqui religiosus per votorũ vincula arctissimè alligatur Christo, acproinde & Christus vicissim ipsi. *Qui autem adhæret Deo, vnus spiritus est*, inquit Apostolus, si autem vnus spiritus est, quomodo non est particeps donorum beneficiorumq; eius spiritualium: an potest aliquis os appositum habere fonti & non bibere manus igni admouere, & non calefieri. 2. perpende cum per vota nos totos Deo dedicemus, & à Deo possideri incipiamus fieriq; filij Dei & hæredes Christi, fieri non posse, quin nobis benefaciat, cum nõ tam nobis, quam sibi hoc beneficium debeat.

2. Cor. 6.

3. Considera, bona omnia opera ex voto facta plus mereri apud Dominum Deum quam

quam quæ non sunt ex voto facta. 1. quia fiunt ex affectione maiori: maior enim est affectio eius, qui ita quippiam vult, vt sibi fas nõ sit aliud velle, quam eius qui vult tantum aliud, sic tamen vt liceat contrarium. 2. quia ex duplici virtute procedunt, qui enim amore Dei seruat castitatem, vnã tantũ exercet virtutem, nempe cõtinentiam: qui vero seruat castitatem ex voto, exercet duas continentiam & religionem 3, quisquis vouet, vel vouet, vt emittat votum & obliget se Deo, vel vt postea teneatur reddere quod vouit, ratione vtriusque autem maximũ sequitur meritum. Primi quidem quia maxime voluntaria est actio: sic enim vult, vt nõ possit reuocare ipsum velle. Secundi vero, quia velle reddere est actus latriæ, qui est actus nobilissimus.

MEDITATIO III.

De præstantia Paupertatis Religiosæ

CONSIDERA, paupertatem Euangelicam, qua religiosus diuitias omnes ipsosque auri montes quasi stercora, vt ait Paulus abominatur, idq; propter Dei amorem, spemque vitæ æternæ, omnibus 1. *Phil. 1.*

Lib.5. in Luc. virtutibus eminere & esse, vt Ambrosius loquitur, *ordine primam, & quasi aliarum virtutum parentem.* Religiosus enim, dum vouet illam, non solum omnibus facultatibus se exuit, & nudus nudum sequitur Christum, sed in eo statu se ponit, vt nihil proprij habere possit. Vnde Cassianus dicit magnum crimen fuisse, si monachus dixisset, codex meus, tunica mea Quare & Christ⁹ inter octo beatitudines, id est, virtutes quæ hominem in hac vita beatum faciunt, paupertati principem locum dedit, eidemque summum præmium attribuit. *Beati*, in quiens, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

Lib.4. c.13.

Mat.5.

2. Considera, præstantiam eius maximè sumi ab exemplo filij Dei, qui, vt ait Apostolus, cum diues esset, factus est pro nobis egenus, & ita egenus, vt dixerit. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius vero Dei non habet, vbi caput suum reclinet.* Vnde nec in domo, sed in stabulo, eóque alieno nasci voluit, & licet in manu haberet omnes fines terræ, ali orũ eleemosynis viuere, & stipem mendicãdo quærere, pauperem habere matrem & patrem, nempe fabrum. Pauperes item discipulos. In paupertate demũ & nuditate vitam claudere.

2. Cor.

Mat.8.

Ps.39.

Hunc

Hunc sanè statum, nisi sapientia Dei se dignum cognouisset, non assumpsisset, nisi sciuisset paupertatē esse gemmā pretiosissimam, licet mundo vilissimā, non ad eam quærendam de cœlo descendisset, non per pauperes & nudos piscatores tanta miracuat fecisset, & totum mundū cōuertisset. Certè aut mūdus errat magni facere pergens opes & diuitias, aut Deus eas contemnens: at impossibile est Deum errare, ergo turpissimè errat mūdus.

Considera ex iudicio mundi liquere eius præstantiam. Si enim quis ex paupere repente fiat diues, mundus non admodū miratur: at contra si quis ex diuite & copioso sponte fiat pauper, & omnia deserat agros, vineas, vrbes, summopere miratur, eo quod nihil putet diuitiis esse nobilius, nihil abiectius inopia. Secundò, perpende sedulò, an reuera mundus possit cum opibus, omnibusque deliciis suis ita exsaturare cor humanum, vt acquiescat? Non certe, quia mundi sectatores, quo plus habent hoc amplius habere desiderant, & cum satiari nequeant partis, ad veram animi quietem nunquam perueniunt. At religiosus, qui neque proprium quicquam habet, neque habere desiderat, victu

3.

victu & amictu modico contentus viuit, eoque similior est beatis in cœlo: vt enim hi sua gloria omnes contenti in cœlo viuunt, sic ille paupertate religiosa contentus degit in terra & ideo fortasse à Christo dictum est, pauperum spiritu, non futurũ, sed iam esse regnum cœlorum. *Matt.* 5.

MEDITATIO IV.

De vtilitate religiosæ paupertatis.

CONSIDERA mirabiles eius vtilitates nam primò tollit superbiam, & alia multa vitia, quæ homines occasione opũ cõmittunt, vel potentiæ, quę opes comitatur. 2. valet ad peccata præterita expianda & delenda. 3. hominem inutilli rerum terrenarũ solicitudine liberat. 4. virtutes fere omnes inducit, vt temperantiam, modestiam, & maximè humilitatem, quæ est eius velut germana soror, 5. auellit animũ ab amore huius mundi, omniumque eius voluptatum, & trãsfert in amorem rerum cœlestium vt dicat. *Non habemus hic ciuitatem, sed futuram, quæ in cœlo est, inquirimus.* 6. hominem perfectũ reddit in hac vita, iuxta illud. *Si vis perfectus esse, vade, & vende* *Heb.* 13 *Matt,* 19.

vende omnia, & capaeem magni thesauri in cœlo, vt ibidem additur. *Et habebis thesaurum in cœlo.*

Considera. qui religiosus voto paupertatis se & quicquid in mundo habere potuit tradit Deo, & ne aliquando rergiuersari queat voti vinculo se ad paupertatem obstringit, Deum vicissim se illi consecrare, & omnia ad vitam necessaria spondere, *Num.* sicut olim in persona Aaronis se facturum *18.* recepit, cum dixit se partem & hæreditatẽ eius fore, intelligens in hoc typo omnes religiosos. Nam si volucres tanto studio necessarium victũ suis pullis conquirunt, non putandum est creatorem volucrum & hominum, ac proprium religiosorum Patrem suorum religiosorum filiorũ, qui in cœnobiis, velut auiculæ in nidis cibum quotidianum præstolantur, obliuisci, Nõ credendum est, veste necessaria destituturum eos, qui propter ipsum omnibus corporis commodis se exuerunt nihil retinẽtes proprium. Itaque si tu non desis Deo, nec Deus deerit tibi

Considera, etiam si religiosus nihil proprium sibi vendicet, omnia tamen necessaria ad victum amictum & habitationem, vt cura sit solutior, aliorum studio obtinere, vt

te, vt verum sit illud Apostoli in eo. *Nihil habentes, & omnia possidentes.* 2. si aliò iter instituat, omnes eiusdem ordinis fratres, licet ignoto, omnia caritatis officia deferunt, eo solũ nomine, quod audiant eiusdem esse matris, id est, religionis filium; & experitur verum esse promissum Christi de centuplo in hac vita; quia centum, imò mille domos reperit pro vna, sua etiã meliores. 3. cibus & potus etsi moderata sint, tamen ex amore ei paratur, & ad mensã a seruis Dei defertur. Quicquid apponitur, edit & bibit omni suspicione secluſa, quod nullus potest Princeps. 4. in senecta maiori in reuerentia habetur, & tractatur, licet laborare non queat, commodius perpenditur enim, nõ quid præstet, sed olim præstiterit. 5. in ægritudine maiori studio & amore ei seruitur, quam Dominis secularibus. Medici præscripta ibi accuratè seruãtur, si periculum vitæ sit, tempestiue monetur, & sacramẽtis munitur. noctu diuq; præsto adsunt custodes & munitores. omnium fratrum precibus commendatur, ac tandem septus orantium corona cum indulgẽtia plenaria ordini cõcessa in morte ad cœlum transmittitur.

MEDITATIO V.

De præstantia religiosæ castitatis.

CONSIDERA primam eius excellentiã esse, quòd hominem, quoad fieri potest, restituat in priorem statum, in quo conditus est, eaq; puritate ornet, qua claruit in paradyso terrestri, hoc est, vt caro obsequatur spiritui, nec quidquã homo turpe opere, verbo, vel cogitatione designet, & pars inferior, quę dicitur sentiens, non obstrepat superiori, hoc est rationi. Secunda est, quod reddat secundum omnes S. Patres simillimũ angelis, eo quod carnis vinculis alligatum esse, & non secundum carnem viuere, sed secundum spiritum, reputent non humanum sed angelicum. Immò S. Bernardus & S Chrysostomus audent affirmare aliqua ex parte maiorem esse laudem hominis casti, quam angeli, huius siquidem castitatem esse fæliciorem quidem, sed illius fortiorem, huius naturalem quasi & necessariam illius vero liberam & voluntariam. *Ep. 42. Chr. de Virg. c. 79.*

2. Considera & tertiam excellentiã, quod hominem religiosum, vt vult S. Basilius, & Climachus, Deo reddat simillimũ, quantum *Beda Virgin. Cgr. 55*

tum quidē fas sit homini. Deus enim natura incorporeus est, incorruptibilis & purissimus, cum ergo anima ipsa natura incorruptibilis & pura ipsum corpus ad eandem puritatem & integritatem per castitatem attrahere conetur, nō aliud facit, quam quod similitudinem Dei incorruptibilis in se velut in speculo mundissimo exprimat, & hominem quasi diuinum faciat, in carne carnis quasi expertem. 2. nota hoc bonum tantum, tā fuisse à natura humana desideratum, vt antiquus serpens in paradiso nihil aptius repererit ad primos parentes illiciendos, quam promittendo *Eritis sicut Dij.* Sed quod falso promissum est ab eo, qui præstare non poterat, & ea via qua præstari non poterat, hoc per castitatem religiosus verè tenet & possidet: eoq; perfectius quo eius castitas est perfectior aliorum, vt coniugum, viduarū & virginum castitate.

Gen 3.

3. Considera quartam excellentiam eius esse, quod hæc castitas inter eximia Dei dona, quæ non humana, sed diuina tantū virtute nobis contingunt, numeratur. Vnde Sapiens. *Sciui*, inquit, *quoniam aliter nō possum esse continens, nisi Deus det.* Vnde S. Patres docent illam virtutem supra natu-

Sap. 8.

ram,

ram, & supra omnem legem, & ideo neq; in veteri, neque in noua lege imperatam. Excellentia autem huius virtutis nascitur ex summa difficultate, quã anima hominis habet in coercendis & frangendis importunis hostis duplicis insultibus, domestici videlicet, id est carnis, quæ continuò noctu diuque pugnat aduersus spiritũ, & pugnabit vsque in finem vitæ. Deinde externi, id est, dæmonis, qui nullo alio peccato plus gaudere dicitur, secundũ quosdam, quam impudicitiæ. ob quam pugnã exclamat Apostolus. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rõ. 7.

MEDITATIO VI.

De vtilitate religiosæ castitatis.

CONSIDERA eo nomine religioso vtilissimã esse, quod eius beneficio infinitis liberetur molestiis. & primò quidem carnis, quæ vbi vel minimum obtinet imperium, etiam sapientes, vt liquet in Salomone, in barathrum vitiorum præcipites agit. Deinde, familiæ gubernandæ, quæ tantas sæpe difficultates adiunctas habet, vt redigant ad desperationem. Patrifami-

lias enim incumbit curanda vxor, liberorum educatio, collocatio filiarum, necessariarum rerum procuratio, vt famuli & ancillæ officio suo fungantur, vt omnes probi sint & pij; Taceo varia incommoda & infaustos casus, qui quotidie vel vxoris proteruæ, & litigiosæ, vel liberorum inobedientium, vel cognatorum litigantium causa incidunt. Religiosus autem velut cœli ciuis sua vocatione contentus aliis necessaria ei curantibus tantum suæ saluti procurandæ vacat.

2. Considera, si quis noctu diuque cum immani fera commoraretur, eũ in luculento vitæ discrimine futurum, ne aut morsu, aut veneno conficeretur, nisi os ei occludere posset, ne morderet, aut virus effunderet. Scias ergo feram nullam ferociorem, aut virulentiorem esse carne nostra, cum qua quoniam continenter versari cogimur, non dubium est quin anima nostra in magno versetur periculo. At ab hoc periculo eam vindicat castitas. nam concupiscentiam eius, quæ est os belluæ vinculo voti astringens, facit vt mordere vel venena fundere non possit. Secundò, perpende castitatem beneficio religionis & aliis præsidiis munitam, vt fortius

tius crucifigere per eam possit religiosus carnem cum concupiscentiis, ac etiam omnia mundi & dæmonum tela ignea ad eandem inflammandam coniici solita auertere: per votum enim paupertatis omnes rescissæ sunt illecebræ & voluptates, per obedientiam omnis cõuersatio cum mundo, mundanisque hominibus, facile autem est tueri castitatem inter castus.

CONSIDERA, castitatem religioso & nõ solum perutilem, sed etiam præ cæteris virtutib. maximè esse necessariã, nullo enim vitio bona religiosorũ fama procliuius obscuratur, quam si contra castitatẽ vel minimum delinquat. Sit religiosus aliquis paulo tenacior, curiosior, & iracũdior, sit animo plus æquo elatior, sit durior & asperior, nondum sanctitatis & pietatis iacturam apud homines facit, sed si siniſtri quippiam audiatur de castitate, mox famam obscurat, quia non potest esse sanctitas, vbi est incõtinentia, nõ potest esse Dei spiritus, vbi dominatur caro. Cuius ratio est, q̃ alia vitia facile excusantur: vel quod prouenĩãt a cõplexione naturali, vt iracũdia, vel q̃ bono fine acciderint, vt parcitas, vel asperitas. Deinde,

ratione castitatis religiosi habentur purissimi, & speculum virtutum omnium; in puro autē speculo facile apparet macula.

MEDITATIO VII.

De præstantia religiosæ obedientiæ.

1. CONsidera præstantiam eius posse cognosci ex iudicio & exemplo Christi Domini: quicquid enim in hac vita egit, quicquid dixit, etsi ex omnium aliarum virtutum fontibus flueret, huic tamen fere adscribitur. Ipse testatur se de cœlo descendisse, non vt suam, sed Patris faceret
Ioā. 6. volūtatem. Apostolus quoque vitam eius
Phil. 2. totam, mortem, & mortis genus ad vnam obedientiam refert. *Factus*, inquit,
Serm. 46. in Cant. *obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Et S. Bernardus scribit, eum mori maluisse, quam non obedire. Ratio huius est, quia per obedientiam volūtas nostra, sensusq; omnis cum Deo arctissimè coniungitur; in qua coniunctione omnis hominum perfectio, & angelorum consistit. Imò nullæ virtutes, adeoque ipsum martyrium alicuius sunt pretii vel meriti, nisi ad Dei voluntatem exequendā referātur.

Consi-

Considera in hanc virtutem omnes fere virtutes concurrere, quasi ad pulcherrimum opus ex pluribus gemmis concinnandum. Nemo enim se alteri homini in omnibus subiicit, nisi magno Dei amore ardeat, multa item fide in eum & fiducia subnixus, deinde profunda humilitate, patientia, fortitudine, & constantia præstans. Deinde nihil æquè eius dignitatem ostēdit ac materia ei subiecta, quæ triplex est. Prima est executio omnium operū externorum, quæ à Superiore imperantur. 2. est mactatio propriæ voluntatis, vt vocat B. Gregorius, obediens enim nøn suam sed superioris quærit facere voluntatem. 3 abnegatio proprij iudicij, obediens enim id rectum & honestū iudicat, quicquid superior præscripserit, modo non repugnet legi diuinæ. Quid autem præstantius homo habet, voluntate & ratione? 2. 3.

Considera Spiritum sanctum in diuinis litteris obedientiam anteferre victimis & holocaustis. *Melior est obedientia*, inquit, *quam victima, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum.* Nec mirum, quia per victimas, aliena caro mactatur, inquit Gregorius, per obedientiam vero propria voluntas, & libertas, qua nihil pluris 1. Reg. 15.

in mundo æstimatur. Deinde si magni facis paupertatem & castitatem, pluris certè teneris facere obedientiam: paupertatis enim voto tantum obtulisti Deo bona externa, Castitatis tantum bona & commoda corporis, at odedientiæ voto interna animi bona, quæ longe præstant corporis fortunæque bonis. Denique nullæ maiores victoriæ obtinentur in bello spiritali, quam per obedientiam. *Homo obediens*, ait Salomon, *loquetur victorias.* Cuius causa est, quia dum sponte se subiicit alieno imperio, vincit se ipsum. *Qui dominatur animo suo*, ait idem *fortior est expugnatore vrbium* Quæ victoria tanto illustrior est, quanto difficiliori certamine nempe contra naturam, obtinetur.

Prou. 21.

Prou. 16.

MEDITATIO VIII.

De vtilitate religiosæ obedientiæ.

1. CONSIDERA ex præstantia obedientiæ deriuari magnitudinẽ meriti, & copiam fructuũ Nam obedientiæ beneficio nõ solum omnia bona religiosi opera meliora fiũt, sed etiã quæ per se nullius sunt meriti, fiunt Deo grata & meritoria vt ex obedietia comedere, ambula-

re ani-

re animi gratia, cubitum ire. Itaque recte comparatur obedientia virgulæ diuinæ, quæ omnia suo contactu in aurum conuertit. Copia fructuum autem inde liquet quod teste Gregorio. *Sola virtus sit obedientia, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit.* Cum enim Deus non patiatur se vinci à nobis officiis, consequẽs est, vt qui se suaque omnia à Deo donauit per obedientiam, eidẽ ipse viciſſim se, suaq; dona spiritual a donet. Custodit autem alias virtutes, contra insidias dæmonum, quia nihil sibi confidit, nihil sibi tribuit, sed se suaq; Dei manibus quasi depositа committit, ex quibus nemo quicquam rapere potest. 35. mor c. 10. Ioan. 10.

2. Considera, quod obedientia religiosum eximat ab innumeris molestiis & curis, quas quotidie experiuntur, qui in seculo suo arbitratu viuunt. Obediens enim omnium rerum suarum curam in humeros aliorum coniicit, & quasi infans aliorum vlnis se gestari sinit, ac denique quasi dormiendo iter ad cœleste regnum facit. Superioris enim muneri incumbit, ei omnia necessaria tam in temporalibus, quam in spiritualibus suo tempore loco, & ordine prouidere. Ille patris, & matris,

magistri, ducis & procuratoris vices subit, vnde recte Climachus gradu. 4. *Obedientia*, inquit, *est perfecta abnegatio propriæ animæ & corporis, mors voluntaria, vita sine solicitudine, nauigatio sine damno, sepultura voluntatis, est iter facere dormiendo, suo onere aliis imposito, & super aliorum vlnas, ne mergaris, natare.*

3. CONSIDERA, quam grata sit Deo obedientia, & contra, quam inobedientia ingrata. Primum patet exemplo Abrahæ, cuius obedientia simplex fecit, vt non solum ipse, eiusq; familia tota, sed omnes mundi gentes benedictæ sint in eius semine, ex quo natus est qui sua obediētia portas cœli ob inobedientiam conclusas patefecit. sic vt verè dici queat, omnia dona cœlestia, gratiasque & virtutes esse obedientiæ fructus. Alterum liquet ex inobedientis Adami primi parentis exitu. ille n. non solum ipse è paradiso terrestri exulare coactus est, verum etiam cum tota generis humani posteritate maledictioni factus est obnoxius. Omnes enim huius mūdi curæ, anxietates, labores, ærūnæ, morbi, fames, sitis, egestas, bella, dolores partus, mors, omnis generis peccata sunt huius inobedientiæ effectus & pœnæ. Quæ

expia-

expiari, deleriq̃ue non potuerunt, nisi secundus Adam CHRISTVS IESVS factus obediens vsque ad mortem ignominiosissimã crucis illas sustulisset.

MEDITATIONES

De XV. Mysteriis Rosarii B. Virg. Mariæ.

GAVDIOSA V.

1. DE Incarnatione Christi, & Annunciatione B. Virg.
2. De Visitatione B. Virg.
3. De natiuitate Christi.
4. De Præsentatione B. V. in templo.
5. De Inuentione Christi in templo.

DOLOROSA V.

1. De oratione Christi in horto.
2. De flagellatione.
3. De Coronatione.
4. De Deportatione crucis.
5. De crucifixione.

GLORIOSA V.

1. De resurrectione Christi.
2. De ascensione Christi.
3. De aduentu Spiritus sancti.
4. De assumptione B. V.
5. De Coronatione B. V.

VNDE VERSVS.

1. *Nuncius, inuisens, natus, præsens reperitur.*
2. *Orat, cum flagris, spinas portat, crucifixus:*
3. *Surgens, ascendit, spirans, assumpta, corona*

MEDITATIO I.

De 1. Mysterio Glorioso.

Luc. 1. ***De Annunciatione B. Virg.***

1. CONsidera, immensam Dei caritatem, quod ad te ab æterna damnatione redimendũ, cũ esset beatissimus & immortalis, voluerit fieri mortalis & miser homo, idq; sine vllo tuo merito, imò infinitis demeritis.

2. Considera, quomodo ad exequendum hoc mysterium mittatur de cœlo legatus Gabriel archangelus, nunciaturus B. Virgini eam fore matrem Dei: quanto splendore apparuerit, qua reuerentia eã salutarit. Et rursum, qua modestia B. Vir auscultarit

tarit, prudentia verba angeli expenderit, qua fide crediderit, & quanta humilitate ancillam se vocarit, licet electa esset Dei mater.

Cõsidera, quod mox post verba B. Virg. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*, tota Trinitas ad eã descẽderit & filius Dei in vtero eius factus sit homo; ac proinde & ipsa facta est mater Dei, regina hominũ & angelorũ, & quidã paradisus, in quo Deus per nouẽ mẽses habitare voluit. 3.

MEDITATIO II. *Luc. 1.*

De 2. Mysterio Gaudioso.

De visitatione B. V.

1.

CONSIDERA, quod B. V. mox post cõceptũ in vtero Christũ magna festinatione per mõtes altos Iudææ cucurrerit ad visitandũ cognatã suã Elisabeth tunc grauidam, & in vtero habentem S. Ioannẽ Baptistam. Mirare feruorem, caritatem, & humilitatem, quod existens mater Dei ei ministrarit vt ancilla. 2.

Considera, quanto gaudio affecta sit Sancta Elisaberh ex visitatione Beatæ Virginis, quomodo obstupuerit à matre Dei se visitari, quomodo & infans in vtero eius ad præsentiam Beatæ Virginis & Chri-

& Christi iam concepti exultarit, quam humiliter B. Virgo laudes suas exceperit, & mirata sit humilitatem S. Elisabeth dicentis. *Vnde hoc mihi, vt mater Domini veniat ad me?*

3. CONSIDERA, quomodo B. Virgo auditis suis laudib. vt quod esset benedicta inter mulieres, & benedictus fructus vētris eius, erubuerit, & causā omnē bonorū suorū trāstulerit in Deū, exclamando. *Magnificat anima mea Dominum*, &c.

MEDITATIO III.

Luc. 2. ## De 3. Mysterio gaudioso, vt *De Natiuitate Christi.*

1. CONSIDERA, quomodo B. Virgo cum Ioseph ex Nazareth profecta sit cum magna fatigatione, in Bethlehem, vt edicto Augusti Cæsaris obediret, idq; hyeme & iam grauida & tenella. Atque ibi non inuēto loco in vllo diuersorio, ab omnib. velut mēdica repulsa, coacta sit manere in stabulo publico iniuriis cœli peruio.

2. CONSIDERA, quomodo cum iam hora glorioſi partus adesset, media nocte, sine dolore, dum flexis genib⁹ oraret, genuerit Sal-

rit Saluatorem, quãto mox gaudio perfusa sit, quã deuotè adorarit & osculata sit infantulum, quam officiosè panniculis vilibus sibi detractis inuoluerit, & in præsepi posuerit.

Considera cum affectu compassionis, 3. quomodo rex regũ sic humiliatus iaceat in duro psepio, & modico fæno, quomodo rex angelorum iaceat frigore tremens inter bouem & asinum. Attende ad gaudium angelorum cantantium. *Gloria in excelsis*, & pastoribus nunciantiũ hãc nati uitatẽ. Vide, quo studio illi mox accurrant & dona sua rustica humiliter illi afferant. Disce pauperi Christo caros esse, pauperes maximè & humiles.

MEDITATIO IV.

De 4. Mysterio Gaudioso. *Luc. 2.*

De Præsentatione B. Vir.

CONSIDERA, quomodo post 40. dies 1. discedẽs è Bethlehẽ abierit Hierosolymam, vt filium suũ im templo præsẽtaret & offerret, pareretq; legi Moysis, q̃ erat vt omnes mulieres à partu, quia erãt immundæ, purificari se curarent. Vide humilit.

milit. B. Virg. quæ cum esset mundissima, tamen quasi peccatrix haberi voluit; cum nos, licet peccatores, sancti velimus videri.

2. Considera, qua modestia & deuotione benedictũ fructum vẽtris sui, qui angelos lætificabat in templũ portarit, quanta reuerentia & gaudio Simeõ senex vltimis suis eum exceperit, adorarit, & iterũ iterumq; osculatus sit, tum obtulerit eum flexis genibus super altare multis cum lacrymis Deo & in Canticũ eruperit, dicens. *Nunc dimittis seruum tuum Domine in pace.*

3. Considera, quam miranda idẽ Simeon tum prædixerit B. Virgini, nempe quod infantulus ille aliquando ponendus esset in signum cui cõtradiceretur, id est, multa passurus esset à Iudæis, & quod animã ipsius Virg. pertransiturus esset gladius, quod accidit sub cruce tẽpore passionis. Vide, quomodo lætis Deus subitò misceat tristia, ne nimium prosperis efferamur.

MEDITATIO V.

De 5. Mysterio Gaudioso.

Luc. 2.

De inuento Christo in templo.

1. CONSIDERA, quãta deuotione B. Virgo cum Ioseph sponso suo & filio Iesu quot-

quotannis iuerit Hierosolymam ad celebrandum Pascha. Quam ardentes preces ad Deum ibi effuderit, cum sciret se secum habere verum filiũ Dei. Vt discamus multa facere ad quæ non tenemur, & libenter loca sancta predicandi causa adeamus.

2. Considera intimum dolorem B. Virg. quoniam domum regressa vesperi nõ inuenit suum Iesum, quem putabat esse in comitatu Ioseph. perpẽde quot gemitus, quot lacrymas profuderit, nescien quo se verteret, erat enim nox. Interim vide Christũ in angulo aliquo templi noctẽ orantem, de die autem vel orantem, vel panem mendicantem, vel de rebus piis loquentem.

3. Cõsidera, quomodo prima luce egressa sollicitè ab obuiis quæsierit, num vidissent filium, ac tandem cum nusquam appareret, quomodo redierit Hierosolymã mœrens & tristis, ac inuenerit filium sedentem in medio Doctorũ. Cogita quantum gaudium ibi mox obortum, quomodo eam sit solatus monueritque

Deum magis diligendum,
quam parentes.

MEDI-

MEDITATIONES

De quinque mysteriis dolorosis.

Luc. 22.

MEDITATIO I.

De oratione Christi in horto.

1. CONSIDERA, Christum post cœnã nocte cum vndecim discipulis mœstũ egredi ad hortum, ibique ad iactum lapidis auulsum ab ijs, procidere expãsis manibus in cœlũ, primo in genua, tum pronum in terram. tristis enim erat anima eius ad mortem, id est, tanto mœrore obruebatur, vt videretur iã expiraturus. tristis autẽ erat, tum ob cruciatus quos sciebat se passurum, tum ob ingratitudinem Iudæorum & nostram.

2. Considera, quomodo, cum ter orasset. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*, eousque desiderium patiendi pro te in eo creuerit, vt sanguis bulliens in venis, violenter tandem per poros corporis eruperit, & sanguinem sudarit. O Domine Iesu, quanta mea in orãdo tepiditas est, qui ne vnam quidem guttulam aliquando exprimere possum?

3. Considera, qũo tantum sanguinis vndiq; per vestes effuderit, vt non posset præ debili-

debilitate surgere à terra, nisi angeli eum eleuassent. Vide, cum surrexit, faciem eius deformatam puluere & sanguine, capillos sanguine concretos, & angelum Gabrielem sudorem abstergentem, & Christum confortantem.

MEDITATIO II.

De 2. mysterio doloroso.

Matth. 27.

De Christi Flagellatione.

1. CONSIDERA, quomodo Christus coram infinita turba hominum à milite insaniente in publicum trahatur theatrũ, vestibus omnibus spolietur & dirè alligetur columnæ. Cogita quanta ei confusio fuerit toto corpore nudari, & agnum Dei inter rabidos lupos stare, creatorem mundi ab ingratis creaturis tam indignè tractari, flagella in humeros Dei cadere.

2. CONSIDERA, quam acerba fuerit flagellatio, primo enim nodosis funibus, tũ virgis cæsus est sine misericordia. Sceleftis enim hominibus non poterant infligi nisi 40. verbera, ne excoriarentur, at Christo innumera, vt toto corpore fuerit laniatus. Finge te quasi præsentem audire ictus. Videre quoque quomodo riui sanguinis ex

facie, aliisque partibus corporis defluant & tota terra madefiat sanguine. Cogita hæc vulnera infligi ob peccata tua.

2. CONSIDERA, Christum, dum à columna solueretur, viribus fractũ quasi trũcum concidisse in terram. Vide eum in pauimento sanguineo nudum reptantem & quærentem vestem qua se operiat. Cum autem è terra surrexit purpura antiqua tectus, cogita eum te sic allocutũ. Hæc passus sum fili mi libenter pro te, & graviora adhuc pati sum paratus, modo tu emẽdare velis vitam tuam, & exigium aliquid pati in hac vita.

MEDITATIO III.

De 3. Mysterio Doloroso.

De Christi Coronatione.

Matt. 27.

3. CONSIDERA quomodo milites Pilati post flagellationem Christo illuserint, induendo eũ antiqua veste purpurea, & texendo coronam exacutissimis spinis, eiusq, capiti imponendo. Aspice quã fortiter eam transuersis lignis infigãt, vt etiam cranium penetrent. Supplicium quale de nullo vnquã homine sumptũ, sed nec de cane.

Con-

CONSIDERA, quomodo ei obtulerint arundinem loco sceptri, & per ludibrium genu flexo adorarint, dicendo, Auerex Iudæorum. deinde arundine caput verberarint, & alapas dederint in vultũ sanguine totum respersum. Cogita hæc omnia patienter eum ferre pro voluptatibus & dissolutionibus tuis inordinatis. 2.

CONSIDERA, quomodo Christũ ita irrisum & consputum Pilatus produxerit foras, & ostenderit Iudæis dicens *Ecce homo*, vt moueret eos ad commiserationem Erat enim ita tractatus, vt videretur potius esse non homo, & quasi leprosus, vt dicit propheta. Sed adamantina Iudæorum corda mota non sunt. Sicut nec nos aliquãdo mouemur ad compassionem. Cogita quo dolore perculsum sit cor B Virginis, quæ præsens erat, & vix filium suum agnoscebat. 3.

MEDITATIO IV.

De 4. Mysterio Doloroso.

De deportatione Crucis.

CONSIDERA, quomodo Pilatus metu humano Iudæorum victus lauando manus, Christũ damnarit ad mortẽ crucis *Matt.* 27. 1.

cuius sententiam iniquam Dominus humiliter acceptauit paratus mori pro nobis. Vide num tu quoq; multa mala facias metu, ne aliis displicias: & an æquo animo suscipias aliorum iniurias & contumelias.

2. Considera, qnomodo eius humeris grauissima crux imposita sit, vt eam portaret, (quod nulli latroni fieri solet vt proprium patibulum portet) quam benigne eam amplexus sit, quanto cum labore & sudore iam membris fractus portarit, & nimio onere pressus sæpecciderit. Cogita tua peccata fuisse illud onus.

3. Considera, quomodo deficiente Christo sub onere tandem crucem portãdam Iudæi tradiderint Simoni Cyrenæo, vt disceres cum Christo tibi quoque aliquam crucem ferẽdam esse. Secundo cogita quomodo allocutus sit in illo itinere mulieres flentes, inter quas erat &B. Virgo, easque sit consolatus, vt discas nec in tribulationibus magnis à salute proximi quærenda cessandum,

MEDI-

MEDITATIO V.

De 5. mysterio doloroso. *Matt. 27.*

De crucifixione,

CONSIDERA, genus mortis crudelissimæ, primo enim Christus omnibus vestibus vi exuitur, & ita omnia vulnera renouantur, stabatque bonus Iesus totus sanguine perfusus: Tum in trabem humi iacentem detruditur, clauis obtusis transfiguntur manus & pedes. Augetur dolor eleuatione, & succussione crucis, & trium horarum diuturnitate, quibus in ea pependit. Imaginare, quasi videres, & audires hæc omnia, vt ictus malleorum. 1.

CONSIDERA, quanta ignominia affectus sit hoc genere mortis. Pendet enim nudus, & in medio latronum, ac si peior esset illis, in loco infami, in tot hominum præsentia. Et in tanta confusione adhuc verbis contumeliosis excipitur & irridetur, ipse autem orat pro illis.

CONSIDERA, Christum extendere brachia in cruce, vt te amplectatur, clauis affixas manus, vt amorẽ erga nos indicet esse constantem. Caput inclinat vt nos osculetur. Nudus est, vt doceat nos omniũ

rerum contemptū. Moritur in cruce, vt in tribulationibus perferendis pseueremus.

4. Considera, B Virginem cum S. Ioanne sub cruce stantem, lacrymis omninò & sanguine de cruce fluente perfusos. Cogita tunc gladium transiuisse animum B. Virg. de quo ei prædixerat Simeon senex olim Vide quomodo & ipsa tunc se obtulerit ad crucem subeundam, si fieri posset.

MEDITATIO I.

De 1. mysterio glorioso.

Ioan. 20. *De Resurrectione Christi.*

1. CONSIDERA, gaudium summum S. Patrum in lymbo, cum anima Christi gloriosa tamdiu expectata ad eos liberandos summo triumpho venit.

2. Considera, gaudium summum B. Virginis, cum vidit Christum cū corpore glorioso intrantem cubiculum, quando cum eo collocuta est, non dubiū, quin absorpta sit in contemplatione tam splēdidi corporis, quod ante erat tam deformatū.

3. Considera, gaudium Mariæ Magdalenæ, cui, dum ploraret apud sepulcrum, apparuit in specie hortulani. Nec enim tenere se potuit, quin rueret in eius amplexū.

CON-

Considera, gaudium Apostolorum, maximè B. Petri. qui Christum negauerat, omnes enim ob Christi mortem, & fugam suam valde erant afflicti. Apparuit autem eis sæpius, & consolatus est, quæ magna fuit Christi bonitas. 4

MEDITATIO II.

De 2. mysterio glorioso.

De Ascensione Christi. Act. 1.

CONSIDERA, quomodo in montem Oliueti, vbi erat B. Virgo cum discipulis & mulieribus, venerit Christus comitatus Partibus ex lymbo liberatis: quam benignè ibi valedixerit matri & aliis, quomodo matrem commendarit Apostolis, omnesque benedixerit.

Considera, quomodo B. Virgo & discipuli commoti fuerint, videntes Christum manibus expãsis summa gloria ferri in altum stipatum innumeris angelis suauissimè cantantibus. Patribus lymbi etiã infinito numero, splendore maximo sequentibus. 2

Considera, B. Virginem flexis genibus cum aliis in cœlum continẽter respiciẽtem, & prorsus spiritu raptam. Cogita, 3

quo triumpho, lætitia, hymnis angelorũ cœlum Christus ingressus, quomodo Pater cœlestis eum amplexus, in throno sũmo ad dextram eum locauerit.

4. Considera, B. Virginem & comites maximam consolationem accepisse ab angelis, quos in albis vestitos misit Christus de cœlo: cuius hortatu magno cum gaudio Hierosolymam redierunt.

MEDITATIO III.

De 3. mysterio glorioso.

Act. 2.

De *aduentu Spiritus sancti.*

1. CONSIDERA, B. Virg. cum discipulis in cœnaculo, Spiritus sancti aduẽtum expectantem, cum summa cõcordia, oratione feruenti & costinẽti, suspiriis & lacrymis, idque diebus multis.

2. Considera, quomodo eis in oratione raptis *factus sit repente sonus* in aduentu Spiritus sancti, id est, suauissimus concentus mirè afficiens eos, *qui replebat totam domum*, id est, corda eorum omnibus donis cœlestibus.

3. Considera, quomodo linguæ igneæ super omnes apparuerint; quæ designant amo-

amorem diuinum in corde eorum accensum, vt non timerent amplius prædicare Christum crucifixum. Hoc ardore accensus Petrus prima concione 3. millia conuertit.

CONSIDERA, quomodo B. Virgo, quæ plus omnibus repleta erat Spiritu sancto, gauisa fuerit, cum videret tã fœlix initium Ecclesiæ sanctæ, tam abundantẽ fructum sanguinisà benedicto filio suo in cruce effusi. 4.

MEDITATIO IV.

De 4. mysterio glorioso.

De Assumptione B. Virginis.

CONSIDERA, magnum desiderium B. Virg moriendi & videndi filium suum. Deinde lætitiam, quando cognouit horam mortis appropinquare. vixerat enim in terra, tanquam in longo exilio. 1.

Considera, quomodo voluntate diuina ante mortem ex toto orbe miraculose omnes Apostoli, qui in viuis erant, ei adfuerint. Cogita, quę colloquia ibi fuerint, quã ardentes præces, quanto honore eam affecerint, quantum vtrinque gaudium ex mutuo conspectu. 2.

Considera, quam sedulo se ad mor-
3. tem præparauerit. quo enim morti fuit vicinior, eo viuaciora fuerũt eius desideria, & ardentiores orationes, donec magna pace & vultus serenitate anima illa luna clarior euolaret.

Considera, puritatem, innocentiam,
4. & summas opes illius animæ tanta gratia, tot virtutibus & meritis ornatæ. Quam cogitare possumus ipsius Christi de cœlo delapsi brachiis in cœlum portatam, comitantibus innumeris angelis cum symphonia suauissima, & lætitia inenarrabili.

MEDITATIO V.

De mysterio Glorioso.

De coronatione B. Virginis.

CONSIDERA, B. Virginis animam eo-
1. dem splendore & triumpho, quo in cœlum assumpta est, descendisse de cœlo, vt ascenderet cum corpore. Cogita quam illud pulcrum, & glorioſum fuerit. Si enim alii iusti splendebunt vt Sol, quomodo splenduit mater Dei quæ nunquam peccauit.

CONsidera, quanta gloria cum cor-
2. pore & anima ascenderit in cœlum: qui

hymn

hymni cantari, quæ lętitia angelorũ, quãta consolatio antiquorum Patrum fuerit, quanto honore recepta ab iis sit in cœlũ.

3 CONSIDERA, quantum gaudium fuerit Christi videre matrem suam; quomodo eam manu sua introduxerit in cœlum, quomodo eã super omnes choros angelorum & Sanctorum euexerit, & sanctiss. Trinitati præsentarit,

4 CONSIDERA, quomodo recipiat eam Pater, vt filiam. Filius, vt matrem; Spiritus sanctus, vt sponsam sanctissimã, quomodo in splendidissima sede ad dexteram filii sui eam collocent, & pretiosissimam coronam eius capiti omnes tres simul imponant, applaudente tota curia cœlesti faustis acclamationibus & hymnis.

APPENDIX.

De modo recitandi Rosarium cum meditatione horum Mysteriorum.

QVID sit Rosarium, quæq; eius institutio vel approbatio, vide in libello Sodalitatis Marianæ P. Frãc. Costeri, vel in Manuali Sodal. Constat autẽ Rosariũ Oratione Dominica quinquies, & Salutatione Angelica quinquagies repetita. Quod si ter

si ter iteretur, vocatur Psalterium B. Virginis, eo quod tot in eo sint salutationes, quot sunt Dauidici Psalmi, id est, 150.

Quia autem difficile est oranti Rosarium ad eadem verba toties repetita attendere, piè institutum est, vt quodlibet Rosarium quinq; mysteriis perficeretur, quibus meditandis, dum os verba proferret, mens occuparetur. Ac primo quidem Rosario competunt 5. mysteria gaudiosa. 2. dolorosa. 3. glorioſa.

MODVS autem cum mysteriis recitandi Rosarium potest esse duplex. PRIMVS est, vt antequam decadē aliquā inchoes, mysterium, quod in ea meditandum est, breuiter in mentem reuoces, retinendum tamen, donec decadem absoluas. Deinde sub initium orationis Dominicæ Deum velut præsentē animo subiicias vt Patrem; sub initium vero salutationis angelicæ B. Virginem, vt Matrem: quo nimirum imaginatio circa id occupata euagari huc illuc non possit. VEL certè imagineris te ferri per ea loca, in quibus ea mysteria facta sunt, illisque te præsentem esse cogites, ac si oculis tuis haberes proposita. Quod magno voluptatis sēsu fieri potest. sicut otiosi imaginamur aliquādo nos totam Gal-

tam Galliam vel Italiam percurrere, &mira videre, &c POSSVNT autem Dominico & Feria. 5. expendi mysteria glorioſa. Feria. 2. 3. & Sabbatho gaudioſa. Feria. 4. & 6 Dolorosa.

SECVNDVS Modus eſt, vt ad ſingulas decades, myſterium, quod expendimus in ipſis ſalutationibus angelicis breuiter inſeratur hoc pacto.

IN ROSARIO GAVDIOSO.

Ad decades ſingulas cum ventum eſt, ad nomen Ieſus adiiciatur.

AD	1.	Virgo concepiſti	S. Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus. &c.
	2.	Viſitando Eliſabeth portaſti	
	3.	Virgo genuiſti.	
	4.	In templo præſentaſti.	
	5.	In templo inueniſti,	

Quem

IN ROSARIO DOLOROSO.

Ad nomen Ieſus adiiciatur.

AD

AD	1.	Qui pro nobis	Sanguinem sudauit.
	2.		Flagellatus est.
	3.		Spinis coronatus est.
	4.		Crucem baiulauit.
	5.		Crucifixus est

S Maria, &c.

IN ROSARIO GLORIOSO.

Ad nomen Iesus adiiciatur.

AD	1.	Qui	Resurrexit à mortuis.
	2.		In cœlum ascẽdit
	3.		Spiritum sanctum misit,
	4.		Te assumpsit.
	5.		Te in cœlis coronauit.

S. Maria mater, &c.

Quia vero quodlibet Rosarium concludi solet oratione Dominica, & ter salutatione angelica in honorẽ S. Trinitatis, ac symbolo Apostolorum, vel, vt aliis placet, ab iisdem inchoatis.

In I.

In I. Rosario post Iesus in salutatione angelica adiicatur.

Qui nobis augeat { Fidem rectam. / Spem firmam. / Caritatem perpetuam. } S. Maria mater &c

In II. Rosario post Iesus adÿciatur.

Qui nobis { Intellectum illuminet. / Voluntatem perficiat, / Memoriam roboret. } S. Maria. &c.

In III. Rosario post Iesus adÿciatur

Qui { Dirigat cogitationes. / Reget verba. / Gubernet opera. } S. Maria mater, &c.

FINIS.

MEDITATIONVM.

LEGE

LEGES CONGREGATIONIS B. VIRGINIS, VTI A SODALIBUS Moguntinis obseruari solent.

1. CVM beatissima Virgo Dei Mater huius Congregationis patrona præcipua illam defendere ac vCuere existimanda sit, quippe misericordiæ mater, quæ se diligentes diligat & ad eam piè ac religiosè confugientes tueatur ac protegat: propterea par est in primis, vt eiusdem sodales non modo illã præcipua veneratione atque honore prosequantur, verum etiam vitæ morumq; integritate virtutum illius præstantissimarũ exempla imitari conentur, atque vt sæpius inter se agẽtes mutuo se ad

se ad eius amorem & cultum studeant impellere, & ardentem quandam in suis animis excitare cupiditatem sanctissimi illius nominis extollendi.

OMNES honorem debitum non modo sodalitatis Patri, verum etiam Præfecto, Assistentibus, aliisque subordinatis Officialibus deferent pro cuiusque dignitate, atque in rebus omnibus ad sodalitatem pertinentibus obtemperabunt, quæ ipsis vel à Præfecto, vel ab alio quolibet eius nomine præcipientur: 2.

QVONIAM huius congregationis finis est virtus pietasque Christiana, & in literarum studiis progressio: ad quem finem assequendum sactamentorũ sanctissimorum frequentia perutilis est: ideo quicunque dare nomina Sodalitati voluerint, antequam recipiantur, generali confessione totius vitæ delicta expiabunt, si id nunquam egissent antea, vel certè, quæ à postrema generali confessione peccata commiserint ordinario Sodalitatis Confessario confitebuntur: nisi tamen confessio huiusmodi iustis de causis omittenda, vel differenda Confessarii iudicio videretur. 3.

SODALES omnes confitebuntur peccata sua vel octauo vel decimoquinto saltem die 4.

tem die. Sacram autem Eucharistiam sument primo quoque Dominico cuiusque mensis die. Præterea Natali Christi die, Circumcisionis, resurrectionis, ascensionis, Pentecostes, & Corporis Domini. Deinde die immaculatæ conceptionis B: Virginis sacro: itemq; Præsentationis, Purificationis, Annunciationis, Visitationis, Assumptionis & Natiuitatis. Vbi aduertendum est, posse aliquem ex diebus his festis enumeratis loco primæ cuiusq; mensis diei Dominicæ sumi, si quando in eãdem Dominicam festus ille dies incideret, aut ab illa certè non procul abesset. Officiales tamen præcipui, hoc est, Præfectus, Assistentes, Secretarius, ac 12 consultores cõfessionis & Eucharistiæ sacramentum plus aliquanto quam alii frequentabunt, si illorum Patri spirituali videbitur.

4. ORDINARIVS Confessarius omniũ erit aliquis ex Patribus Societatis IESV, quos Pater Rector Collegii, vel Pater Sodalitatis assignauerit.

5 DOMINICIS diebus stata hora in cõgregationis loco vna omnes conueniant, vbi horam circiter, quo modo Pater ac Præfectus censuerint, ponent id rerum spiritalium tractatione, ea ratione, quam idem

idem Pater, Præfectusque præscribent. Ex pio libro quopiam potest aliquando aliquid recitari, ac de iis, quæ inde fuerint recitata, spirituales collocutiones haberi. Aut certè cohortatio, seu sermo de spiritualibus reb. ad rectam Sodalitatis progressionem spectantibus habebitur.

Nemo sine præcipua Patris aut Præfecti venia quemquam introducat, vel ad Sodalitatis exercitationes admittat, qui non sit in eandem Sodalitatem receptus. Ea porrò venia non facilè concedetur, vt varia, quæ accidere possent, vitentur incommoda. 7.

Antequam agendi quicquam incõuentib. initium fiat, pronunciabitur hymnus sancti Spiritus, cum eiusdem antiphona, versiculo, & oratione. 8.

Quotidie Missæ sacrificio intersint, & diebus constitutis Eucharistiam simul accipiant: qua sumpta quartam horæ partẽ in precatione mentali, seu vocali, pro sua quisque pietate, ac deuotione collocabunt. 9.

Quotidie mane, postquam Deo pro acceptis beneficiis, tum generalibus, tũ priuatis gratias egerint, ter orationem Dominicam, & Salutationem angelicam in 10.

honorem sanctissimæ Trinitatis pronunciabunt, semelque symbolum Apostolorum, & Salue Regina, præter alias pias preces, quibus vti quisque de consilio Confessarii poterit, Vesperi autem, antequam se ad quietem somnumq; conferant, primũ quidem conscientiam examinabunt, deinde verò ter Pater & Aue ac semel Psalmum De profundis pro defunctorum animab. pronunciabunt.

11. SVADEBVR autem omnibus, quoniã ipsi maiorem quandam perfectionem profitentur, quam cæteri, vt maius quoq; studium in actionibus piis & christianis adhibeant, cuiusmodi essent, sæpius peccata confiteri, crebriusque ad sacram Christi corporis mensam accedere, officiũ B. Virginis & Rosarium quotidie recitare, mentali orationi nonnihil temporis tribuere, alio quopiam die hebdomadæ ad pium aliquod munus explendum in Oratorium conuenire, Christianæ doctrinæ elementa rudibus explicare, carceres vel hospitalia

12. inuisere.

QVI statis diebus à conuentibus abfuerint, Patri aut Præfecto absentiæ causam exponent, ad quam pertinebit, an causa sit idonea iudicare. Quod si aliquam in iis culpam

culpam esse compererint, illos poterunt, qua ratione videbitur, admonere. Ac propter huiusmodi absentiam, vel ob alios defectus, licebit etiam interdum eos ad tempus aliquod Sodalium cœtu prohibere, vt maximè Sodalitati conducere, & ad Domini nostri gloriam pertinere censebitur.

Cum è Sodalibus aliquis ægrotarit, eum tum Præfectum inuisendum, & sanctis Ecclesiæ sacramentis muniendum curabit: tum omnes Domino suis precibus cõmendabunt. Quod si eum contigerit é vita decedere Sodales illius funus ad sepulturam prosequantur. Sicubi verò laudanda illa consuetudo viguerit, vt humeris eum sodales gestent, qui effertur, exemplum huiusmodi Christianæ pietatis ne prætermittant. Deinde, quo primum die commodum fuerit mortuorum officium pro eodem, vel simul omnes in Oratorio, si fieri possit, recitabunt, vel certè per se vnusquisque separatim. Per octo autem dies Psalmum, De profundis cum oratione pro defunctis pro illo dicent semel quotidie singuli. Tota denique Sodalitas, missæ defunctorum sacrificium in altari aliquo priuilegiato pro eius anima semel saltem offerendum curabit. 13.

14. Si quando quispiam à Sodalitate itineris faciendi causa receſſerit, Patrē admoneat, ac Prę ſectum. Quod ſi commodè poſſit, à tota quoq; Congregatione facultatem, ac literas etiam patentes poſcat, vt ab aliis quoq; Sodalitiis, quo ſe forte ſit collaturus, tanquam vnus è Sodalibus recipiatur. Et quoniam velut vnus ad huc è Sodalium numero etiam abſens meritorū Sodalitatis eſt particeps, æquum erit, vt interdum de ſe, ſuiſq; rebus faciat certiores reliquos, ad Præfectum ſcribens, ac ſeſe ſodalium precibus commendans. Curet autem ſemper, vbicunq; fuerit, vt ſe verum filium Sodalitatis oſtendat, & morum integritate, exemploq; vitę omnes ædificare, & ad virtutem, pietatemque conetur allicere.

15. Se inter ſe omnes vera & ſyncera caritate diligant, curentque, vt pacem, fraternamq; concordiā tueantur: atq; vt indies in veris Chriſtianisq; virtutibus proficiāt. Vt autem hoc facilius aſſequantur, plurimum proderit Sodalitatis conuentus frequentare, cum iis crebrō verſari, à quibus iuuari poſſint, improborum conſuetudines, & quaſcunq; occaſiones mali vitare, vt ludos, rixas, murmurationes, comporationes, ali-

nes aliaque incommoda, quæ bonum sodalium nomen labefactant.

QVOTIES Præfectus nouus ac reliqui officiales deligentur, publicè hæ leges in congregatione recitabuntur. Conetur porro quisq; illis parêre quã diligẽtissimè. Præter has autem leges omnes consuetudines suę quisq; Sodalitatis pro virib. obseruet. Officiales autem leges suas proprias crebrius legent, quo melius illis parẽt.

CONSVETVDINES.

Sodalitatis Moguntinæ.

NEMO in Sodalitatem hanc cooptabitur, qui non prius fidei catholicæ professionem ex forma concil. Tridentini ediderit.

Omnes sodales octauo quoq; die peccata sua sodalitatis Confessario confitebuntur, vel decimo quinto saltem die.

Circumferent Sodales vbiuis Rosariũ, & in sacro recitabunt.

In cubiculo, si commodè fieri potest, habebunt aquam benedictam, qua se in introitu, exitu, & dum cubitum eunt, aspergant.

Ad nomen IESV & MARIÆ Virginis caput aperiãt, & si nudo sint capite, reuerẽtiam inclinatione præsteant. Cum per templa transibunt apertis sint capitibus, & si commode licebit, Salutationẽ saltem angelicam recitent Sacerdotibus, tam secularibus, quam religiosis, præceptoribus item omnibus, capite aperto honorem deferant.

Quotquot poterunt, comparabunt sibi libellum Sodalitatis à P. Francisco Costero editum, eumq; sedulo peruolutent.

Omnes quotannis circa festum Conceptionis B. Mariæ Virg. confessionem generalem de totius anni peccatis instituent idq; animi grati causa, quod illa die Sodalitas Moguntina cum Romana primaria fuerit coniuncta.

Initio cuiusq; mensis erit Sanctorum eiusdem mensis electio.

Celebrioribus B. Vir. Mariæ diebus de more publicus Sodalitatis agatur conuentus, ad quem & externi Domini confluant.

10. Qui probatione peracta in Sodalitatẽ recipietur, recitabit precationem solitam, *Sancta Maria &c.*

COM-

COMPENDIVM INDVLGENTI-arum congregationis B. Virginis Mariæ.

INDVLGENTIA PLENARIA.

1. QVo die in Sodalitatem quispiam recipitur, si veré pœnitens & confessus fuerit, eodemque die Sanctiss. Eucharistiæ sacramentum sumpserit, in Ecclesia, vbi prędicta Sodalitas fuerit, vel vbi potuerit, plenariam omnium peccatorũ suorum indulgentiam & remissionem consequitur.

2. Item in articulo mortis.

3. Quicunq; Sodales, aut qui sunt extra Sodalitatem Christi fideles vtriusq; sexus verè pœnitentes & confessi, ac sacra communione refecti, Ecclesiam seu capellam oratorium seu locum, vbi erunt in die solennitatis inuocationis seu tituli, sub quo vnaquæq; Sodalitas erecta sit: à primis eiusdẽ diei vesperis, vsq; ad solis occasũ eiusdem festiuitatis pié visitauerint, & ibidem pro Reip. Christianæ conseruatione & augmẽto, pro hæreseũ extirpatiõe principum Christianorum mutua & vniuersali pace, ac Romani Pontificis prosperitate orauerint, vel alias preces pro sua quisque

deuotione ad Deum effuderint, indulgẽtiam plenariam consequuntur.

4. Item Sodales, qui festis diebus natalis, & ascensionis Domini nostri IESV Christi, & Annunciationis, Assumptionis Conceptionis & Natiuitatis B. Mariæ Virg. verè pœnitentes & cõfessi Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum ibidẽ vel alibi sumpserint.

INDVLGENTIAM

Vnius anni consequuntur Sodales, toties quoties.

2. QVotiès Sodales, vel aliorum Christi fidelium ad Ecclesiasticam sepulturam prosecuti fuerint.

3. Item, infirmi, vel impediti, qui audito signo campanæ genu flexi, si per infirmitatem licebit, orationem dominicam & salutationem angelicam, pro salute animæ defuncti vel corporis infirmi recitauerint.

7. Qui cætibus tum publicis, tum priuatis interfuerint.

4. Qui diuinis officiis.

5. Qui spiritualibus colloquiis & exhortationibus.

6. Qui piis officiis etiam in Sodalium, & aliorũ Christi fideliũ defunctorũ per ipsã Congregationem ordinandis interfuerint

Qui

Qui Missę sacrificio diebus feriatis. 7.

Qui conscientiam suam diligenter examinauerint vesperi, antequã cubitũ eant. 8.

Qui pauperes infirmos, tam Sodales, quam alios in hospitalibus, vel priuatis domibus visitarint. 9.

Qui carcere detentos. 10.

Qui pacẽ inter inimicos cõciliauerint. 11.

Has easdem indulgentias consequi poterunt Sodales vbiuis locorum commorãtes, si apud Ecclesiam eorundem locorum, aut alibi, vt poterunt, opera præstabunt, quæ sunt seruanda ad huiusmodi indulgẽtias consequendas.

Sodales item consequuntur omnes Indulgentias *Stationum* Ecclesiarum Vrbis, siue intra, siue extra muros illius, si diebus Quadragesimæ, & aliis anni temporibus, ac dieb. Stationum huiusmodi Ecclesiam Societatis Iesu, si ibi fuerit, alioquin aliam Ecclesiam, seu Capellam in locis, vbi eos pro tempore esse contigerit, deuotè visitauerint, & ibi septies orationem Dominicam, & septies angelicam salutationem recitauerint.

LAVS DEO.

IN-

INDEX MEDITATIONVM

ET I.

IN OMNES DOMINICAS.

Med. 1. IN festo Circumcisionis. Luc, 2. pagin. 1

2 In festo Epiphaniæ, de tribus Magis Matt. 2. p. 4.

3 Domin. I. post Epiphan. de ascensu Christi in templum anno duodecimo Luc. 2 pagin. 6.

4 Domin. II. post Epip. de nuptijs in Cana Galilææ. Ioan. 2. p. 8.

5 Domin. III. post Epiph. de leproso, & Centurionis seruo. Matt. 8. p. 12.

6 Domin. IV. post Epiph. de sedata maris tempestate. Matt. 8. p. 16.

Dom-

7. Domin. V. post Epiph. de bono semine, & zizanijs. Matt. 13. p. 18.
8. Dominica LXX. de operarijs in vineam missus. Matt. 20. p. 20
9. Dominica LX. de semine in terram iacto. Matt. 13. p. 22.
10. Dominica Quinquagesimæ, de passione Christi, & cæco. Luc. 18. p. 24
11. Feria IV. Cinerum, de ieiunio, & thesauro in cœlo. Matth. 6. p. 26.
12. Dominica I. Quadragesimæ, de tentatione Christi. Matt. 4. p 28
13. Dom. II. Quadr. de Cananæa filio. Matt. 15 p. 29.
14. Dom. III. Quad. de dæmonio muto. Luc. 11. p. 31.
15. Dom. IV. Quad. de multiplic. 5. panum Ioan. 6. p. 33.
16. Dom. V. Quad. de immunitate Christi à peccato. Ioan. 8. p. 35
17. Dom. VI. Quad. de ingressu Christi in Hierusalem Matt. 21. p. 37
18. In die Paschæ, de apparitione mulieribus facta Marc. 16. p. 39

19. Feria III. Paschæ, de apparit. 2. discipulis facta Luc. 24. p. 41
20. Feria III. Paschæ, de apparit. discip. congregatis facta. Luc. 24. p. 44
21. In octaua Paschæ, de apparit. Thomæ cum aliis facta, Ioan. 20. p. 46.
22. Dom. 2. post pascha. de bono pastore. Ioan. 10. p. 48
23. Dom. III. post pascha. Modicum & non. Ioan. 16. p. 50
24. Do. IV. post pascha. Vado ad eum. Io. 16. p. 52
25. Dom. V. post Paschæ. Orandum Patrem. Io. 16. p. 54
26. In festo Ascensionis. Marc. 16. p. 55.
27. Domin. post Ascens. Cum venerit paraclet. Ioann. 15. p. 57.
28. In festo Pentecostes, de missione spiritus. Act. 2. p. 59.
29. In eodem de Euang. Ioann. 14. pag. 61
Feria II. Pentec. Sic Deus dilexit mundum pag. 63.
30. Feria III. Pentec. Ego sum ostium Ioann. 10 pag. 61.

31. In

31. In festo S. Trinit. De Nicodemo. Ioann. 3. p. 67.
32. In eodem de mysterio S. Trinit. p. 69
33. In festo Corporis Christi Ioan. 6. p. 71
34. Dom. 1. post Trinit. De diuite & Lazaro Luc. 16. p. 73
35. Dom. 2. post Trin. de cœna magna. Luc. 14. p. 75
36. Domin 3. post Trinit. de oue perdita. Luc. 15. p. 78
37. Dom. 4. post Trinit. Estote misericordes. Luc. 6. p. 80
38. Dom. 5. post Trinit. Christus docet è naui Petri. Luc. 5. p. 82
39. Dom. 6. post Trinit. de iustitia phariseorum. Matt. 5. p. 84
40. Dom. 7. post Tr. de 7. panibus. Marc. 8. p. 86
41. Dom. 8. post Trin. de falsis prophetis. Matt. 7. p. 88.
42. Dom. 9 post Trinit. de villico iniquitatis. Luc 16. p. 90.
43. Dom. 10. post Trinit. de fletu Christi super Hieruſ. Luc. 19. p. 92

44. Dom.

44. Dom. 11. post Trin, de Pharisæo & publicano Luc. 18. pag. 94
45. Dom. 12. post Trinit. de surdo & muto. Matt. 7. p. 96
46. Dom. 13, post T. de Sa. & Leu. Lu. 10. p. 98
47. Do. 14. post Tr. de 10, Leprosis. Luc. 17. p. 100.
48. Do, 15. post Trinit. de duobus dominis. Matt. 6. p. 101.
49. Dom. 16. post Trin. de filio viduæ Naim. Luc. 7. p. 103
50. Do. 17. post Tr. de Hydropico. Luc. 14. p. 105
51. Do. 18. post Trinit. de mandato magno. Matt. 22. p. 107
52. Do. 19. post Tr. de paralytico. Matt. 9. p. 109
53. Dom. 20. post Trinit. de veste nuptiali. Matt. 22. p. 110
54. Do. 21. post Tr. de reguli filio. Ioan. 4. p. 113
55. Do. 22. post Trin. de rege & seruo. Matt. 18. p. 114.
56. Do. 23. post Trin. de numismate census. Matt. 22. p. 117
57. Dom. 24. post Trin. de hæmorrhoissa. Matt. 9. p. 119

58. Dom.

58 Dom. 25. post Trinit. de abom. desolation. Matth. 24. p. 121.
59. Dom. 26. post Trinit. de iudicio extremo. Matth 25. p. 123
Domin. I. Aduentus de ingressu Christi in Hierusalem. Matt 21. p. 37.
60. Dom. II. Aduent. de signis extrem. iudicii. Luc. 21. p. 126.
61. Dom. III. Aduent. de S. Ioan. in vinculis. Matth. 11. p. 128.
62. Dom. IV. Aduent de legatione ad Ioan. Ioan. 1. p. 130.
63. In festo Natiu. Christi. Luc. 21. p. 133.
64. De pastoribus in cod. cap. p. 135.
Domin. infra 8. Natiu. Erant Ioseph & Maria mirantes. Luc 2. p. 138

INDEX MEDITAT.
in festa Sanctorum.

1. In festo Purificat. B. Virg. De Purificatione B. Virgin. & pueri Iesu præsent. Luc. 2. pag. 140
2. In festo Matthiæ Apost. Matt. 12. p. 153

3. In festo Annunciat. B.V. Luc.1. p.146
4. In festo Phil. & Iacobi Apost. Io.14.p.148.
5. In festo Inuent.S. Crucis.Ioan 3. p.63
In festo S. Ioan.Baptistæ. deS.Ioan.natiuitate.Luc.1. p.150.
6. In eod. de eius virtutibus. p.153.
7. In festo Petri & Pauli. de confessione Petri, Matth.16. p.155.
8. In eod. de S. Petri vita. p.158.
9. In eod. de S. Paulo Apost. p.160.
10. In festo visitat. B. Virg. Luc. 1. p.163.
11. In festo M. Magdalenæ, de conuersione eius. Luc. 7. p.166.
12. In festo Iacobi maioris Ap.de petitione matris filiorum Zebedæi.Mat. 20. p.169.
13. In festo S. Laurentii. de grano frumenti. Ioan. 12. p.171.
14. In festo Assumpt. B. Virg. De Christo recepto in domum Matthæi. Luc. 10. p.174.
15. In eodem de historia assumptionis B. Virg. pag.177.
16. In festo S. Bartholomæi. de oratione Christi in monte. p.178.

17. In festo natiuit. B. Virg. de genealogia Christi. Matt. 1. p. 180.
18. In exaltat. S. Crucis. De Christi crucifixione. Luc. 12. p. 183.
19. In festo S. Matthæi, De eius vocatione. Matth. 9. p. 185
20. In festo S. Michaelis. De paruulis imitandis. Matt. 18. p. 187.
21. In festo Simonis & Iudæ Apost. De dilectione mutua & persecutione. Io. 19. p. 189.
22. In festo omnium Sanctorum. De octo beatitudinibus. Matt. 5. p. 192.
23. In eodem de Sanctorum gloria. p. 197
24. In Commemoratione Animarum, de pœna Purgatorii. p. 199.
25. In festo S. Martini, de lumbis præcingendis. Luc. 12. p. 201.
26. In festo Præsent. B. V. de historia præsentationis à Ioachim & Anna factæ. p. 203.
27. In festo S. Catharinæ. De decem virginibus Matth. 25. p. 205.
28. In festo S. Andreæ, de vocatione Apostolo Matth. 4. pag. 207.

29. In festo S. Nicolai, Sint lumbi vestri. Luc 12. p. 209
30. In festo Concept. B.V. De immaculata eius conceptione. p.211
31. In festo S. Thomæ, de eius conuersione. Ioan. 20. p.214
32. In festo S. Stephani. de occisione prophet. Matth 23. p.216
33. In festo S. Ioannis Euang. Christus Petrum vult se sequi, & Ioannem manere p.219
34. In festo S. Innocentum, de fuga in Ægyptum. Matth. 2. p.222
35, Pars 2, de nece eorum, & reditu pueri ex Aegypto. p. 224.
36, In dedicatione Ecclesiæ, de Zachæo. Luc. 19 p. 226.
37. In eadem de dedicatione spirituali Templi. p. 229.

INDEX MEDITAT.

De passione Domini.

1. De lotione pedum, Ioan. 13, p. 233.
2. De instit. S. Sacram. Matt. 26. p. 236.

INDEX

3. De indicato proditore inter cœnā. Io. 13 p. 238
4. De itinere in hortum Gethsemani. Matth. 26. p 341.
5. De oratione Christi & agonia. Lu 22 p. 243.
6. De proditione Iudæ. Marci. 14. p. 245
7. De captiuitate Christi. Matt. 28. p. 248.
8. De deductione ad Hannam. Ioan. 18. p. 250.
9. De deductione ad Caypham. Matt. 26. p 252
10. De trina negatione Petri, Matt. 26. p. 255.
11. De suspensione Iudæ. Matt. 27. p. 257.
12. De missione Christi ad Pilatū. Io. 18. p. 259.
13. De examinatione Pilati. Matt. 27. p. 262.
14. Pilatus mittit Christ. ad Her. Lu. 23. p. 264
15. De Barraba Christo prælato. Lu. 23. p. 267.
16. De viso uxoris Pilati. Matt. 27. p. 269
17. De Flagellatione Christi. Matt. 27. p. 271.
18. De coronatione Christi, Matt. 27. p. 274.
19. De aliis accusationibus Christi coram Pilato Ioan 19. p. 176.
20. De Christi Domini nostri condemnatione. Matt. 17. p. 279.
21. De crucis baiulatione. Ioan. 19. p. 281
22. De Christi crucifixione. Ioan 19. p. 28.

23. De latronib. cũ eo crucifixis. Mat. 27. p. 285
24. De titulo Crucis Christi. Ioan. 19. p. 287
25. De diuisione vestium Christi Lu. 23. p. 289.
26. De irrisionibus Christi in cruce. Matt. 27. p. 291.
29. De primo verbo Christi prolato in cruce. Luc. 23, p. 293.
28. De 2. verbo: Hodie mecũ. Ma. 23. p. 295.
29. De 3. verbo Mulier ecce Ioã. 19. p. 298
30. De 4. verbo, Eli Eli, Matt, 27 p. 300.
31. De 5. verbo, Sitio, Ioan. 19. p. 302.
32. De 6. V. Consummatu est. Io. 19. p. 304.
33. De 7. verbo. Pater in manus tuas. Mat. 27 p. 306.
34. De signis mortem Christi secutis. Matt. 27. pagin. 308.
35: De conuersione Centurionis. Mat, 27 p. 310
36. De latere Christi aperto. Ioan. 19. p. 312.
37. De depositione de cruce. Mat. 27. p. 314
38. De sepultura Domini. Ioan. 19. p. 316.
39. De custodia sepulchri. Matt, 27. p. 318
40. De descensu Christi ad lymbum Patrum. Eph. 4. p. 320.

INDEX MEDITAT. RESIDUARUM de Christi vita, quæ non incidunt in Dominicas vel Festa.

1. *De æterna Christi generatione. Ioa. 1. p. 323*
2. *De filii Dei incarnatione. Ioan. 1. p. 326*
3. *De Virginit. B. Virgin. Iosepho revelata. Matth. 1. p. 329.*
4. *De vita Christi à 12. anno ad 30. Luc. 2. p. 332.*
5. *De prædicatione Ioa. Baptistæ. Mat. 3. p. 335*
6. *De Baptismo Christi. Matt. 3. p. 337*
7. *De vocatione primorum 5. discipul. Ioan. 1. p. 340*
8. *De ejectis templo vendentibus. Io. 2. p. 344.*
9. *De colloquio Domini cum Samaritana. Ioan. 4. p. 347.*
10. *De initio prædicationis Christi. Matth. 4. 352.*
11. *De socru Simonis. Matth. 8. p. 354*
12. *De paralytico ad piscinam sanato. Ioan, 5 pag. 357.*

13. Nazareni Christum volunt precipitare. Matth. p. 360.
14 De electione 12. Apostol. Marc. 3. p. 362
15. De ambulatione Christi super aquas. Matt. 14. p. 366
16. De transfiguratione Domini. Mat. 17. p. 369
17. De sanato lunatico. Marc. 9. p. 372.
18. De muliere adultera. Ioan. 8. p. 374.
19. De cœco nato. Ioan 9. p. 377
20. De adolescente diuite. Matt. 19. p. 379
21. De Lazari suscitatione. Ioan. 1. p. 383
22. De filio prodigo. Luc. 15. p. 386.
23. De cœna apud Bethaniam. Mat. 26. p 389
24. De ficu arefacta, & altera eiectione vendentium è templo. Luc. 19. p. 392

De apparitionibus residuis post resurrectionem.

25. De apparitione facta B. Virg. p. 393.
26. De apparit. facta Mariæ Magdalenæ. Ioan. 20. cap. p. 397.
27. De apparitione facta 7. discipulis piscantibus. Ioan. 21. p. 400

28. De

28 De apparit. in monte Galilææ. Matth. 28. p. 413.

INDEX MEDITAT.
De Communi Sanctorum.

1. De communi Apostolorũ. Mat. 9. 10. p. 406
2. De eadem. p. 410.
3. De S. Martyribus. Ioan 15. p. 414.
4. De S. Confessoribus. p. 418.
5. De S. Virginibus. p. 420.

INDEX MEDITAT.
De Dei beneficiis.

1. De beneficio Orationis. p. 423
2. De beneficio conseruationis. p. 426.
3. De beneficio Redemptionis. p. 428.
4. De beneficio Vocationis ad Fidem Catholicam p. 431
5. De beneficiis peculiaribus, cuiq; propriis 433.
6. De beneficio æternæ prædestinationis. p. 435.
7. De beneficio Vocationis ad Religionẽ. p. 438.
8. De nouem bonis vitæ religiosæ. p. 441

INDEX

INDEX MEDITAT.
De Peccatis

1. De grauitate peccatorũ ex parte Dei. p. 446.
2. De eadem ex parte Christi. p. 449.
3. De eadem ex parte dæmonum. p. 451.
4. De eadem ex parte effectuum. p. 453.

INDEX MEDITAT.
De miseriis vitæ humanæ.

1. De miseria natiuitatis humanæ. p. 456.
2. De breuitate humanæ vitæ. p. 459.
3. De incertitudine humanæ vitæ. p. 461.
4. De fragilitate hum. vit. p. 464.
5. De inconstantia hum. vit. p. 466.
6. De fallacia hum. vitæ. p. 469.
7. De multitudine miseriarum h. vitæ. p. 471.

INDEX MEDITAT.
De 4. Nouissimis.

1. De morte. p. 474.
2. De morte iustorum & piorum. p. 478.
3. De iudicio particulari. p. 480.
4 De iudicio vniuersali, Matt. 25, p. 123.

5. De

5. De Inferno. p. 483
6. De cœlesti gloria. p. 487.

INDEX MEDITAT.
De S. Eucharistia.

1. De excellentia SS. Sacramenti. p. 491.
2. De causis instituti Sacramenti. p. 494.
3. De dignitate quæ homini accedit ex hoc Sacramento. p. 496.
4. De effectibus huius Sacramenti. p. 498.
5. De præparatione ad hoc Sacramentū. p. 500.
6. De fine vel intentione communicātis. p. 503.
7. Quid in communione, & post eam considerandum. p. 505.
8. De frequentanda communione. p. 507.

INDEX MEDITAT.
De Sacerdotii dignitate & officio.

1. De dignitate Sacerdotum generatim. p. 509.
2. De causa dignitat. Sacerd. nouæ legis. p. 511.
3. De virtutibus sacerdotis, iuxta S. Paulum. pag. 514.
4. De præstātia fidei & spei in sacerdote. p. 517.

5. De

INDEX.

5. De caritate qua flagrare debet sacerdos. pa. 520.
6. De humilitate sacerdoti necessaria. p. 522.
7. De castitate sacerdoti necessaria. p. 525.
8. De frequentãda celebratione Missæ. p. 529.

INDEX MEDITAT.

De votis religiosorum.

1 De præstantia votorum. p. 532.
2. De vtilitate votorum. p. 535.
3. De præstantia Paupertatis Religiosæ. p. 537.
4. De vtilitate eiusdem. p. 540.
5. De præstantia castitatis religiosæ. p. 543.
6. De vtilitate religiosæ castitatis. p. 545.
7. De præstantia religiosæ obedientiæ. p. 548
8. De vtilitate religiosæ obedientiæ. p. 550.

MEDITATIONES DE 15. mysteriis Rosarii B. Virg. p. 553.

Leges Congreg. B. Virg. p. 576.

FINIS.

Soc tis Jesu Lippiæ
1627.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN